BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
C
65
NAPOLI

Scant 34 ~~ff° 3 c~~

Scannia K num 3 lib° 4.5

[illegible] Supis

SIMONIS

CAVLERII

RHETORICORVM LIBRI QVINQVE.

Ad Illuſtriſſ. virum NIC. DE VERDVN, *Equitem, ſacri Principis Conſiſtorij Conſiliarium, & Senatus Galliæ Præſidem.*

Hæc Conciliis, & Iudiciis, & omnibus Reip. vſibus ſunt accommodata.

SECVNDA EDITIO.



libraria della Concez.ne

PARISIIS,
Apud MARCVM ORRY, via Iacobæa, ad inſigni Leonis ſalientis.
1600.

ILLVSTRISSIMO VIRO NICOLAO DE VERDVN EQVITI SACRI Principis Cōſiſtorij Conſiliario, & Senatus Galliȩ Præſidi integerrimo

S. P.

QVONIAM (*Ampliſſime, & Illuſtriſſime Præſes*) *quamdiu in Gallia veſtra nubes ſunt, in Belgio noſtro ſerenum non eſt: neque meorum, qui huc, cùm cultum ingenij caperent, vocabant olim, fidelibus deſiderijs, neque meis veteribus votis temporius ſatisfeci. Duæ me res Duaci intra pacatæ vrbis muros in periucundo florentis Academiæ alterius meæ parentis gremio continuerunt, ſcriptio bellumque. Longæ ſcriptionis aſſiduo labori vicenos continenter annos otium impertiui ſedentarius. Per belli fatalis diuturnam variamque tempeſtatem rarò colligē-*

dis animis per infeſtum agrum impunitas oblata eſt. Simul atque immanium temporũ tetrã caliginẽ allucens bonæ pacis ſerenitas diſcuſſit, cùm Pariſios Sequanæ inſitos ab ingenio naturæ vinculũ Celticæ, et Belgicæ cura cognoſcere inceſsit me prima: tum Principem omnium orbis Academiam, & tot nobilium Academiarum fæcundam parentem auſpicatò venerari. Venì, fælicem vrbis permagnæ ſitum ſupernè circumſpexi, infernè ſuſpexi: ingeniũ propria comitatũs mihi inuſitatæ gratia perfuſum, frequentiam, quæ cunctum genus humanũ adunaſſe videbatur) obſtupui. Ad decimũ ſextũ Calendarũ Nouembriũ tuo vocatu, ductu Cæſaris Bulingerij domũ tuã inij primũ. Hic cõfuſus varia cũctorũ, et aſpectabili imagine defix⁹, ſtructuræ venuſtioris ſplẽdorẽ, et ſupellectilis exquiſitæ ornatũ deſij admirari, cũ degreſſus in hortum artificio compoſitæ amœnitalis illuſtri nobilem, tuam vnius principio comitatẽ ingenuo veræ charitatis affectu ſynceram ſenſi. Etenim commotus aliquâ mei laudatione, & eorum, quæ conſcripſeram, propenſiſsimæ voluntatis in me tuæ ſtudium luculentius declaraſti. Me quo homines & lautioribus deditos literis, & egregijs excul-

tos diſciplinis aſſoles, animo accepiſti.' Tùm comperi domum illam tuam, vt Lucij Luculli quondam, diuerſorium virtutum, & artium omnium, eruditis ingenijs forẽſi æſtu iactatis, ſtationem aperire periucundam. Quippe animus ille, ille tuus perennis nõ tantum aſpectu, & congreſſu eorum perfruitur: ſed amore virtutis perpetuo captus, his copias, his opes, his præſidium velut ab publico elegantiæ literariæ patrono adiungit. Et quidni hoc tibi ex genuinâ boni parentis naturâ inſitũ ſit? Siquidẽ ille tuus, NICOLAVS DE VERDVN, *qui te profeuit, ærariorũ Præfectorũ Princeps, qui intaminatam animæ, quæ nullis patuit fraudibus, fidem approbauit Galliæ Regibus Henrico Valeſio eius nominis ſecundo, & ſucceſſoribus liberis Franciſco, & Carolo; non huius tuæ quidem profeſſionis togatæ, & inſtituti Prætoriani, tamen perpoliti ingenij laudẽ inter Græcè Latinéque ſcientes doctiſsimi cum dignitate defendit. Hæc enim eruditæ nobilitatis virtus gratam, & perpetuam conſuetudinẽ illi conciliauit cum Michaele Hoſpitali Galliarum æterni nominis Cancellario. Et neceſſitudinem animorum ſanctiſsimè coniunctorum adeo perpetuus Latinarũ Græcarũque*

literarum (quas & dabant, & accipiebant viciſsim in morem excellentum id ætatis virorum) vſus colligauit, vt nec mortis neceſsitas fatalis abiungeret in poſteris conſtātem. Parenti tanta ſapientiæ gloria florenti ſuccedis in fortunas, in optimarum artium amorem & perficis, vt qui ab ornamentis honeſtiſsimorum ſtudiorum commendationem ducunt non modò Galli, at etiam Europæarum gentium homines & te ament abſentem, & venerentur præſentem. An non & me moueant integritas vitæ, religionis intaminatæ ſanctitas, perpetuus Iuſtitiæ cultus: quibus, vti ſummis bonis florere te omnes Gallicanæ ditionis ordines ſolidè gaudēt. Intelligunt enim ius ſic vnicuique ſuum nullo diſcrimine fortunarum dari, & reddi: vt iudicij tui expromptam ſententiam, non iam decretum, ſed oraculum ſanciri credāt. Ego, vt opportunis tanti nominis opibus circumſeptus in hac Galliarum luce nuſquam conniuentibus oculis conſiſtam, quos de oratorijs diſciplinis confeci libros, tibi voueo, atque dico, non dubius Galliæ fore pergratos, quibus tantum nomen inſcriptum legetur. Salutatus enim peramanter à te primum, & iuſſus ſtrictim, & breuiter, ediſſerui conſiliū

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & ciuilis pertexẽdæ. Primum voluminis primi librum, quem ab Ioannis Hircani Pontificis Hebræi, & Conſulũ Publij Furij Philonis et Sexti Attilij Serrani temporibus ordior, obtuli: obtuli & volumen ſeptimum, in quod confero Romanæ, & Eccleſiaſticæ rei centum annos ab Septimij Seueri quinto, ad Diocletiani decimum tertium. Commendatis laborioſæ contentionis rationibus abſceſſimus ab vmbrato horti latere in aduerſum, et apricum. Tum memini te percunctari (vt quiddam inaudieras de Cæſare Bullingerio illo ſyncero mei cõmendatore) ecquid Rhetorica confeciſſem? num quid nouum? aut inſolens? faſſus ſum oratoriarum inſtitutionum opus ingenuo cõfectum labore in manus, & oculos literatæ iuuentutis datum. Oſtendi me perfunctum aſperioribus rudimentis ætatis initiandæ colendæque non ignobili fine propoſito omnes ingenij facultates, & vim animi in ea ſtudia cõtuliſſe, quibus prodeſſem bonis mortalibus: nemini eorum, qui de rationibus dicẽdi ante me ſcripſerunt, detrahere quã merẽtur laudem: reprehendere neminem eorum, qui perfectius, qui obſcurius, qui plenius, qui contractius, qui indoctè de Rhetoricis præcepiſſent: ſui cuique iudicij conſilijque ratas

ſanctas, integras pro temporũ, pro diſcentũ, pro ſapientũ ingenijs rationes conſtare velle: me, quod iuuentuti in ſpem Reip. creſcẽti cõmodum, quod mihi probũ prõptũque duxiſſem, ab illis ſumpſiſſe, nonnulla adſcripſiſſe mea, et opportuna, quibus inuentionis oratoriæ rationes, & induſtriam eorum, qui mihi in diſciplinam traduntur, iuuari crederem. Non amo me nimis. Exegi huiuſce meæ doctrinæ rationem ad concionum populariũ, principalium conſiliorum, laudationum, iudiciorumque leges, & normam. Viceſimum annum iam tranſmitto Hiſtoriæ ciuili, & Eccleſiaſticæ ſcribẽdæ: quæ in concilijs dictæ ſentẽtiæ, quibus cauſis ſuſceptæ res, qui orſus, ſucceſſus, exitus negotiorũ, quæ virtutes, promeritaque laudibus ornata, quæ crimina, quibusve pœnis vindicata: quæ quibus cõdonata clemẽtius: quibus concitatæ ſeditiones, quib⁹ tẽperatæ populorũ, aut militũ iræ, anĩaduerti. Hic monitus paucis methodũ huius meæ doctrinæ expoſui. Tu vero admirãs, adoleſcẽtẽ nõ obtuſum ais die quadrageſimo cõprehendiſſe hæc oportere. Hæc concilijs, iudicijſque tum gentium omnium comunia, tum maxime Galliarum propria eſſe confirmas. Hæc quibus alteram lucem affulgere vis vel tua

diſpendio, (ſi tanta virtus, atque benignitas diſpendium pati poteſt) tuis auſpicijs, & tuo inſignita nomine placet, efferantur iteratò.

Idibus Aprilis, Anni Secularis, & Iubilæi Milleſimi Sexcenteſimi.

SIMON CAVLERIVS
tuus, & tuorum ſtudio, &
animo.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAP. I.

DEfinitur Rhetorica, & quæ eâ efficitur, eloquentia.
2. Quibus hæc comparetur.
3. Officium oratoris.
4. Inſtrumentum.
5. Quæſtio, quæ materia eſt. Eius diuiſiones.
6. Finita quæſtio triplex, & auditor.
7. Officij oratorij partes quinque.
8. Orationis ſex.
9. Exordium, eius fines, partesque.
10. Conciliandæ beneuolentiæ loci tres: perſonarum quadruplicium, rerum, adiunctorum.
11. & 12. Ea, quæ Orator de ſe præfatus, eliciunt amorem auditoris.
13. Quæ de cliente auditu iucunda.
14. Tres affectus: Odium, inuidia, contemptus, quibus permotus auditor ab aduerſario alienatur, & adiungitur Oratori.
15. Commouendi odij.
16. Inuidiæ.
17. Contemptus rationes explicantur.
18. Ea, quæ dici de ſe audiens Iudex, amorem impertitur ſuum oratori.
19. Locus beneuolentiæ promerēdæ alter ex rebus.
20. Tertius ex circumſtantiis perſonarum, & rerum.
21. Attentio.
22. Docilitas.
23. Qualitates argumentorum quinque.
24. Diuiſio exordij in principium, & inſinuationem.
25. Tempora inſinuationis vſurpandæ tria.

26. Conciliatio perſuaſi. 27. Et feſſi auditoris.
28. Qualitas dictionis in exordio.
29. Narrationis natura: Narratio triplex, oratoria, digreſſio, remota, & hæc bipartita, perſonarum, & negotiorum, & iſta item tripartita: Fabula, argumentum, hiſtoria.
30. Narrationis virtutes, breuitas, perſpicuitas, probabilitas, ſuauitas, & earum præcepta.
31. Quantitas narrationis. 32. 33. 34. 35. Dictio.
36. Qualitas. 37. Propoſitio. 38. Eius diuiſio.
39. Diuiſionis partes, Seiunctio, diſtributio, & huius partes. 40. Qualitates.

LIB. II.

C. 1. Status. 2. Naſcitur ex intentione, & depulſione: ratio, firmamentum, iudicatio. 3. Status princeps, & acceſſorius. 4. Status an ſit, quid ſit, quale ſit: quid contentio.
5. Argumentum deliberationis quod, & quotuplex.
6. Futuri temporis deliberatio eſt, & qualis.
7. Prudentia, probitas, amor, deliberantem auditori commendant. 8. Conditio deliberantium.
9. Deliberationis finis fœlicitas, quæ conſtituitur honeſtate, & vtilitate.
10. Vtilitas tuta diuiditur in vim, & dolum: Vis quid, & quibus ſpectetur: Dolus quid, & in quibus verſetur. 11. Vtilitas honeſta diuiditur in rectum, & laudabile: Laudabile quid: Rectum partitur in virtutem, & officium. Virtus quid, & quotuplex: oratoria, & moralis vt differant.
12. Prudentia multis definitur modis.
13. Prudentiæ partes, prudentiæ oratoriæ ſiue ciuilis officium.
14. Iuſtitia quid, & quotuplex: Naturalis iuſtitiæ partes ſex. 15. Decem iuſtitiæ loci traduntur.
16. Fortitudinis ſex. 17. Eius partes quatuor.
18. Temperantia coercet triplicem cupiditatem, cuius loci explicantur tres. 19. & partes totidem.
20. Proponuntur confirmandæ vtilitatis loci.

21. Item honeſtatis, quæ vtilitati aduerſatur.
22. Alia methodus confirmationis deliberatiuæ, & partes. 23. Diſſuaſio quibus conſtat.
24. Conſultatio quid, & quot in ea conſideranda.
25. Fœlicitatis partes. 26. Quid bonum, & partes.
27. Quæ meliora, & maiora. 28. Honeſta quæ, & honeſtiora. 29. Iucunda. 30. Poſſibilia. 31. Publicæ conſultationis argumentum quintuplex. De opibus, & cuſtodia conſulẽtum rationes. 32. De bello.
33. De pace. 34. De efferendis rebus. 35. De legibus.
36. Quatuor formæ ciuitatum. 37. Species deliberationis. Exhortatio, & ſuaſio vt differant.
38. Dehortatio. 39. Conciliatio. 40. Conſolationis præcepta. 41. Petitionis. 42. Commendationis.
43. Monitionis.

CAPITA DEMONSTRATIONIS.

1. Tria auditorum genera. Demonſtratio quid, & quorum. 2. Laudatio varia
3. Status triplex in demonſtratione.
4. Propoſitio demonſtratiua perſonarum variè inſtituitur: Tria tempora laudis hominum.
5. Eorum, quæ præcedunt vitam loci. 6. Infantiæ.
7. Pueritiæ. 8. Adoleſcẽtiæ. 9. Iuuẽtutis 10. Senectutis.
11. Mortis. 12. Eorum, quæ mortem ſecuta ſunt exornatio. Alterius ordinis capita tria, bona animi.
14. Corporis. 15. Fortunæ. 16. Oratio funebris.
17. Panegyricus. 18. Gratiarũ actio. 19. Gratulatio.
20. Gratulatio ad Pontificem Romanum.
21. Vituperandi ratio. 22. Laudatio facti, rerum, regionis. 23. Vrbium. 24. Domus. 25. Agri, montis, fluminis.

GENERIS IVDICIALIS CAPITA.

1. Status coniecturalis, finitiuus, iudicialis. Coniecturalis quid, & eius tẽpora. coniectura multiplex.
2. Coniecturæ loci voluntas, & facultas.
3. Voluntas quid. 4. Voluntatis loci impulſio, & ratiocinatio: Impulſionis tractatio. 5. Et ratiocinationis. 6. Facultatis ſigna, & circumſtãtiæ, quid ſignũ.

7. Quid circumſtantiæ. 8. In facultate quæ ſpectā-
da. Comparatio perſonarum ſuſpectarum.
10. Quæ probanda aduerſus reum. 11. Iniuriæ magnitudo æſtimanda. 12. Qui afferunt iniuriam.
13. Qui afficiuntur iniuria 14. Collectio capitum voluntatis inficiandæ. 15. Loci communes accuſatoris, & defenſoris: Proprij defenſoris abſolutio, & inuerſio. 16. Probatio artificialis, & inartificialis: Loci communes inartificialis. 17. Pro teſtibus.
18. Contra teſtes. 19. Ratio interrogandi teſtes.
20. Pro quæſtionibus. 21. Contra quæſtiones.
22. Pro argumentis, & ſignis. 23. Contra argumenta & ſigna. 24. Pro rumoribus. 25. Contra rumores.
26. De tabulis. 27. Status finitiuus quid. Eius confirmandi ratio, partes. 28. Iuridicialis ſtatus quid. Duplex: abſolutæ & aſſumptiuæ qualitatis: Abſoluta quid, & quibus conſtat. Eius partes, natura, & iuris ratiocinatio: Aſſumptiua quid. 29. Abſoluti ſtatus confirmatio habet naturam, legem, conſuetudinem, iudicatum, æquitatem, pactum.
30. Iudicatum quid, & vt tractetur. 31. Æquitas.
32. Lex æquitati aduerſa. 33. Pactum, quomodo confirmandum. 34. Aſſumptiui ſtatus quatuor capita: Conceſſio quid. 35. Conceſſionis partes, purgatio, & eius diuiſio in neceſſitatem, fortunam, & imprudentiam, quæ in his conſideranda. Deprecatio quid, & rationes ignoſcendi. 36. Relatio.
37. Remotio, & vt à relatione diſtat. 38. Comparatio.
39. Conſtitutio legalis ex ſcripti ambiguitate nata habet. 40. Ambiguum: vnde id proueniat: eius orationis partes. 41. Scriptum & ſententiam, eius Orationis partes 42. Contraria ſcripta, quo modo expendenda, & quæ partes orationis adhibendæ.
43. Ratiocinationis ſtatus confirmatio. 44. Commutationis. 45. Iudicialis ſtatus ſpecies, expoſtulatio, purgatio exprobratio, inuectiua, comminatio.
46. Argumentationis ſpecies, Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, Exēplū. Syllogiſmi partes quinque
47 Enthymema propria oratorum argumentatio.

48. Inductio quid. 49. Exemplum quid. 50. Violatio.
51. Sorites. 52. Confutationis doctrina.

LIB. III.

1. Concluſio habet enumerationem, amplificationem, affectus: Enumerationis forma.
2. Amplificatio quid: Conficitur verbis, & rebus.
3. Amplificationis conficiendæ rationes.
4. Diſcrimen concluſionis, & partium orationis cæterarum: Affectus, & eius natura. 5. Affectuũ diuiſio.
6. Affectuum tractandorum ratio triplex.
7. Affectuum excitandorum, & ſedandorum modus.
8. Miſericordia quid. 9. Quæ miſerabilia. 10. Quorũ miſeremur. 11. Modi commiſerationis. 12. Exemplum affectuum omnium.
13. Quid ira, qui iraſcuntur, quibus cauſis, quibus.
14. Manſuetudo. 15. Amor. 16. Odium. 17. Metus.
18. Securitas. 19. Pudor. 20. Gratia. 21. Indignatio.
22. Inuidia. 23. Æmulatio. 24. Affectus tractandi ex moribus auditorum: Mores iuuentutis, ſenectutis ætatis mediæ. 25. Nobilium, diuitum. 26. Proprium oratoris mouere affectus: quis affectuum vſus, accuſatori, & defenſori. 27. Riſus, & eius multæ rationes. Quæ in eo vitanda. 28. Diſpoſitio quid: Ea triplex, vna partium, ſecunda locorum, tertia argumẽtationum: partiũ duplex, artis, & prudẽtię.

LIB. IIII.

1. Elocutio quid. 2. Elocutionis partes: Elegantia, Compoſitio, Dignitas, & earum rationes.
3. Dignitatis ſunt exornationes verborum, & ſententiarum. 4. Repetitionis ſpecies complures.
5. Figuræ breuitatis. 6. Similitudinis, numeri, cõtrarij.
7. Sententiarũ, & quidẽ interrogationis, & affectuũ.
8. Tropi verborum, & orationis.
9. Expolitio, & quibus modis fiat.
10. Copia rerum, & eius figuræ.
11. Deſcriptio, & eius ſpecies. 12. Diuiſionum,
13. Cauſarum. 14. Comparationis figuræ.

CAPITVM.
LIB. V.
1. Propoſitio dicendorum, forma orationis diuerſa.
2. Compoſitionis rationes.
3. De conſonantibus. 4. De numero. 5. De periodo.
6. Periodicæ voces. 7. Periodi partes: comma, & colon. Commatis diuiſiones. 8. Et coli.
9. & 10. Ratio amplianda orationis.
11. Coli diuiſio præterea triplex. 12. Et periodi ſeptuplex: perfecta, imperfecta, ſimplex, coniuncta, bimembris, trimembris, quadrimēbris, perigraphè, Iſocolos, Miouros: parua, mediocris, magna, preſſa, plena: diſtincta, confuſa.
13. Vſus periodi: Rectitudo quid: Ratio dicendi triplex, cæſim, commatim, periodicè.
14. Pedes in principio, in medio, in fine periodi.
15. Diſtinguendæ orationis notæ.
16. Genera dicendi, ſublime, temperatum, tenue, quibus elocutio conſtat: varia genera verborum definiuntur. Eloquens quis.
17. Affectus generum communes: Affectus formæ ſublimis: Sublimis forma quid: Lectæ ſententiæ, & verba: Character ex quibus, & quid.
18. Affectus communes perpetui. 19. Non perpetui.
20. Proprii affectus generis ſublimis.
21. Humile genus. 22. Medium.
23. Figurarum vitia.
34. Memoriæ diuiſio, & præcepta.
25. Pronunciationis formæ.
26. Actio quid? Habitus corporis, & partes in actione.
27. Variarum rerum pronuntiatio diuerſa.

RHETORICORVM SIMONIS CAVLERII.

LIBER PRIMVS.

QVam inſcribo nomini tuo (Nicolae Verdune Præſes Illuſtriſſime) plenam, facilem, puram, & ciuilibus accommodam negotiis præceptionem oratoriæ diſciplinæ, tribuo in libros quinque. Formulas Inuentionis multas, & cognitu faciles in tres primos confero: duobus extremis orationis perpoliendæ, attollendæ, deprimendæ, attemperandæ præcepta comprehendo. Atque in primum contraho exordiendi, narrandi, proponendi doctrinam. Hanc, ne copia præceptionum vtilitatibus iuuentutis, quæ in ſpem reip. aſſurgit, officiat; typorum duplici diſcrimine digeſſi. Italicus character, quæ prompta concipi memoria peruelim, deſignat. Roma-

us, nũc quæ vtilia ſũt, & neceſſaria minus, nunc exempla præceptis ſubiuncta. Hæc, vt proſint iuuentuti, quam in vſum Reip. formari peropto, faxit Deus Opt. Max. cuius numen precatus hæc auſpicor præcipere.

Rhetorica quid.  HETORICA *eſt ars, quæ viam, & rationem rectè, & ornatè dicendi tradit:* & diſcentium format animos in omnes officij oratorij partes, & vſus. Huius enim doctrinæ cognitis, penituſque perſpectis, quæ in vnum finem, & exitum ſpectant,

Eloquentia. præceptis, *Eloquentia* comparatur, quæ *ſcientia eſt ciuilis, vis & facultas perſpiciendi, & inueniendi, & dicendi, quod in vnaquaque re probabile eſt, & ad perſuadendum aptiſſimum.* Non enim conſiderat quid cuique ſit credibile, ſed talibus, qui hæc in concilio quærunt. Nam artis Rhetoricæ officium eſt, de iis, de quibus conſultamus, iudicare, quæ fieri, & non fieri poſſunt, & quorum artem non habemus, & apud eiuſmodi auditores ſæpe, qui nequeunt per plura intelligere, neque ex remotis ratiocina-

ri. Rhetoricorum diuiſio ſumma tribuitur in artem, per quam diſciplina, quæ eſt bene dicendi ſcientia, percipi debet: in artificem, qui aut Rhetor eſt, & hanc profitetur artem; aut Orator, qui facultate dicendi præditus eſt; cuius ſumma eſt bene dicere: in opus, quod efficitur ab artifice ad normã artis; eſtque bona, & ornata oratio. Græci profeſſores nunc rem, nunc artem, nunc facultatem ornandi, & eloquentiam, dicunt vocabulo Rhetoricæ: Latini autem ſignant diſcrimen artis, & facultatis, rhetoricæ (quam ab magiſtris Græcis habent) & oratoriæ vocibus. *Sũma Rhetoricorum.* *Ars & facultas eloquendi.*

ORatoria facultas comparatur natura, arte, imitatione, exercitatione. Natura enim bona, & docilis rerum, conſtanti, & ardenti ſtudio incitata maximam ad dicendum vim affert. Etenim naturalis bonitas, & felicitas animi, corporiſque diuinitus homini data, eloquentiæ parandæ opportuna eſt; quæ impertitur munera neceſſaria, ingenium, iudicium, memoriam, linguam expeditam, vocem pulchram, & ſuauem, laterum firmita- 2 *Oratoria quaneceſſaria. Natura.*

Ars. tem, & pulmones. *Ars, quæ præceptiones, & inſtitutiones oratoriæ diſciplinæ continet, dat certam viam, rationemque dicendi: naturam meliorem reddit, aut corrigit: facitque, vt de ſcriptis eloquentium virorum, quos nobis imitandos proponimus, accuratè iudicemus, & de noſtris commentationibus.* *Imitatio.* *Imitatio, quæ eſt obſeruatio rerum illuſtrium, inuentionis, ſtructuræ, & artificij in laudatis, & bonis oratorum libris, nos impellit diligenti ratione, vt eorum ſimiles in dicendo eſſe valeamus.* In hac id primum eſto. Sumatur excellens auctor, quem placet imitari, & quæ in eo ſunt illuſtriora, ea diligentiſſimè perſequamur. Nihil enim eſt aliud cauſæ, cur ætates extulerint ſingulæ ſingula prope genera dicendi; niſi, quod ſemper fuit aliquis, cuius ſe ſimiles plerique eſſe vellent. *Exercitatio.* *Imitationẽ perficit exercitatio, quæ eſt aſsiduus vſus, & conſuetudo dicendi.* Nam in præſtanti natura (quam ars expoliuit, & imitatio ad inſtar clarorum hominum conformauit) exercitatio abſolutionem, perfectionemque dicendi conſummat. Natura enim ſtudium, & ardorem quendam amoris inſerere debet, ex quo na-

ſcatur exercitationis diligentia. Exercitationis ſummum caput; multùm ſcribere. Stylus enim optimus eſt, & præſtantiſſimus dicendi effector, & magiſter. Exercendus vocis, ſpiritus, & totius corporis, & linguæ motus, qui non tam artis, quam laboris eget: exercenda & memoria ediſcendis ad verbum quamplurimis, tum noſtris, tum alienis. Hæc enim præceptiones rhetoricas ad vſum, & prudentem, & ornatam argumenti propoſiti explicationem accommodat. Hæc præſtat, vt vim oratoriam conſequatur is, quem promptum facit, ſicut natura habilem, & ars potentem. Hæc enim naturam imitata; exercitatio verò artẽ ſecuta eſt

HIS adiumentis fretus Orator, officio fungitur ſuo, quod eſt de quauis re propoſita dicere ad perſuadendum accommodatè. 3.
Finis bene dicere, fidem facere, & perſuadere dictione, hoc eſt, dicendo perficere, non ſolùm, vt intelligat: ſed etiam, vt voluntate accedat auditor ad id, quod volumus. Cùm autem iſtud perficere, non ab Oratore ſolùm: ſed etiam ab auditore, ac fere magis pendeat (eſt enim hominis voluntas

Officium Oratoris.
Finis.
Perſuadere quid.

res per ſe omnem in partem liberrima, &c, ſi tantum velit, prorſus inexpugnabilis) hic ſicut in medicina, & ſimilibus, officium à fine diſtat. In officio quid fieri oporteat, in fine quid officio conueniat, conſideratur. Nam medicus, in quo non eſt, ſemper vt releuetur æger, ſuo munere functus videbitur; ſi in cura malè affecti corporis, nihil eorum, quæ artis ſunt, omiſerit: ſic & orator officium meritò feciſſe dicetur, nõ ſi perſuaſerit; ſed omnia ad perſuadendum idonea collegerit, & adhibuerit, quæ oporteat. Hoc vt aſſequatur, *prudenter, diſtinctè, ornatè, apteque cõponet orationẽ, qua doceat, delectet, flectat: & opinionẽ probitatis concitabit & tuebitur, qui res bonas laudare, ſuadere, defẽdere, malas vituperare, oppugnare & poßit, & velit.* Perſuadet etiã integritas, auctoritas, dignitas, gratia dicẽtis, & aſpectus ſine voce, recordatio meritorũ, facies miſerabilis & formæ pulchritudo ſentẽtiã dictat.

Quæ perſuadent.

4. HVnç ad finẽ, curã, conſiliũq; *Orator* confert: exin ſuũ *ipſe facit, & adornat inſtrumentũ, quo materiam & argumentum formet in id, quod vult efficere opus.*

Hoc autē eſt, oratio copioſa, perpetua, ornata verbis, & ſentētiis, grauis, erudita, & ſēſibus animorū, moribuſque hominum accōmodata, quam non ars, ſed artifex parat ex arte. Neque enim ſcientia deſiderat inſtrumētum, quæ poteſt eſſe conſummata, etiamſi nihil faciat. *Sanè oratoria, ciuili ſciētiæ, vt facultas multò honoratiſſima, addita eſt, vt quoddam ad homines bene, atque ad ſalutem gubernandos inſtrumentum*; minus quidem violentum, quàm lex eſt, eiq; additi magiſtratus, magis tamen ad naturam rationalem aptum.

Circa res omnes, non ciuiles tantū verſari, & perſpicere, quid idoneum ſit ad perſuadendūm, eſt rhetoricæ proprium, nullius artis alterius. 5 *Materia.* Nam medicina circa id, quod ſanari poteſt: Geometria circa magnitudinū paſſiones: & habent artes cæteræ, quibus continentur, terminos. Proinde *materia Rhetoricæ ſunt res omnes, quæcumque vtroque modo fieri poſſunt, & non neceſſariæ, quæ ei ad dicendum proponuntur.* Nam nō in verbis; ſed in rebus eſt materia; non in iudiciis, & concionibus modò; ſed in priuatis, & negotiis do-

meſticis. Vis certè oratoris, profeſſioq; ipſa bene dicēdi polliceri videtur, vt omni de re, quæcūq; propoſita ſit ornatè, copioſeque dicat. Quāobrem huic, quæ ſunt in vita hominum, quandoquidem in ea verſatur, & eam habet ſubiectam materiam, omnia quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. Quidam oratoriæ facultati tribuunt infinitam materiam, & incertam, non propriam: atque ij hanc artem circumcurrentem, & in omni materia docentem faciunt. Sed falluntur. Non enim propterea deficitur materiæ proprietate, quod ea ſit multiplex. Nam & Arithmetica in omnibus verſatur, quæ in numerū quęcūq; veniūt: & medicina multos habet modos. Diſputat orator de bono, vtili, iuſto, quod officium eſt Philoſophi. Sed qui philoſophum dicit virum probū, notat, quem nos facimus, oratorem; qui vir bonus credi debet, vt non ſtudium aduocati, ſed pene teſtis fidem adferre videatur. Nec mirum oratorē, & Philoſophum eadem in materia eſſe, quibus orationis modus non eſt

idem. Sit omnium artium peritus orator, ſi de omnibus ſit ei dicendum. Neque enim quiſquam eſſe poterit omni laude cumulatus orator; niſi ſit idem omnium rerum, & artium ſcientiam conſecutus. Verum ſatis ſuperque eſt, oratorem, non eſſe eius rei, de qua dicit, inſcium. Neque enim omnes cauſas nouit, & debet poſſe de omnibus rebus dicere. Dicet verò de quibus didicit. Ariſtoteles omnium optime, veriſſimeque iudicat, qui orationis tres ſtatuit partes, iudicialem, deliberatiuã, demonſtratiuam. Nam cùm in eas cũcta rerum argumenta cadant; nullam materiam oratorio muneri demit. Etenim Rhetorica Dialecticæ perſimilis; vtraque omnium communis, per eadẽ ſpatia decurrit; & omnes vtramque participant; neutra eſt determinatæ materiæ. Hæc oratione conciſa, breui, interrupta, nõ elaborata: illa, plena, rotunda, perpetua, exactè ornata conſtat. Hæc complicati pugni vim refert: illa explicatæ manus modum. Quamobrem *materia, in qua omnis oratoris ars, & induſtria, & labor conſumitúr, eſt quæſtio,*

Quæſtio materia Oratoris

Quæſtio materia Oratorũ.

Quæſtio infinita & finita.

non vnius generis rerum, ſed cuiuſuis, ſiue verũ quæratur, quod intellectus inueſtigat; ſiue bonũ, quod voluntas appetit. Quæſtionum duo genera: vnũ infinitũ, quod Græci theſim, Latini propoſitũ, conſultationẽ dicũt: aliud finitũ, Latinis cauſa, controuerſia, Græcis hypotheſis eſt. Quæſtio infinita, qua quippiã generatim de vniuerſa re quæritur, ſine certa perſonarum, locorũ, tẽporum, & aliarũ circũſtãtiarum comprehẽſione. Finita, quæ de ſingulis rebus perueſtigat, notata perſonis, locis, temporibus. [Sitne ex repub. Cõſules ex plebe creare? eſt theſis: an Terẽtiũ Varronem plebeiũ hominẽ, Conſulẽ facere ſit vtile, hypotheſis.] *Quæſtio ſiue infinita, ſiue finita, eſt duplex; vna cognitionis, quæ finẽ habet rei propoſitæ, ſciẽtiã.* [An cometæ peſtẽ, aut bellũ, aut principũ mortem portendãt? an cometes, qui effulſit anno ſupra ſeſquimilleſimũm ſeptuageſimo ſeptimo, mortẽ Gregorio XIII. Pont. max. prænũtiarit ex iudicio Mathematicorũ? *altera eſt actionis, cuius finis eſt actio.* An Sixtus V. Põtifex portum ad Anxur effodiat? *Superioris, quæ ad cognitionem pertinet, genera ſunt tria. An ſit, quid ſit, quale ſit*] An magnes vertatur ad

Quæſtio cognitionis & actionis.

Quæſtio cognitionis triplex.

antarcticum ſydus, ſicut arcticũ? Quid
ſit maieſtas? quid perduellio? peculat⁹,
an furtũ ſit, pecuniæ regiæ in quæſtu
collocatio?] *Actionis quæſtio duplex; vna
ad aliquid perſequẽdũ, aut declinãdũ pertinet.*
[Quo habitu Carol⁹ Croius paret adi-
tum ad Ludouicũ XI. Galliæ regẽ; quò
Carolus Burgũdiæ dux legibus Pariũ
Galliæ ſoluatur, & pecuniã imperatam
nõ repræſentet:] *altera ad commodum, &
vſum refertur.* [Quibus præſidiis Hiſpa-
nicæ claſſes ab ortu, & occaſu tutæ re-
dire poſſint in Hiſpaniam?]

Quæſtio actionis duplex.

F*Initarũ quæſtionũ, ſiue cauſarũ, tria sũt* 6
*genera: Deliberatiuũ, quo ſuádemus aut
diſſuademus.* Habet tẽpus futurũ. *Finis,
quẽ ſibi proponit orator in dãdis cõſiliis, eſt v-
tilitas & ſpes, aut formido deliberãtis.* *Demõ-
ſtratiuũ, quo laudamus, vel vituperamus per-
ſonas, facta, res.* Habet tũ præsẽs, tũ præ-
teritũ tẽpus. *Spectat orator honeſtatẽ, cùm
laudat; turpitudinẽ, cùm vituperat: mouetque
auditores ad delectationẽ. Iudiciale, quo ac-
cuſamus, vel defẽdimus; cuius finis æquitas, cũ
propoſita clementia, vel ſæuitia iudicis.* Hæc
genera, ſiue, morales, ſiue ciuiles per-
tractẽtur res ſunt cauſarum ſingulariũ,

Cauſarum genera tria.
Deliberatiuum.
Finis deliberatiu.
Demonſtratiuum.
Demonſtratoris finis.
Iudiciale.
Iudicij finis.

in quibus vertitur omnis actio. Neque enim homo vniuerſus vxorem ducit, nec omni in loco, & tempore; ſed Põpeius, Iuliam, Romæ. Et proprius fructus diſputationis oratoriæ, eſt actio; & quæſtio finita, propriè huic arti proponitur materia de expetendis, agendiſque rebus. Sed orator ſingulares à perſonis propriis, & temporibus ſemper, ſi poteſt ad vniuerſas reducit, probationis robur inde ſumpturus. Latius enim de genere, quàm de parte diſceptare licet: vt, quod in vniuerſo ſit probatum, id in parte, probari ſit neceſſe. Sunt enim orationes eæ ornatiſſimæ, quæ latè vagantur, & à priuata, ac ſingulari controuerſia, ſe ad vniuerſi generis vim explicandam conferunt, & conuertunt: vt ij, qui audiunt, natura, & genere, & vniuerſa re cognita, de ſingulis rebus ſtatuere poſſint. Sed cùm de vero ambigitur; quod quæri coniectura ſolet, id non fit. Vt ſi deliberet Pontifex Romanus, an diris deuoueat Ioannem Huſſium orthodoxiæ deſertorem: controuerſiam propoſito probabit: omnes Eccleſiæ Ca-

tholicæ perduelles hæreticos iure proſcribi, & furiis infernalibus dedi. *Horum generum finis eſt penes auditorem, qui aut ſpectator eſt, aut Senator, aut Iudex: Iudex præteritorum: qui de futuris anquirit Senator: qui de facultate iudicat, ſpectator.*

Auditor.

7. *Oratorij officij partes.*

IN ſingulis cauſarum generibus orator officij ſui partes, & eloquentiæ quædam mẽbra explicat, quibus omnis orandi ratio conſtat, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & actionem. Oportet enim inuenire oratorem, quid dicat, inuenta diſponere, deinde ornare verbis, tũ memoria comprehendere, ad extremum pronuntiare.

Inuentio. *Inuentio eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant.*

Diſpoſitio. *Diſpoſitio eſt rerum inuentarum in ordinem diſtributio.*

Elocutio. *Elocutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio.*

Memoria. *Memoria eſt firma animi rerum, ac verborum, & ordinis perceptio, atque cuſtodia.*

Actio. *Actio eſt ex rerum, & verborum, dignitate pronuntiatio, & corporis, & vocis moderatio.* Omnis ſermo, quo voluntas enuntiatur, rem habet, atque verba, in quibus eſt inuẽtio; qui ſi longior eſt, multa

exigit. Refert enim quid, quomodo, & quo dicas loco. Proinde opus eſt diſpoſitione. Nec omnia, quæ res poſtulat, verbis formata dici, nec ſuo quæq; loco ſine auxilio memoriæ promi poſſunt: & hæc corrũpit, & perdit, indecora vel voce, vel geſtu, pronũtiatio. Quidam tres tantùm partes primas, quod reliquæ ſint naturæ munera, volũt eſſe. Alij ſextam addunt iudicium, & inuentioni ſubnectũt; quod primum ſit inuenire, deinde iudicare: ſed re vera partibus omnibus permixtum eſt. Nec inueniſſe credendus eſt, qui non iudicauit, aut in delectu inuẽtarum rerum adhibuit iudicium, cuius expertes eſſe nõ poſſunt diſpoſitio, elocutio, & memoria, & ſcita pronuntiatio. Hinc apparet, eloquentiam rem eſſe vnam omnium difficillimam. Quibus enim rebus conſtare dicitur; earum vnaquæque eſt ars ipſa magna per ſeſe. Quamobrem quinque artium concurſus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeat, exiſtimari poteſt. Hæc enim ſingula iuuari, perficique certum eſt, naturæ, ar-

tis,exercitationiſque muneribus. Nam & animi, & ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque ſint vberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni, quæ ars, nec inſerere, nec donare, iuuare forſan poteſt. His accedant neceſſe eſt, quæ cum ipſo naſcuntur homine, linguæ ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, quædam conformatio, & figura totius oris, & corporis. Sunt enim quidam, aut ita lingua hæſitantes, aut voce abſoni, aut vultu, motuque corporis vaſti, aut agreſtes, vt etiamſi ingeniis, & arte valeant: tamen in oratorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam, ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati: vt non nati, ſed ab aliquo deo ficti videantur. Magnum quoddam eſt onus, atque munus ſuſcipere, atq; profiteri ſe, omnibus ſilẽtibꝰ, vnũ, maximis de rebus, magno in cõuẽtu hominũ audiẽdũ. Adeſt enĩ ferme nemo, quin acutius, atq; acrius vitia in dicente, quam recta videat. Ita quidquid eſt, in quo offenditur, id etiã

illa, quæ laudanda ſunt, obruit. Sed inſitam animo vim quiſque adoleſcentum expromat, & in hæc intendat ſtudia, vel, quæ multis eſt honori, mediocritatem eloquentiæ aſſecuturus.

AB his naturæ, & induſtriæ muneribus inſtructus orator ſtudium, atque curam conferet, ad ſtructuram orationis, quam inſtrumentum ſuum, & opus eſſe oportere intelligit. *Orationem*, vt commodè vtilitérque inſtituat, argumentum animo pertractabit; &, ſi ſuppetat ratio perfectionis, *partibus ſenis conficiet, & pertexet, exordio, narratione, propoſitione, confirmatione, confutatione, peroratione. Exordium præparat auditoris animum. Narratio rem geſtam exponit. Propoſitio ſummam cauſæ complectitur. Confirmatio rationes, & argumenta profert, quibus fidem faciat. Confutatio aduerſaria refellit, ne noſtris fidem detrahant. Peroratio artificiosè finit orationem.* Has partes natura monſtrauit, & hunc ordinem ſeruari iubet; vt antequam de re propoſita dicamus, initio concilientur animi eorũ, qui audiunt: deinde res, atque negotium exponatur: exin controuerſia conſti-

Partes orationis ſex. *Exordium.* *Narratio.* *Propoſitio.* *Confirmatio* *Confutatio.* *Peroratio.*

conſtituatur:tum, quod volumus, confirmetur: Deinceps, quæ contra dici poſſunt, refellantur: Extrema oratione, quæ pro nobis faciunt, amplificentur, & auditor promoueatur. Exordium, & concluſio propriè animos auditorum afficiunt; illud leuiter conciliat, hæc vehementius permouet. Confirmatio, & confutatio docent, & cauſam probant, ad quas viam muniunt narratio, & propoſitio. *In partium ſingularum inuentionis exactum examen intendet orator, & cùm reperit, de quo dicturus eſt, eius naturam, vim, partes, coniuncta, contraria: atque ex argumenti perſpecta natura, orationis partes, earũque tractationem conferet, & quas vel adhibendas, vel omittendas putet, cognoſcet. Cùm autem ei non tantum ſit ſufficiendum, vt fidem faciat: ſed etiam conciliet, moueat, ſingularum partium plures, & proprios habebit locos, & quaſi notas, quarum admonitu materiam dicẽdi paret, & quid in vnaquaque orationis parte requiratur, intelliget. Sunt enim alij exordiorum, alij confirmationum, & perorationum loci.* Et ipſe orator ſui muneris non neſcius, non ſolùm docet: ſed inuenire ſimul ſtudet, quemadmodum motum

Inueniendi ſumma ratio.

eorum animis, quibus perſuadere contendit, afferat: eoſque vel ad iram, aut odium, & huius rationis perturbationes concitet: vel ab his permotionibus, ad lenitatem, tranquillitatemque reuocet. Hæc omnia demonſtraturus, exordij naturam primum oſtendo.

9. *Exordij tractatio.* *EXordium eſt orationis initium, quo præparatur auditoris animus, ad amicè, attentè, & diligenter reliquam dictionem audiendum. Tribus verbis, tres fines, ſiue partes, quibus perfectum conſtat exordium, demõſtro, beneuolentiam, docilitatem, attentionem.* Etenim auditor his cõciliatur modis, qui, ſi attendit, ſi, quæ dicuntur, intelligit, & bono eſt animo erga oratorem, perſuaderi facile poteſt. Fides enim amorem ſequitur, nec approbare quicquam auditor poteſt, quod non norit: nec cognoſcit, niſi attendat. Nec eſt ſatis attẽdere; niſi res dilucidè, palamque proponatur. quod perficit orator in docilitatis negotio, cùm proponit, & partitur id, de quo dicendum. Qui verò aut alienata voluntate eſt, aut, qui non intelligit, argumentum, aut argumẽti partes: qui non attendit, neque vt intelligat,

laborat; fruſtra ſolicitatur ab oratore. Sicut enim beneuolentia adiungit animum auditoris oratori: ſic docilitas erudit; quæ propoſitis, diuiſiſque argumẽti partibus, totius negotij ſpeciem in ipſo ingreſſu orationis primo exhibet, & attentio excitat, & erigit ad audiendum, & ſperandum.

Beneuolentia captatur à perſonis, à rebus, ab adiunctis perſonarum, & rerum. Cõſiderantur, & dicendi copiam ſufficiunt exprõptam, quatuor perſonæ; noſtra, ſiue oratoris, ſiue ſcriptoris: clientis noſtri, ſiue rei, pro quo agimus, aut ſcribimus: aduerſarij, ſiue actor ſit, ſiue accuſator, contra quem agimus, cõſultamus, ſcribimus: auditoris, ſiue iudicis, apud quem, id conamur, vt perſuadeamus, eumque voluntate ſimilem nobis efficiamus. Præcepta nãque conciliandæ voluntatis auditorũ dantur propter animos prauè affectos; qui, quod odio, inuidia, cupiditate, metu laborant; aut conceptam voluptatem, aut opinionem falſam pertinaciter retinent, à nobis ſunt alieni. Nam ſi conciliatus auditor, ſi res non eget præparatione, ſi boni iudices ſunt, ſi tempus anguſtum eſt, non adhibetur exordium. 10.

Beneuolẽtia tres loci.

Perſonæ in exordiis quatuor.

11. *Perſona oratoris ſpectãda in beneuolentia.*

A Perſona noſtra fauorem inueniemus, aut efficiemus in auditore, ſi noſtrum officium ſine arrogantia commemoremus. Nam auditor faſtum odit, modeſtiam amat: eum, qui facit officium beneuolentia complectitur: qui non facit, aut inuadit alienum, auerſatur. *Si cauſam cognationis, neceſſitudinis, affinitatis, amicitiæ cum cliente, cum auditoribus, officio adiungamus noſtro: ſi publicæ vtilitatis ſtudium præferamus, ſi neceſſitatem, qua adigimur ad dicendũ oſtẽdamus, ſi negemus nos aut odio, aut maleuolentia in aduerſariũ ferri,* quod cùm faciemus, acriter & cõtumelioſè, ſed breuiter eũ perſtringemus. *Confitebimur etiã inimicitias, aut negabimus. Si faciamus, ne dicendi munus ambiiſſe videamur: ſi aliorum auctoritatem, qua adigimur ad dicendum: ſi inuitos, aut aliorum impulſu, rogatu, conſilio, fide adductos demonſtremus: ſi declinemus opinionem quæſtus faciendi, aut ſpem, & ſuſcepta ex cauſa periculum, damnum, malam gratiam, forſan & famæ, & rerum noſtrarũ iacturã metuamus. Fauebit auditor præcipuè, ſi nos magis publicæ dignitatis, & vtilitatis, quàm priuati commodi rationem habere intelligat: ſi quales in rempublicã, in populum, in auditores, in parentes, in amicos, fuerimus; ſi*

nos de iis omnibus bene meritos dicamus: & modeſtè animi noſtri virtutẽ exponamus, & commemoratione rerum noſtrarum nos probos eſſe demonſtremus. Si noſtra incommoda, quæ voluptatem inimicis afferant, inopiam, metum, ſolitudinem, calamitatem, vt honoris, & rerum iacturam; ſi quæ nobis obſunt, aut perturbationem iniiciunt, referamus: ſi rogemus auditores, vt ſint nobis auxilio. Quod, quia modeſtiæ, & humanitatis noſtræ eſt, perplacet: *ſi in iis tantum ſpem nos habere confirmemus. Si noſtrum ingenium, & dicendi facultatem extenuemus: & eadem in aduerſariis extollamus, & iudici ſuſpecta reddamus, vt magna, quibꝰ impares, aut obnoxium iudicẽ videri velimus.* Eſt enim naturalis fauor erga laborantes, & iudex religioſus libentiſſimè patronum audit, quem iuſtitiæ ſuæ minimè timet. *Si cauſæ bonitatem, & æquitatem cõmẽdemus, qua freti potius, & auditorum beneuolentia, quàm noſtra eloquentia videamur. Hic ſpem, & fiduciam oſtentabimus. Litium fugitantes nos eſſe, & inſolentes, & patientes iniuriarum exiſtimari prodeſt: aut conſtanter cum improbis decertaſſe. Prodeſt & hîc commemoratio facinoris præclari, aut caſus grauioris, præci-*

puè pro republica. Eſt vtile paucis intenta crimina, vel iniectas ſuſpiciones diluere.

12. HIs tam multis modis deſcendat animo, & iudicio, in perſonam ſuam orator, & ſingula exploret, atque comprehendat, quæ fauori, & gratiæ conciliandæ idonea putat. *Promerebitur* enim *voluntates auditorum, ſi boni viri, & æqui concitarit opinionem. Atque id facilè cōſequetur, ſi ad agēdum ex officio venerit, pro neceſſariis, pro bene meritis; ſi pietate, voluntate gratificandi, ſtudio in rempublicam, miſericordia in calamitoſos. Gratiam meretur oratoris dignitas, & eorum, quos defendit, bona exiſtimatio, innocētia morū, infirmitas, ſexus, ætatis, valetudinis.* Hic liberius de aliis, quàm de ſe, licebit oratori prædicare: modò abſit inuidioſa comparatio. *Si auctoritatem ſuam tueri velit, id aget cum pudoris aliqua ſignificatione, & diſſimulatione eloquentiæ, virtuteſque ſuas extenuabit, & eaſdem tribuet vel iiſdem ipſis adiutoribus, aut deo, quorum beneficiis, & muneribus in aliorum vtilitates potius, quàm ſua commoda ſit vſus. Si quid vnquam vel dicendo, vel cogitādo, vel agēdo effecerit; dicet plus in his voluiſſe, quàm præſtitiſſe: laudē, honores, commoda,*

ſi quæ adeptus ſit, ipſis auditoribus, eorumque gratiæ referet accepta. Tota oratione ſic pudorem præferet, & modeſtiam voce, & vultu: vt non ſponte ſua, ſed inuitum loqui ea de re appareat. Aut certè orationem in aduerſarium ſic conuertet; vt indignatio magis, quàm diſputatio videatur. vt, Hæc aliquando diuorum immortalium numine, & optimorum hominum opibus effecimus: quæ, ſi cum dedecorum tuorum infamia ſempiterna conferantur, laudis aliquantum ſunt habitura. Orator enim ſeipſum laudare cum gratia non poteſt, niſi coactus, vel conuerſus in aduerſarium. Odit enim iudex mentis ſecuritatem, & confidentiam: & cùm ius ſuum intelligat, tacitus reuerentiam poſtulat.

DEſignatis locis, quos inſpicere poteſt orator in rationibus ſuæ perſonæ, ex quibus vberrima ſeges argumentorum profunditur, *expendatur perſona clientis*, quæ arguitur, aut cuius de rebus agitur, & diſceptatur. Hæc ſæpe eadem eſt, cùm perſona oratoris, cuius & loci plerique poſſunt vſurpari, nonnunquam auditoris. Etenim *bonam ab* 13. *Perſona clientis.*

auditoribus gratiam inibit orator, ſi commendet eius virtutes, prudentiam, probitatem, fortitudinem, modeſtiam, earumque officia, quibus virum, & conſilijs profuiſſe, aut præſtanti eruditione floruiſſe. Deinde virum probum, & liberalem, ſtudiũ in bonos, in auditores, in rempublicam, pericula, quæ obierit publicæ ſalutis, atque dignitatis cauſa, breuiter doceat. Si addat priſtinas fortunæ florentis opes, præſentem calamitatem, infirmitatem, vel animi, vel ætatis, vel cõditionis, veluti ſi propter inopiam amicorum ſit oppreſſus: ſi ſenex, ſi pauper, pupillus, mutus, cæcus, valetudinarius, fœmina, vidua. Miſerabilem enim cliẽtis, aut noſtrum exitum oſtendemus, ſi vincamur: ſuperbum autem aduerſariorũ, ſi ſuperent. Hic pro honeſtis dignitatem auditoris; pro humilibus, iuſtitiam; pro infelicibus, miſericordiam; pro læſis, ſeueritatem optabimus.

14. *Perſona aduerſarij.* PAucis perſonam clientis per ſuos traduxi locos: aduerſarius deinceps in medium veniat. Sicut enim cliẽtis aſpectu, & rebus præclaris, aut incõmodis flectimus auditoris animum noſtras in partes: ita commemoratis omnibus, quæ illaudata ſunt, ſatagimus ex ad-

uerſarij incommodis noſtra commoda comparare. Nam iudicium auditoris ſic mutare contendimus, vt propitium, & ſecundum habeamus: & aduerſarius inimicum, & aſperũ ſentiat. Et ſanè iudex iis, quos attentius audit, etiã facilius credit. Hic aduerſarius eſt, & is, contra quẽ agitur, & orator, qui eius defẽdit causã. *Ad u ngemus cauſæ noſtræ, & nobis auditores, ſi ea commemoremus de aduerſario, quibus conflari poteſt odium, inuidia, contemptus in animis iudicum.* Tres affectus ſunt potentiſſimi iudicum animis alienandis, & ſuis cientur, & propriis cauſis; odium vitiis; inuidia felicitate fortunæ; contemptus inertia. Odimus enim ſceleſtos; diuitibus, & fortunatis inuidemus; ignauos, & deſides deſpicimus. Odium ſiquidem tractamus propriè commemoratione rerum malarum in aduerſario; ſicut inuidiam felicitatis demonſtratione.

IN odium adducimus aduerſarium, ſi ſuperbiam, crudelitatem, perfidiam, malitiam, flagitium, improbitatem, confidentiam, auctoritatem, quæ nos offendat, libidinem, intemperantiam, amentiam, furorem, barbariem, 15. *Odium cõmouetur.*

ciem aliorum,ob oculos proponat. Hęc,ſi honeſtis artibus conſecuti videbuntur,iis, impotenter gloriari, & ſe iactare, non virtute niti, dicet. Etenim ſi potentiam, aut maiorum virtute principatum cōparatum, aut opes gentis antiquas oſtendamus, eo formidandas dicemus; quod aduerſarius non maiorum decus referat;ſed ſolas imagines, & alienæ virtutis ſigna:aut ſi nuper ditatus, & inuſitatis familiæ honoribus excultus, nullum rebus ſuis modum facere,at nocere multis, & periculum creare. Mouent auditores nobilitati coniuncta ſemper auctoritas, & amicorum potentes, fauenteſque numeri: & factionum in factiones infeſta ſemper ſtudia, & reipublicæ nunquam ſalutaria; diuitiæ, quæ largitionibus inexhauſtæ ſuppetunt, & opibus nouis adiungendis apertæ ſunt; incontinens honorum appetitus, illuſtrium,& potentium hoſpitum, qui ſanctiſſimè deuinciuntur hoſpitibus,fauor: clientes,qui velut dominis ſerui,adſunt, & honori patronorum impensè ſtudent: his adiunguntur,quæ connubiis coaleſcunt affinitates familiarum ex-

cellentium cum nobilibus, & multis familiis, datis, accitiſque nuptum virginibus principalibus, quæ nuſquam ſanguinis obliuiſcuntur, & odia inueterata extingunt amorum pellaciſſimorum blandimentis. Nec gratiæ, & eloquentiæ vis eſt tenuior. Poteſt & laudari actor, & quo conſilio accuſationem ſuſceperit, commemorari.

AVditor contemnet aduerſarium, ſi audiat proferri eius inertiam, deſidiam, ignauiam, luxuriam, otium, negligentiam: ſi aut nulla, aut parua corporis, animi, fortunæ bona in aduerſario eſſe ſentiat: aut ſi magna ſint, iis nec ſibi, nec aliis prodeſſe: ſi ſtultitiam, inconſtantiam, & cætera vitia animi, quæ ineſſe videbuntur. Deinde corporis deformitatem, virium imbecillitatem, tarditatem; & fortunæ mala, ignobilitatem generis, paupertatem, amicorum penuriam, & auxiliorum, quæ aduerſariis obiici poſſunt: ſi ſuperbi ſunt, & inſolentes, & maiora ſe, & ſuis aggrediantur viribus. Contemnit & auditor, ſi rem paruam agi, non ſuam, doloris efficientem intelligat. 17. *Contemptus.*

exigit. Refert enim quid, quomodo, & quo dicas loco. Proinde opus eſt diſpoſitione. Nec omnia, quæ res poſtulat, verbis formata dici, nec ſuo quæq; loco ſine auxilio memoriæ promi poſſunt: & hæc corrũpit, & perdit, indecora vel voce, vel geſtu, pronũtiatio. Quidam tres tantùm partes primas, quod reliquæ ſint naturæ munera, volũt eſſe. Alij ſextam addunt iudicium, & inuentioni ſubnectũt; quod primum ſit inuenire, deinde iudicare: ſed re vera partibus omnibus permixtum eſt. Nec inueniſſe credendus eſt, qui non iudicauit, aut in delectu inuẽtarum rerum adhibuit iudicium, cuius expertes eſſe nõ poſſunt diſpoſitio, elocutio, & memoria, & ſcita pronuntiatio. Hinc apparet, eloquentiam rem eſſe vnam omnium difficillimam. Quibus enim rebus conſtare dicitur; earum vnaquæque eſt ars ipſa magna per ſeſe. Quamobrem quinque artium concurſus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeat, exiſtimari poteſt. Hæc enim ſingula iuuari, perficique certum eſt, naturæ, ar-

tis,exercitationiſque muneribus.Nam & animi, & ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque ſint vberes, & ad memoriam firmi,atque diuturni, quæ ars,nec inſerere, nec donare, iuuare forſan poteſt. His accedant neceſſe eſt, quæ cum ipſo naſcuntur homine, linguæ ſolutio, vocis ſonus,latera,vires, quædam conformatio, & figura totius oris, & corporis. Sunt enim quidam, aut ita lingua hæſitantes, aut voce abſoni, aut vultu, motuque corporis vaſti, aut agreſtes, vt etiamſi ingeniis, & arte valeant: tamen in oratorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam, ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati: vt non nati, ſed ab aliquo deo ficti videantur. Magnum quoddam eſt onus, atque munus ſuſcipere,atq; profiteri ſe,omnibus ſilētibꝰ,vnū, maximis de rebus,magno in cōuētu hominū audiēdū. Adeſt enī ferme nemo, quin acutius, atq; acrius vitia in dicente,quam recta videat. Ita quidquid eſt,in quo offenditur,id etiā

illa, quæ laudanda ſunt, obruit. Sed inſitam animo vim quiſque adoleſcentum expromat, & in hæc intendat ſtudia, vel, quæ multis eſt honori, mediocritatem eloquentiæ aſſecuturus.

AB his naturæ, & induſtriæ muneribus inſtructus orator ſtudium, atque curam conferet, ad ſtructuram orationis, quam inſtrumentum ſuum, & opus eſſe oportere intelligit. *Orationem*, vt commodè vtilitérque inſtituat, argumentum animo pertractabit; &, ſi ſuppetat ratio perfectionis, *partibus ſenis conficiet, & pertexet, exordio, narratione, propoſitione, confirmatione, confutatione, peroratione.* *Exordium præparat auditoris animum. Narratio rem geſtam exponit. Propoſitio ſummam cauſæ complectitur. Confirmatio rationes, & argumenta profert, quibus fidem faciat. Confutatio aduerſaria refellit, ne noſtris fidem detrahant. Peroratio artificiosè finit orationem.* Has partes natura monſtrauit, & hunc ordinem ſeruari iubet; vt antequam de re propoſita dicamus, initio concilientur animi eorũ, qui audiunt: deinde res, atque negotium exponatur: exin controuerſia conſti-

Partes orationis ſex. *Exordium.* *Narratio.* *Propoſitio.* *Confirmatio* *Confutatio.* *Peroratio.*

conſtituatur:tum, quod volumus, confirmetur: Deinceps, quæ contra dici poſſunt,refellantur:Extrema oratione, quæ pro nobis faciunt, amplificentur, & auditor promoueatur.Exordium,& concluſio propriè animos auditorum afficiunt; illud leuiter conciliat, hæc vehementius permouet. Confirmatio, & confutatio docent, & cauſam probant, ad quas viam muniunt narratio,& propoſitio. *In partium ſingularum inuentionis exactum examen intendet orator, & cùm repererit,de quo dicturus eſt,eius naturam, vim, partes, coniuncta, contraria: atque ex argumenti perſpecta natura, orationis partes, earũque tractationem conferet, & quas vel adhibendas, vel omittendas putet, cognoſcet. Cùm autem ei non tantum ſit ſufficiendum,vt fidem faciat:ſed etiam conciliet, moueat, ſingularum partium plures, & proprios habebit locos, & quaſi notas, quarum admonitu materiam dicẽdi paret, & quid in vnaquaque orationis parte requiratur, intelliget. Sunt enim alij exordiorum, alij confirmationum, & perorationum loci.* Et ipſe orator ſui muneris non neſcius, non ſolùm docet: ſed inuenire ſimul ſtudet, quemadmodum motum

Inueniendi ſumma ratio.

eorum animis, quibus perſuadere contendit, afferat: eoſque vel ad iram, aut odium, & huius rationis perturbationes concitet: vel ab his permotionibus, ad lenitatem, tranquillitatemque reuocet. Hæc omnia demonſtraturus, exordij naturam primum oſtendo.

9. *Exordij tractatio.* *EXordium eſt orationis initium, quo præparatur auditoris animus, ad amicè, attentè, & diligenter reliquam dictionem audiendum. Tribus verbis, tres fines, ſiue partes, quibus perfectum conſtat exordium, demõſtro, beneuolentiam, docilitatem, attentionem.* Etenim auditor his cõciliatur modis, qui, ſi attendit, ſi, quæ dicuntur, intelligit, & bono eſt animo erga oratorem, perſuaderi facile poteſt. Fides enim amorem ſequitur, nec approbare quicquam auditor poteſt, quod non norit: nec cognoſcit, niſi attendat. Nec eſt ſatis attẽdere; niſi res dilucidè, palamque proponatur. quod perficit orator in docilitatis negotio, cùm proponit, & partitur id, de quo dicendum. Qui verò aut alienata voluntate eſt, aut, qui non intelligit, argumentum, aut argumẽti partes: qui non attendit, neque vt intelligat,

laborat; fruſtra ſolicitatur ab oratore. Sicut enim beneuolentia adiungit animum auditoris oratori: ſic docilitas erudit; quæ propoſitis, diuiſisque argumẽti partibus, totius negotij ſpeciem in ipſo ingreſſu orationis primo exhibet, & attentio excitat, & erigit ad audiendum, & ſperandum.

Beneuolentia captatur à perſonis, à rebus, ab adiunctis perſonarum, & rerum. Cõſiderantur, & dicendi copiam ſufficiunt exprõptam, quatuor perſonæ; noſtra, ſiue oratoris, ſiue ſcriptoris: clientis noſtri, ſiue rei, pro quo agimus, aut ſcribimus: aduerſarij, ſiue actor ſit, ſiue accuſator, contra quem agimus, cõſultamus, ſcribimus: auditoris, ſiue iudicis, apud quem, id conamur, vt perſuadeamus, eumque voluntate ſimilem nobis efficiamus. Præcepta nãque conciliandæ voluntatis auditorũ dantur propter animos prauè affectos; qui, quod odio, inuidia, cupiditate, metu laborant; aut conceptam voluptatem, aut opinionem falſam pertinaciter retinent, à nobis ſunt alieni. Nam ſi conciliatus auditor, ſi res non eget præparatione, ſi boni iudices ſunt, ſi tempus anguſtum eſt, non adhibetur exordium.

10. *Beneuolẽtiæ tres loci.* *Perſonæ in exordiis quatuor.*

11. *Perſona oratoris ſpectāda in beneuolentia.*

A Perſona noſtra fauorem inueniemus, aut efficiemus in auditore, ſi noſtrum officium ſine arrogantia commemoremus. Nam auditor faſtum odit, modeſtiam amat: eum, qui facit officium beneuolentia complectitur: qui non facit, aut inuadit alienum, auerſatur. *Si cauſam cognationis, neceſſitudinis, affinitatis, amicitiæ cum cliente, cum auditoribus, officio adiungamus noſtro: ſi publicæ vtilitatis ſtudium præferamus, ſi neceſſitatem, qua adigimur ad dicendũ oſtẽdamus, ſi negemus nos aut odio, aut maleuolentia in aduerſariũ ferri,* quod cùm faciemus, acriter & cõtumelioſè, ſed breuiter eũ perſtringemus. *Confitebimur etiã inimicitias, aut negabimus. Si faciamus, ne dicendi munus ambiiſſe videamur: ſi aliorum auctoritatem, qua adigimur ad dicendum: ſi inuitos, aut aliorum impulſu, rogatu, conſilio, fide adductos demonſtremus: ſi declinemus opinionem quæſtus faciendi, aut ſpem, & ſuſcepta ex cauſa periculum, damnum, malam gratiam, forſan & famæ, & rerum noſtrarũ iacturã metuamus. Fauebit auditor præcipuè, ſi nos magis publicæ dignitatis, & vtilitatis, quàm priuati commodi rationem habere intelligat: ſi quales in rempublicã, in populum, in auditores, in parentes, in amicos, fuerimus; ſi*

nos de iis omnibus bene meritos dicamus: & modeſtè animi noſtri virtutẽ exponamus, & commemoratione rerum noſtrarum nos probos eſſe demonſtremus. Si noſtra incommoda, quæ voluptatem inimicis afferant, inopiam, metum, ſolitudinem, calamitatem, vt honoris, & rerum iacturam; ſi quæ nobis obſunt, aut perturbationem iniiciunt, referamus: ſi rogemus auditores, vt ſint nobis auxilio. Quod, quia modeſtiæ, & humanitatis noſtræ eſt, perplacet: *ſi in iis tantum ſpem nos habere confirmemus. Si noſtrum ingenium, & dicendi facultatem extenuemus: & eadem in aduerſariis extollamus, & iudici ſuſpecta reddamus, vt magna, quib⁹ impares, aut obnoxium iudicẽ videri velimus.* Eſt enim naturalis fauor erga laborantes, & iudex religioſus libentiſſimè patronum audit, quem iuſtitiæ ſuæ minimè timet. *Si cauſæ bonitatem, & æquitatem cõmẽdemus, qua freti potius, & auditorum beneuolentia, quàm noſtra eloquentia videamur. Hic ſpem, & fiduciam oſtentabimus. Litium fugitantes nos eſſe, & inſolentes, & patientes iniuriarum exiſtimari prodeſt: aut conſtanter cum improbis decertaſſe. Prodeſt & hîc commemoratio facinoris præclari, aut caſus grauioris, præci-*

puè pro republica. Eſt vtile paucis intenta crimina, vel iniectas ſuſpiciones diluere.

12. HIs tam multis modis deſcendat animo, & iudicio, in perſonam ſuam orator, & ſingula exploret, atque comprehendat, quæ fauori, & gratiæ conciliandæ idonea putat. *Promerebitur* enim *voluntates auditorum, ſi boni viri, & æqui concitarit opinionem. Atque id facilè cōſequetur, ſi ad agēdum ex officio venerit, pro neceſſariis, pro bene meritis; ſi pietate, voluntate gratificandi, ſtudio in rempublicam, miſericordia in calamitoſos. Gratiam meretur oratoris dignitas, & eorum, quos defendit, bona exiſtimatio, innocētia morū, infirmitas, ſexus, ætatis, valetudinis.* Hic liberius de aliis, quàm de ſe, licebit oratori prædicare: modò abſit inuidioſa comparatio. *Si auctoritatem ſuam tueri velit, id aget cum pudoris aliqua ſignificatione, & diſsimulatione eloquentiæ, virtuteſque ſuas extenuabit, & eaſdem tribuet vel iiſdem ipſis adiutoribus, aut deo, quorum beneficiis, & muneribus in aliorum vtilitates potius, quàm ſua commoda ſit vſus. Si quid vnquam vel dicendo, vel cogitādo, vel agēdo effecerit; dicet plus in his voluiſſe, quàm præſtitiſſe: laudē, honores, commoda,*

ſi quæ adeptus ſit, ipſis auditoribus, eorumque gratiæ referet accepta. Tota oratione ſic pudorem præferet, & modeſtiam voce, & vultu: vt non ſponte ſua, ſed inuitum loqui ea de re appareat. Aut certè orationem in aduerſarium ſic conuertet; vt indignatio magis, quàm diſputatio videatur. vt, Hæc aliquando diuorum immortalium numine, & optimorum hominum opibus effecimus: quæ, ſi cum dedecorum tuorum infamia ſempiterna conferantur, laudis aliquantum ſunt habitura. Orator enim ſeipſum laudare cum gratia non poteſt, niſi coactus, vel conuerſus in aduerſarium. Odit enim iudex mentis ſecuritatem, & confidentiam: & cùm ius ſuum intelligat, tacitus reuerentiam poſtulat.

DEſignatis locis, quos inſpicere poteſt orator in rationibus ſuæ perſonæ, ex quibus vberrima ſeges argumentorum profunditur, *expendatur perſona clientis*, quæ arguitur, aut cuius de rebus agitur, & diſceptatur. Hæc ſæpe eadem eſt, cùm perſona oratoris, cuius & loci plerique poſſunt vſurpari, nonnunquam auditoris. Etenim *bonam ab* 13. *Perſona clientis.*

auditoribus gratiam inibit orator, ſi commendet eius virtutes, prudentiam, probitatem, fortitudinem, modeſtiam, earumque officia, quibus virum, & conſiliis profuiſſe, aut præſtanti eruditione floruiſſe. Deinde virum probum, & liberalem, ſtudiũ in bonos, in auditores, in rempublicam, pericula, quæ obierit publicæ ſalutis, atque dignitatis cauſa, breuiter doceat. Si addat priſtinas fortunæ florentis opes, præſentem calamitatem, infirmitatem, vel animi, vel ætatis, vel cõditionis, veluti ſi propter inopiam amicorum ſit oppreſſus: ſi ſenex, ſi pauper, pupillus, mutus, cæcus, valetudinarius, fœmina, vidua. Miſerabilem enim cliẽtis, aut noſtrum exitum oſtendemus, ſi vincamur: ſuperbum autem aduerſariorũ, ſi ſuperent. Hic pro honeſtis dignitatem auditoris; pro humilibus, iuſtitiam; pro infelicibus, miſericordiam; pro læſis, ſeueritatem optabimus.

14. *Perſona aduerſarij.* PAucis perſonam clientis per ſuos traduxi locos: aduerſarius deinceps in medium veniat. Sicut enim cliẽtis aſpectu, & rebus præclaris, aut incõmodis flectimus auditoris animum noſtras in partes: ita commemoratis omnibus, quæ illaudata ſunt, ſatagimus ex ad-

uerſarij incommodis noſtra commoda comparare. Nam iudicium auditoris ſic mutare contendimus, vt propitium, & ſecundum habeamus: & aduerſarius inimicum, & aſperū ſentiat. Et ſanè iudex iis, quos attentius audit, etiā facilius credit. Hic aduerſarius eſt, & is, contra quē agitur, & orator, qui eius defēdit causā.

Adungemus cauſæ noſtræ, & nobis auditores, ſi ea commemoremus de aduerſario, quibus conflari poteſt odium, inuidia, contemptus in animis iudicum. Tres affectus ſunt potentiſſimi iudicum animis alienandis, & ſuis cientur, & propriis cauſis; odium vitiis; inuidia felicitate fortunæ; contemptus inertia. Odimus enim ſceleſtos; diuitibus, & fortunatis inuidemus; ignauos, & deſides deſpicimus. Odium ſiquidem tractamus propriè commemoratione rerum malarum in aduerſario; ſicut inuidiam felicitatis demonſtratione.

IN odium adducimus aduerſarium, ſi ſuperbiam, crudelitatem, perfidiam, malitiam, flagitium, improbitatem, confidentiam, auctoritatem, quæ nos offendat, libidinem, intemperantiam, amentiam, furorem, barbariem, 15. Odium cõmouetur.

petulantiam, conſilii præcipitationem accuſemus. Si demonſtremus ſuperbè, aut contumelioſè auctoritatem eorum, qui dignitate antecellunt, aut iudicium maiorum, concilij, auditorum, & parium fortunas, aut infimorum tenuitatẽ deſpicere: aut immaniter, aut atrociter facere ea, quæ hominum naturæ, & ſaluti ſunt inimica: ſi fidẽ, qua tenẽtur patriæ, principibus, propinquis, & cæteris, quibus officium debent, aut negligere, aut violare: ſi verſutos, & fallaces eſſe, & fraudibus, & dolis inniti in omnem rationem nocendi: cum turpitudine, atque dedecore coniuncta flagitia deſignaſſe: ſi violenter, quos tueri debuerant, aut nulla lædere iniuria, vexaſſe, aut afflixiſſe: ſi quid confidenter, & impudenter, & audacter feciſſe: ſi pudorẽ neglexiſſe, ſi ſe contaminaſſe impuritate libidinũ: inimicè & conſultò intuliſſe damnũ immerẽtibus: ſi immoderatã, & velut exploratam in ſpem cupiditatis explendæ incumbere: ſi honeſtis rebus comparatam authoritatem ad iniqua, & iniuſta conferant: intemperanter voluptatibus corrumpi, aut per nefas, & in-

iuriam honores adipiſci, doceamus. Sed hîc caueat orator, ne contumelioſus, ne ſuperbus, ne maledicus, aut durus in quemquam hominem, aut ordinem, ne odio potius, & inuidia, quàm veritatis amore, ea profudiſſe videatur. Nam vitiorum commemorationem multi, nec æquis animis, nec auribus ferunt: quin & commiſerationem idem mouet; & niſi ex moribus faciat fidem, non eſt ferendum. Sed conuitium potius abſit ab exordio, quàm probatione, in qua nec eſſe debebit. *Dicere poſſumus, & nos reipublicæ, vel eorum, quos accuſamus, commodo commoueri, ne licentia efferantur: ne ſe, ne exiſtimationem ſuam perditum eant: aut, ſi prius affecti iniuriis, ab iis iuſtam poſcemus vindictam. Non eſt abs re, nos ſimplices dicere, infirmos, fortunis impares, corpore, conditionibus, à cautis, potentibus, eloquentibus, gratioſis aduerſariis circumueniri non oportere.*

16. *Inuidia cõflatur.*

FAciet ad hæc orator, vt auditores inuideant aduerſariis: ſi eorum nimiam potẽtiam, opes, nobilitatem, copias amicorum, factionem, diuitias, incontinentiam, hoſpitia, clientelas, affinitates, eloquentiam, gratiam, quibus velut adiumentis confidant in perni-

ciem aliorum,ob oculos proponat. Hęc,ſi honeſtis artibus conſecuti videbuntur,iis, impotenter gloriari, & ſe iactare, non virtute niti, dicet. Etenim ſi potentiam, aut maiorum virtute principatum cõparatum, aut opes gentis antiquas oſtendamus, eo formidandas dicemus; quod aduerſarius non maiorum decus referat;ſed ſolas imagines, & alienæ virtutis ſigna:aut ſi nuper ditatus, & inuſitatis familiæ honoribus excultus, nullum rebus ſuis modum facere,at nocere multis, & periculum creare. Mouent auditores nobilitati coniuncta ſemper auctoritas, & amicorum potentes, fauenteſque numeri: & factionum in factiones infeſta ſemper ſtudia, & reipublicæ nunquam ſalutaria; diuitiæ, quæ largitionibus inexhauſtæ ſuppetunt, & opibus nouis adiungendis apertæ ſunt; incontinens honorum appetitus, illuſtrium,& potentium hoſpitum, qui ſanctiſſimè deuinciuntur hoſpitibus,fauor: clientes,qui velut dominis ſerui,adſunt, & honori patronorum impensè ſtudent: his adiunguntur, quæ connubiis coaleſcunt affinitates familiarum ex-

cellentium cum nobilibus, & multis familiis, datis, accitiſque nuptum virginibus principalibus, quæ nuſquam ſanguinis obliuiſcuntur, & odia inueterata extingunt amorum pellaciſſimorum blandimentis. Nec gratiæ, & eloquentiæ vis eſt tenuior. Poteſt & laudari actor, & quo conſilio accuſationem ſuſceperit, commemorari.

AVditor contemnet aduerſarium, ſi audiat proferri eius inertiam, deſidiam, ignauiam, luxuriam, otium, negligentiam: ſi aut nulla, aut parua corporis, animi, fortunæ bona in aduerſario eſſe ſentiat: aut ſi magna ſint, iis nec ſibi, nec aliis prodeſſe: ſi ſtultitiam, inconſtantiam, & cætera vitia animi, quæ ineſſe videbuntur. Deinde corporis deformitatem, virium imbecillitatem, tarditatem; & fortunæ mala, ignobilitatem generis, paupertatem, amicorum penuriam, & auxiliorum, quæ aduerſariis obiici poſſunt: ſi ſuperbi ſunt, & inſolentes, & maiora ſe, & ſuis aggrediantur viribus. Contemnit & auditor, ſi rem paruam agi, non ſuam, doloris efficientem intelligat. 17. *Contemptus.*

18. *Perſona auditorum.* A*D auditores* iam porro veniamus. *nam fauorem nobis impertientur ſuũ: ſi nos ſuæ vtilitati, & exiſtimationi, & auctoritati ſtudere credant: ſi ſe citra adulationem laudari; commemoratis iis, quæ ſapienter, iuſtè, fortiter, magnificè, manſuetè, geſſerunt. Hæc auditorum laus, erit propria virtutum prædicatio, prudentiæ, iuſtitiæ, fidei, religionis, liberalitatis, clementiæ, fortitudinis, temperãtiæ, ſtudij, aut egregiæ voluntatis in amicos, in rempublicam, in miſeros. Si dicamus, quæ ſit eorum iudicij, aut concilij expectatio: ſi eorũ vtilitatem, ſalutem, commoda, gloriam expeti oſtendamus. Si metum illis incutiamus periculorum, aut propriorum, aut communium: ſi eos compellemus propriis nominibus, aut officij, aut dignitatis, aut naturæ. Poſſunt & hic tempeſtiuè laudari bona corporis eorum, & fortunæ, quibus intelligant ſe moderatè extolli, reipublicæ, amicis, & bonis vtiles haberi.* Cæterum laudatio iudicis, & auditorũ accommodetur cauſæ: ſi concitare iram velimus, iuſtitiæ laudem edamus: ſi miſericordiam euocare, clementiæ. Hoc enim modo non aſſentatione fallimus auditores, ſed ornamus: vtque nos, & cauſam noſtram diligant, & attentius

audiant, & promptius credant iis, quæ dicimus, & credentes peragant, quæ ſuæ ſalutis, & aliorum intereſſe cognoſcunt, perficimus. Si amici ſint nobis auditores, plus apud eos poſſe dicemus æquitatem cauſæ, quàm odium, aut gratiam: ineptos iudices, & iniuſtos, ſæpe inimicis prodeſſe: iniuſtè agere, ne iniuſtè, amiceque agere videantur ſtulta quadam verecundia, & iniqua audacia. Sunt nonnunquam rerum ſuarum iudices; vt in defenſione Regis Deiotari, & crimine inſidiarum Cæſar. Hic aduerſarius iactat fiduciam ſuæ partis: patronus rei, timet cognoſcentis verecundiam. Detrahenda vel confirmanda opinio, ſi quam præcipuè domo videbitur iudex attuliſſe. Metus nonnunquã amouẽdus, vt Ciceroni de armis Pompeij in Miloniana: aliquando adhibendus in tuenda exiſtimatione iudicum, aut in publica ſalute. Mores iudicum, ſi fieri poſſit, cognoſcantur. Nam prout aſperi, lenes, iucundi, graues, duri erunt: aut aſſumere in cauſam, eorum naturas oportebit, aut mitigare. Si enim eorum mores noſtram cauſam oppugnent, le-

niendi ſunt contrariis affectibus: ſi offi- cit iracundia, clementiam: ſi crudelitas, miſericordiam opponemus: ſi pro læſis dicamus, ſeueritatem extollemus.

19. *A rebus capiatur beneuolentia.*

A *Rebus, & argumento, de quo agitur, vt faueat, inducitur auditor, ſi cauſam noſtram laudando extollamus, ſi æquam, ſi honeſtam, ſi vtilem, magnam, aut ſi parui criminis ſit actio; dicamus metuendum maius: & aduerſariorum, per contemptum deprimamus, ſi turpem, ſi incommodam, ſi periculoſam dicamus.* Hæc quoque attentionem parant, quæ ab ipſa cauſa ſumitur, ſicut & docilitas.

20. *Adiuncta quibus beneuolentia cõparetur.*

A*B adiunctis perſonarum, & rerum cõparatur beneuolentia à propinquitate, amicitia, regionibus, ciuitatibus, vt oſtendimus, à loco, tempore, opinione, fama iudiciorum, expectatione vulgi: ab dubitatione, ſolicitudine, admiratione, voto, inuocatione diuorum, abominatione, ab hiſtoria, exemplo, inopinato, dictis hominum, aut aduerſariorum, comparatione, auctoritate.* Apoſtrophe locum habet in exordio, Proſopopeia, Ironia, ſed raro. Multùm habet gratiæ, exordium cuius, materia ducitur ab aduerſariæ partis actione, quia nequaquã

domi

domi præparatũ,ſed ex re ſumptũ apparet, & ſua facilitate famam ingenij auget, & fidem facie ſimplicis, & ducti ex proximo ſermonis cõparat; efficitque, vt reliqua oratio non elaborata, ſed totã extemporalis videatur.

21. *Attentio.*

TAm multis expoſitas conciliandæ voluntatis auditorum præceptiones, *attentio altera pars exordij conſequatur.* Hæc commendatio eſt rei, & propoſitio non probandæ quæſtionis; ſed totius ſermonis noſtri, aut exitus, quaſi quædam ambitioſa venditatio. Sicut enim in beneuolentia caput eſt commendatio perſonæ: ita in attentione rei, vt talis eſſe videatur, qualem iudices libenter audituri ſint. Hæc eſt, quæ iudicem ad potentiſſimas quæſtiones præparat: non ſic tamen, vt exordio peragatur narratio. *Excitat animum, & adiungit audiendi ſpe, & diſcẽdi res magnas, nouas, præclaras, incredibiles, inuſitatas, terribiles, humanas, illuſtres, neceſſarias, diuinas, obſcuras, & difficiles, ſed fructuoſas, iucundas, decentes, & quæ ſint futuræ exemplo aliis, quæ pertinent ad auditores, ad omnes, aut illuſtres, aut deos, ad reum: ſi rogemus, vt at-*

tentè nos audiant. Licèt ſpem excitare, expectationem, admirationem, & metum ſæpe, ſi res pertineat ad exemplum præcipuè: ſi iudex, aut ſua vice, aut reipublicæ commouetur, cuius animus ſpe, metu, admiratione, precibus, vanitate denique, ſi profutura ſit, agitandus. Breuis principio mora, ſilentiumque, dicentis attentionem facit. Vt:

Finierat Telamone ſatus, vulgique ſecutum
Vltima murmur erat, donec Laertius heros
Aſtitit, atque oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres, expectatóque reſoluit Ora ſono.

Hæc quoque excitant, ſi nos nec diu moraturos, nec extra cauſam dicturos, exiſtiment auditores. Miſeratio hìc locum habet, ſi quid paßi ſumus graue, ſiue paſſuri. Sed in procemio, & ingreſſu parcius, & modeſtius tentãda eſt miſericordia iudicis: in peroratione licet totos effundere affectus, & fictam orationem induere perſonis, & defunctos excitare, & pignora eorũ producere, quæ minus exordiis vſitata. *Reddit quoque attentos, ſicut beneuolos audi-*

tores oratoris virtus, aut ſpectata, aut opinio excitata, dignitas, eruditio, iuſtitia, fortuna, auctoritas, amor ciuium, & patriæ, nobilitas, oratio apta, & ſuauis pronunciatio.

Docilitatem parabimus, ſi breuiter, & dilucidè ſummam rei, de qua dicturi ſumus, exponamus. Hæc enim complectitur totius cauſæ propoſitionẽ: vt, Nouum crimen, & ante hunc diem inauditum Quintus Tubero detulit Quintum Ligarium in Africa fuiſſe:]aut, ſi difficilis, aut multiplex ſit, vniuerſam diuiſionem. Certum mihi eſt, hanc diſtributionem inuidiæ, & criminum; ſic in defenſione ſeruare: vt omnes intelligant, nihil me vel ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. Declarat enim, & aperit capita cauſarum, non vt ea exponat, ac probet: ſed tantum vt conſtituat, & quaſi deſignet. Huius quippe modus eſſe debet ſimilior propoſitioni, quàm expoſitioni, nec quo modo quidque ſit actum, ſed de quibus orator ſit dicturus, oſtendat. Ex quo multis dicitur capitum conſtitutio. Et quemadmodum propoſitionum quædam fiunt non ſolùm capita in ſingulis

22. Docilitas.

exordiis, & ſtatibus, ſed etiam in ſingulis argumentis: ita & diuiſionum quædam eſt generalis totius orationis, aliæ particulares ſingularum quæſtionum, quæ renouant attentionem in confirmationibus, & ſimul docilitatem. Hic præterea quod officere noſtræ cauſæ videbitur, remoueamus ante omnia oportet. *Vtraque pars, & attentio, & docilitas hic maximè parantur.* Docilitas ſanè vel vna, quod propriũ eſt exordij opus, & maximè neceſſarium, finem oſtendit ipſum, cuius gratia inſtituitur oratio. Horum finium præceptis, vt nihil addã, hoc conſtare oportet: hos exordio parari, in quo remiſiſſimi ſunt, at omnium partium eſſe communes, in quibus retineri, & vehementius incitari debent: vt oratori nuſquam abſit auditor, & nunquam, donec perorarit. Partium & locorum exordij ſpecimen luculentius in expreſſo vnius exemplaris ſchemate *Cic. pro Deiotaro.* peruideatur. Cum in omnibus cauſſis grauioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoueri ſoleam vehementiùs, quã videtur vel vſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſa ita me multa pertur-

bant, vt quantum mea fides ſtudij mihi adferat ad ſalutem regis Deiotari defẽdendam, tantum facultatis timor detrahat. Primùm dico pro capite, fortuniſque regis, quod ipſum, etſi non iniquũ eſt, in tuo duntaxat periculo: tamen eſt ita inuſitatum regem capitis reum eſſe, vt ante hoc tempus non ſit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum ſenatu ſolebamus, pro perpetuis eius in noſtram remp. meritis, nunc cõtra atrociſſimũ crimẽ cogor defendere. Accedit, vt accuſatorũ alterius crudelitate, alteriꝰ indignitate perturber. Crudelis Caſtor, ne dicã ſceleratũ, & impiũ, qui nepos auũ in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæ ſuæ terrorẽ intulerit ei, cuius ſenectutẽ tueri & tegere debebat, cõmẽdationẽq; ineũtis ætatis ab impietate, & ſcelere duxerit, aui ſeruũ corruptũ præmiis ad accuſandũ dominũ impulerit, & à legatorũ pedibꝰ abduxerit. Fugitiui autẽ dominum accuſantis, & dominum abſentẽ, & dominum amiciſſimum noſtræ reipubl. cùm os videbam, cùm verba audiebam, nõ tam afflictam regiam cõditionẽ do-

lebam, quàm de fortunis communibus extimeſcebã. Nam cũ more maiorum de ſeruo in dominum, ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſit, etiã ab inuito: exortus eſt ſeruus, qui quem in eculeo appellare non poſſet, eum accuſet ſolutus. Perturbat me, C. Cæſar, etiam illud interdum: quod tamen, cũ te penitus recognoui, timere deſino: re enim iniquum eſt, ſed tua ſapientia fit æquiſſimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam conſilium facinoris iniſſe arguare, ſi per ſeipſum conſideres, graue eſt. Nemo enim fere eſt, qui ſui periculi iudex, non ſibi ſe æquiorem, quàm reo præbeat: ſed tua, C. Cæſar, præſtans ſingulariſque natura hunc mihi metum minuit. non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo, quid de te cæteros velis iudicare. Moueor etiam loci ipſius inſolentia, quod tantam cauſſam, quanta nulla vnquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequẽtiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent, in

tuis oculis,in tuo ore,vultuque acquieſco : te vnum intueor: ad te vnũ omnis mea ſpectat orátio . quæ mihi ad ſpem obtinendæ veritatis grauiſſima ſunt, ad motum animi, & ad omnem impetum dicendi , contentionemque leuiora. Hanc enim,C. Cæſar, cauſſam ſi in foro dicerem, eodem audiente, & diſceptãte te, quantam mihi alacritatem pop. Rom.concurſus adferret? quis enim ciuis ei regi non faueret, cuius omnem ætatem in pop. Romani bellis conſumptam eſſe meminiſſet? ſpectarem curiã, intuerer forum, cœlum denique teſtarer ipſum:ſic,cum & deorum immortalium, & populi Romani, & ſenatus beneficia in regem Deiotarum recordarer,nullo modo mihi deeſſe poſſet oratio. Quæ, quoniam anguſtiora parietes faciunt, actioque cauſſæ maximè debilitatur loco : tuum eſt, Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti, quid nunc mihi animi ſit,ad te ipſum referre : quo faciliùs tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meã.

25. IN rationibus præparandi auditoris illud dicendum iudico; non ſolùm cuiuſmodi ſunt hæc conſiderari, verum & potius, qualis auditorum, accuſatorũ, defẽſorum, & omnium, qui, aut in cauſa, aut extra cauſam ſunt, exiſtimatio ſit, & opinio iis de rebus, de quibus dicitur. Nec quicquam refert qualis res ſit videre, niſi optimè teneas, qualis opinione hominum, & iudicum maximè habeatur. Quamobrem modum, & argumentum exordij felicius inueniet, qui dicturus intuebitur quid, apud quẽ, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum ſtatu, qua vulgi fama, dicendum ſit, quid iudicem ſentire credibile ſit antequam incipiat: tum quid deſideremus, aut deprecemur. Quare, qui in omnem partem expẽdũt argumenti cuiuſque qualitatem, *quinque genera cauſarum reperiunt in exordiendi rationibus præcipuè obſeruanda: honeſtum, turpe, dubium, obſcurum, humile. Honeſtum, quod omnibus probatur, quodque laudari, aut vituperari; ſuaderi, aut diſſuaderi; accuſari, aut defendi, iudicio omnium poteſt, & debet. Turpe, quod omnes meritò improbant; cùm id*

Qualitates argumentorũ quinque ſeu genera.

Honeſtum.

Turpe.

laudatur, quod vituperari; ſuadetur, quod diſſuaderi; accuſatur, quod defendi debet. Sic Septimius Seuerus Imperator Aureliū Commodum omnium, qui in imperio fuerant, conſceleratiſſimum, & crudeliſſimum tyrannum, inter deos conſecrauit. *Dubium, & anceps argumenti genus, quod honeſtatem, & turpitudinem coniunctam habet: &, quod partim laudari, partim vituperari poteſt.* Qualis cauſa Titi Milonis apud Marcum Tullium Ciceronē. Nam, quod P. Appius Clodius interēptus eſſet in monimētis maiorum, erat illaudabilis: quòd inſidiator, & vim intentans eſſet trucidatus, honeſta. *Obſcurum, cùm propoſitum argumentum eſt inuolutum, & difficile intellectu. Humile, cùm res vilis, & contempta eſt, de qua dicitur. His addi poteſt admirabile, quod inauditum, & inopinatum animos iudicum alienat.* Honeſto ſtatim auditoris animum fauet. Si turpe gen⁹, aut admirabile, inſinuatione vtemur, qua rei turpitudo prīcipio orationis excuſetur. Si dubiū, reddem⁹ beneuolos, eāq; partem, quæ turpitudinē habet, ante omnia diluemus. Si humile, faciemus attentos. Si obſcurū, dociles,

Dubium.

Obſcurum.

Humile.

Admirabile

24. *Exordium duplex. Principium Inſinuatio.*

HAec quæſtionis multiplex varietas, genus exordij duplex fecit, principium, & inſinuationem : & ordinem partium exordij aliter inſtituit, & aliter. *Principium eſt, quo ſtatim, & apertè beneuolentia, docilitas, attentio parantur. Inſinuatio, cùm callidè, & latenter beneuolum, docilem facimus, & attentum auditorem.* In principiis enim recta beneuolentiæ, & attentionis poſtulatio : quæ, quia eſſe non poteſt in turpi cauſa, inſinuatio ſubrepit animis: maximè vbi frons cauſæ non ſatis eſt honeſta, quia improba, quia hominibus ingrata: aut, ſi facie ipſa premitur, vel inuidia conſiſtentis ex aduerſo patroni, aut patris, aut miſerabilis ſenis, cæci, infantis. Etenim opinionem, & voluntatem iudicis noſtræ diſſimilem reueriti, per diſſimulationem, & velut aliud agentes initio ſupprimimus propoſitionem dicēdorum, & adhibemus ea, quibus beneuolentia parari ſolet: qua comparata, paulatim rem apertius, de qua dicendum, aperimus. Græci ἔφοδον dicunt, clandeſtini ingreſſus in vrbes, quæ capiuntur, vſi comparatione perſimili. Nam ciuitas præter opinio-

nem capta, inſeſſaque; ſi vim, & fraudem præſenſiſſet; ei cuſtodias, & præſidium oppoſuiſſet: ſic & auditor, ſi præcepiſſet animo conſilium oratoris, quo ſerius ſentit animum ſuum occupatum, ægritudinem opinionis ſuæ incendiſſet, neque ſe vel ſupplici adiunxiſſet. *Inſinuatio ſumitur extra rem, de qua diſceptatur: principium ex cauſa ducitur. Itaque confeſtim ſpectare oportet, quid ipſe velis efficere, quid dicere, apud quos, quo tempore, quo loco, qua de cauſa, qua hominum opinione.* Si fauor demerendus; animum ilico aduerte in rem, in perſonas omnes, quas negotium attingit. Si res honeſta ſit, auditoribus grata; gratulabimur, & noſtrum coniungemus gaudium: ſi turpis, aut atrox; indignationem præferemus: ſi triſtis, dolorem, aut mœſtitiam; ſi admirabilis, admirationem: ſi periculoſa, formidinem.

HÆc opportunius efficiemus, ſi tria inſinuationis vſurpãdæ tempora conſideremus. Primùm, ſi res de qua agimus, ſit verè turpis, aut opinione; aut cùm auditores aliter, quam nos ſentimus, animati ſunt: deinde ſi ab ad- 25. *Inſinuationis tria tẽpora.*

uerſariis, vel à ſeipſis perſuaſi: denique cùm defeſſi ſunt. Nam, quæ nobis obſtant, quo minus in rem propoſitam, cum auditorum pace, & gratia venire poſſumus, declinanda ſunt: &, quæ placent auditori, aut rem probant, initio pertractanda. Omnium communis ſenſus eſt, quæ lædunt, fugere: quæ proſũt, appetere. Si enim cauſa laboremus, perſona ſubueniet: ſi perſona, cauſa: ſi nihil, quod nos adiuuet, ſuppetit; quod aduerſarium lædit, quærendum. Nam, vt optabile eſt, plus fauoris mereri: ſic proximum, odij minus conſciſcere. In iis, quæ negari non poterunt, elaborandum, aut vt minora, quam dictum eſt, aut alia mente facta, aut nihil ad præſentem cauſam pertinere, aut emendari poſſe pœnitentia, aut ſatis iam punita videantur. Ideo aduocato, quam litigatori agere facilius: quia & laudat ſine arrogantiæ crimine, & aliquando vtiliter poteſt reprehendere. Nam & ſe moueri fingit interim, dum aditum ad aures facit, & auctoritatem induit vera ſentientis, quo magis credatur vel defendenti eadem, vel neganti. Si res tur-

Permutatio rerum & perſonarum in inſinuatione.

pis, & iudicibus ingrata: rerum, & perſonarum permutationẽ adhibebimus. Nam, ſi res offenſionem parit: aut perſonam, aut rem aliam, aut contrariam: aut, ſi perſona exoſa eſt; perinde perſonam aliam, aut rem auditoribus iucundam tractabimus orationis principio, conciliabimuſque vel improuidas voluntates. Dido, ſuos amores, & inſanum connubij cum Ænea Phryge conſiliũ, ſi manifeſtius Annæ nudet, offẽſum iri ſororem ſentit. ambitu longo mentem circumuenit, & nõn ingrata ſubit, commemorationem rerum, & ſomniorum, & laudationem hoſpitis ingreſſa: tandem id, cuius principio ſuppudebat apud imparatam, iam paratæ paulatim aperit.

Ratio permutandi rẽ & perſonã.

Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?

Virg. lib. 4. Æneid.

Hic rem à conſilio aliam obiicit: perſonam mox adiungit, & impensè laudat.

Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferẽs? quam forti pectore & armis?
Credo equidem (nec vana fides) genus eſſe deorum.

Degeneres animos timor arguit. Heu
quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhauſta canebat?
His intentam rebus, & vnanimem ſemper ſubit, & pudore conſilij lenito, ſuæ pietatis, & religionis commendato excellenter ſtudio docet.
Si mihi non animo fixum, immotumque ſederet:
Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali:
Poſtquam primus amor deceptã morte fefellit:
Si nõ pertæſum thalami tædæq; fuiſſet:
Huic vni forſan potui ſuccũbere culpæ.
Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi
Cõiugis, & ſparſos fraterna cæde penates:
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem
Impulit.

Marcus Tullius, cùm de alio conſuleretur, ſententiam dicturus in Marcum Antonium, conſultationis argumentum ſumpſit ſummum de Appia via, de Moneta, id eſt, rem non ingratã, de qua deliberatio tenebat Senatum:

& rem ingratam, conſilium belli ſubticet, quod meticuloſè mox exponit, & ſenſim. Non neſcius idem orator leges agrarias eſſe populo pergratas; de ſe: quæ laudanda, de auditore populo, honora, de aduerſariis, quæ dici oportuit præfatus, abrogationem legis agrariæ, conſiliumque proponit ſuum. Poſſumus & fateri id, quod obiicitur, nobis non placere: id eſſe malum, & pernicioſum, & pœnam mereri: vt deinde illud factum à nobis negemus, aut opinari, aut ſentire. Eſt & his rebus idoneum præiudicium, vel auctoritatem, vel exemplum, aut ſimile orationis principio afferre: tum id conſilio noſtro, & inſtituto adiungere, & ſimilitudinem explicare, & quod factum ſit prius, atque iudicatum, id rei noſtræ congruere.

SI auditor ſit perſuaſus ab aduerſariis, aut ſuam ipſius pertueatur contrariam noſtræ opinionem, fiduciam præferemus; pollicebimur nos argumenta confutaturos, aut opinionem animis inſitam conuulſuros: exin, quod argumentum validiſſimum videbitur, eleuabimus. Aduerſarij dictum in occaſionem exordij etiam rapiemus: vel, vt dubij, & diffi- 20. *Perſuaſus auditor vt tractandus.*

cultate, vel magnitudine, indignitate rei, quæ obiicitur, aut impudentia inimicorum permoti, vnde principium ducamus, non eſſe promptum, oſtendemus. Oſtendemus nihil de aduerſariis dicturos, ne apertè lædam⁹, qui diliguntur.

27. *Feſſus auditor vt conciliandus.*

S*I defeſſus ſit auditor*, aut eorum, qui priùs dixerunt, longioribus dictionibus, aut cuiuſcunque rei faſtidio, *nos aut fabulam, aut quod riſum moueat, ex re natum præſertim, aut pariat lætitiam, afferemus.* Nam vrbanitas opportuna reficit animos, & vndecunque petita iudicis voluptas, leuat tædium. *Aut ſi rei dignitas, aut grauitas ludicra non patitur; aliquid triſte, horribile, incommodum iniiciemus, aut ab iis exordiemur, quæ auditorem faciunt attētum; aut à magnis rebus, nouis, horribilibus: aut pollicebimur nos aliter dicturos, quàm parati veneramus ad dicendum, aut dicturi eramus, ſi locus, ſi tempus, ſi auditorum animus, aut occaſio poſtulaſſet. Debet enim vitare curam & compoſitionem orator in exordiis: quia artem oratoris contra ſe inſtitutam putat iudex. Aut promittemus nos aliter verba facturos, quàm cæteri fecerint, qui vel longiora, vel obſcuriora, vel ab inſtitutis aliena: nos dicturos neceſſaria,*

neceſſaria, quæ ad rem pertinent, breuiter, perſpicuè, aut, ſi res poſtulet, copioſius, & plenius.

IN exordio ſit ſententiarum & dignitatis plurimum, vt orator auditori maximè commendetur, ſplendoris, & feſtiuitatis minus, ne ſuſpicionem artificioſæ diligentiæ moueat, & fidem detrahat. Hic, ne quod inſolens verbum, aut tranſlatum audacius, aut obſoleta vetuſtate, aut poëtica licētia ſumptum, deprehendatur. Nondum enim recepti ſumus, & nos obſeruat acriter recens audientium intentio. Magis conciliatis animis, & iam calentibus hæc libertas fertur. Ab his labes imprimitur exordio: ſunt, quæ vitiant vniuerſum. Itaque cauendum, ne longiùs ſumatur; quod pluribus verbis, & ſententiis, quam expedit, producitur, ne vulgare ſit, & quod ad plures cauſas poſſit accommodari: ne commune, & tibi, & aduerſario; ne commutabile, quod paucis commutatis verbis ab aduerſario poſſit vſurpari: ne apparatum, & ſplendidum nimis, & magnificum, ne dici poſſit: Quid tāto dignum dabit hic promiſſor hiatu? Sic reprehendi ſolent propoſitiones, quæ *Horat. in arte poët.*

abſolutè, & arrogãter rem proponunt.

Sylius Italicus. Ordior arma, quibus cælo ſe gloria tollit Æneadum, patiturque ferox Oenotria iura Carthago: ne præceptis contrarium, quod nec docilem, nec attentum, nec beneuolum faciat auditorẽ, aut attentũ reddat, cùm beneuolũ eſſe oportet, aut docilẽ, cum attẽtum: ne translatum, quod efficit, quod non oportet, & dicendo imprudentiam arguit. Huius eſt vitij, cùm opus eſt attentione, commorari in beneuolentia: ne ſeparatum, quod cauſæ non cohæreat, aut ineptè; quodque ab oratione diſtinctum, vt caput à ceruice, aut nihil ad rem pertinẽs. Ideo *finis exordij vinculum quoddã habeat, quo reliquæ orationi connectatur, & nos ad*

Præparatio. *cauſam introducat, neque abruptè, neque obſcurè. Nam niſi doceatur auditor peractũ eſſe exordiũ, narrationis partẽ amittit. Solet enim exordio ſubiungi quædam velut cõcluſio, & præparatio, & ad narrationẽ tranſitio. Quod ipſum in reliquis orationis partibus obſeruãdũ*

Cic. pro leg. Manil. *vt aptè inter ſe omnes, atq; eleganter cohæreãt.* Atq; vt inde oratio mea proficiſcatur,

Pro Sexto Roſcio. vnde hæc omnis cauſa ducitur: bellum graue. Itẽ: Atque vt faciliùs intelligere

poſſitis ea, quæ facta ſunt, indigniora eſſe quàm hæc ſunt, quæ dicimus, ab initio res quemadmodũ geſta ſit, vobis exponemus: quo faciliùs, & huius hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & reipublicæ calamitatem. Item: Atque vt intelligatis Cluentium non accuſatorio animo, non oſtentatione aliqua, aut gloria adductum: ſed nefariis iniuriis, quotidianis inſidiis, propoſito ante oculos vitæ periculo, nomen Oppianici detuliſſe: paulò longius exordium rei demonſtrandæ petam. Quod quæſo, Iudices, ne moleſtè patiamini. Principiis enim cognitis, multò faciliùs extrema intelligetis. Cæterùm oratores ſæpe tam apertos tranſitus non adhibent, & inducunt qualemcumque rerum natarum expoſitionem, ex qua ſumunt occaſionem habendæ orationis. *Pro Aulo Cluentio.*

PErfecto exordio, velut orationis capite, additur tempeſtiuè narratio altera pars, quæ iudici indicat rẽ, de qua pronuntiaturus eſt, in qua pódus omnẽ, & ſpes, ſi qua eſſe poteſt, cauſæ cernitur. 19. *Narrationis munus*

Nam ſi exordiẽtes gratiã obtinuimus,

& ſi ad ea, quæ dicenda erant, excitauimus iudicem: ſi leui indicio ſignificauimus, quo noſter conatus proſpiceret; omnia fruſtra ſumpſerimus: niſi ea perfectè conſequamur, quorum cauſa inceperamus agere, fidem dico, & môtũ.

Fides & metus proponuntur oratori.

Quorum fides, cùm natura prior ſit, certum eſt ea prius dicere, quibus efficitur. Credunt enim homines quæcunque veriſimiliter narrata; probationibus etiam, ſi opus ſit, corroborata; quæ ſenſui communi videntur eſſe conſentanea.

Fides conciliatur narratione.

Narratio quid.

Narratio ſecunda pars orationis, eſt rerum geſtarum, aut, vt geſtarum, vtilis ad perſuadendum id, quod intenderis commemoratio: quæ cauſa, rebuſque ad cauſam pertinentibus altè repetitis, & paſſim velut ſeminibus argumentorum ſparſis, firmamentum, ac robur totius confirmationis futuræ continet. In ſumma decet auditorẽ, quid ſit in controuerſia, & delibare perſonas, cauſas, locũ, tẽpus, inſtrumentum, occaſionem, quæ probatione ſunt tractanda plenius. Nec enim aliud eſſe confirmatio videtur, quã narrationi cõgruens quędam probatio; nec aliud narratio, quàm continua probationis propoſitio, totiuſq; cauſæ cõ-

prehẽſio. Perfecto orationis principio; quoniam nuda rei propoſitæ ſpecies horridior, aut honeſta minus videri poſſet: ne ſententiá noſtrá reiiciat cõſeſſus, aut nõ probet; multa ante cauſam ſpargemus ſemina probationis noſtræ; quæ ſi non poſſint plená fidẽ obtinere; ſuſpicionem ſaltem aliquam iniiciant æquitatis: vt non temerè, nec ſine cauſa ad agendũ acceſſiſſe videamur. *Expoſitionẽ à principio ad finem per antecedentia, conſequentia, cõiuncta, deducemus cum modo; nec omittemus perſonas, agentem, patientẽ: ſic, vt nihil factum, nihil dictũ, nihil cogitatũ, quod temporum ordine per expreſſas nunc breuiter, nunc productius circumſtantias non commemoretur.* Nõ rarò occurrimus in principio iis, quæ noſtrę cauſæ officere videntur. Proſunt nobis omnia, quæ fidẽ aduerſariis detrahũt, & nobis auctoritatẽ pariũt, & gratiá. Vt, ſi exponamus, quæ geſſerint, quæ voluerint, quid opinati ſint, tá aduerſarij, quàm iudices, aut nos ipſi. Præteritionum occupationes, & interſationũ breuitas, & digreſſiones nõnunquã neceſſariæ, quibus reſpirat auditor, quaſi parte audiendi peracta, ad-

Vt tractãda narratio

Preteritiones & interſationes in narratione.

adoleſcẽtis nõdũ cõſilio, ac ratione firmatũ,pellexit iis omnibus rebus, quib⁹ illa ætas capi ac deliniri poteſt.Filia,quę nõ ſolũ illo cõmuni dolore muliebri, in eiuſmodi viri iniuriis angeretur:ſed nefariũ matris pellicatũ ferre nõ poſſet,de quo ne quidẽ queri ſine ſcelere nõ poſſe arbitraretur, cæteros ſui tãti mali ignaros eſſe cupiebat:in huius amãtiſſimi ſui fratris manibus,& gremio, mærore, & lacrymis cõſeneſcebat. Ecce autẽ ſubitũ diuortiũ,quod ſolatiũ malorũ omnium fore videbatur.Diſcedit à Melino Cluentia:vt in tãtis iniuriis,non inuita: vt à viro,nõ libenter.Tũ verò illa egregia,ac præclara mater, palã exultare lætitia,ac triumphare gaudio cepit,victrix filiæ,non libidinis.Itaque diutius ſuſpicionibus obſcuris lædi famã ſuã noluit. Lectum illum genialẽ, quẽ biẽnio ante filiæ ſuę nubẽti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari,& ſterni, expulſa, atque exturbata filia, iubet. Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus,funeſtis ominibus omnium.O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnã in omni vita inauditum! ô libidinẽ

Narrationis conſeqnẽtia.

Interſatio.

prouincia Conſidius ſatisfacere hominibus non poſſet; ſi quemquam alium prouinciæ præfeciſſet. Itaque Quintus Ligarius, cùm diu recuſans nihil profeciſſet; prouinciam accepit inuitus: cui ſic præfuit in pace, vt & ciuibus, & ſociis gratiſsima eſſet eius integritas, & fides. Bellum ſubito exarſit, quod, qui erant in Africa, antè audierunt geri, quàm parari. Quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim cæco quodam timore, primo ſalutis cauſa, poſt etiam ſtudij ſui, quærebant aliquem ducem. Tum Ligarius domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Actius Varus, qui prætor Africam obtinuerat, Vticam venit: ad eum ſtatim concurſum eſt. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium; ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad priuatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulùm aduentu Vari conquieuit. Item ſuadendæ legis Ma- *Cicero pro lege manil.*

niliæ ratio. Bellum graue, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſocijs, à duobus potentiſſimis regibus infertur, Mitridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter laceſsitus occaſionem ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. Equitibus Romanis, honeſtiſsimis viris, afferuntur ex Aſia quotidie literæ, quorũ magnæ res agũtur in veſtris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me, pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo ordine, cauſam reipublicæ, periculaque rerum ſuarum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc veſtra prouincia eſt, vicos exuſtos eſſe complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate. Lucullum magnis rebus geſtis ab eo bello diſcedere; huic, qui ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: vnum ab omnibus ſociis, & ciuibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti: eundem hunc ab hoſtibus metui, præterea neminem. *Narratio triplex, oratoria, intercurrens, remota. Oratoria, & propria cauſæ, quæ rem geſtam vtiliter vincen-*

Narratio triplex.

Oratoria.

di, perſuadendique cauſa, eouſque exponit, donec elici poſsit controuerſia, per confirmationum modos pertractanda. Intercurrens, *ſiue digreſsio accerſita, quæ cauſæ ſeruire poteſt, ſed ex cauſa non eſt. Hæc excurſio quædam eſt fauorabilis in loco aliquo plauſibili paulum cõmorans, exornationis ſimilitudinis, laudationis, criminationis, tranſitionis cauſa.* Hæc extra cauſam ſumitur; ſed aliena à re, de qua agitur, eſſe non debet. Nam habet rerum ad principem quæſtionem pertinentium incidentẽ expoſitionem. Sunt interſitæ exordiis, narrationib' propriis & propoſitionibus, confirmationibus, confutationibus, concluſionibus, expoſitiones exẽplorum, factorum, dictorũ, deſcriptiones perſonarum, locorũ, temporum, & aliarum rerum, ſiue laudationis, aut vituperij: ſiue ſuaſionis, aut diſſuaſionis: ſiue accuſationis, aut defenſionis ſtudio afferãtur. *Remota, quæ prorſus ſeparata ab cauſa ciuili, exponit quæcunque negotia, aut perſonas deſcribit. Oratoria ſecũdum in oratione locum ſortitur: digreſsio pars orationis non eſt, ſed partibus inſeritur, vt acceſſoria.* Narrationi interpoſitæ digreſſionis ſit exẽplũ. Accipite nũc aliud eius

Digreßio.

Digreßionis natura.

Digreßioni locus eſt omnibus in partibus orationis.

Remota, & Oratoriæ narrationis diſcrimen.

que hoſpitum. Quæ poſteaquam iſte omnia abſtulit, alia rogando, alia poſcendo, alia ſumendo, ferebat Sthenius, vt poterat; tangebatur tamen animi dolore neceſſario, quod domum eius exornatam, atque inſtructam, ferè iam iſte reddiderat nudam, atque inanem. Veruntamen dolorem ſuum impertiebat nemini: Prætoris iniurias tacitè, hoſpitis placidè ferendas arbitrabatur. Interea cupiditate iſte ſua illa nota, atque apud omnes peruulgata, cùm ſigna quædam pulcherrima, antiquiſſima Thermis in publico poſita vidiſſet, adamauit: à Sthenio petere cæpit, vt ad ea tollenda operam ſuam profiteretur, ſeque adiuuaret. Sthenius verò non ſolum negauit; ſed oſtendit etiam, id, nullo modo fieri poſſe: vt ſigna antiquiſſima, monimenta P. Africani ex oppido Thermitanorum, incolumi illa ciuitate, imperioque populi Romani tollerentur. Etenim, vt ſimul P. Africani humanitatem cognoſcatis oppidum Himeram Carthaginenſes quondam ceperant, quod fuerat Siciliæ inprimis clarum, & ornatum. Scipio, Digreſão.

qui hoc dignum populo Romanó arbitraretur, bello confecto ſocios ſua per noſtram victoriam recuperare: Siculis omnibus Carthagine capta, quæ potuit, reſtituenda curauit. Himera deleta, quos ciues belli calamitas fecerat reliquos, ij ſeſe Thermis collocarant in eiuſdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Hi ſe patrum fortunam, & dignitatem recuperare arbitrabantur; cum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. Erant ſigna ex ære complura: in his mira pulchritudine ipſa Himera, in muliebrem figuram, habitumque formata, ex oppidi nomine, & fluminis. Erat etiam Steſichori poetæ ſtatua, ſenilis, incurua cum libro, ſummo, vt putant, artificio facta, qui fuit Himeræ; ſed eſt, & fuit tota in Græcia ſummo propter ingenium honore, & nomine. Hæc iſte ad inſaniam concupierat. Etiam, quod penè præterii, capella quædam, ea quidem mire, vt etiam nos, qui rudes harum rerum ſumus, intelligere poſſumus, ſcitè facta, & venuſtè. Hæc, & alia Scipio non negligenter abiecerat;

vt homo intelligẽs Verres, auferre poſſet: ſed Thermitanis reſtituerat; non quo ipſe hortos, aut locum omnino, vbi ea poneret, nullum haberet: ſed, ſi domum abſtuliſſet, non diu Scipionis appellarentur: ſed eorum, ad quoſcunque ipſius morte veniſſent. Nunc iis locis poſita ſunt: vt mihi ſemper Scipionis fore videantur, itaque dicãtur. Huc vſque digreſſio procurrit, cui reditus ad intermiſſum confirmationis argumentũſubiungitur aptus. Hæc cùm ipſe poſceret, agereturque res in Senatu, Sthenius vehemẽtiſsimè reſtitit, multaque, vt in primis Siculorum in dicendo mos, copioſus eſt, commemorauit: vrbem relinquere Thermitanos eſſe honeſti⁹, quàm pati tolli ex vrbe monimẽta maiorum, ſpolia hoſtium, beneficia clariſſimi viri, indicia ſocietatis populi Romani, atque amicitiæ. *Illud præcipiendum in hos digreſſionum excurſus cum aliqua ſemper ferè vel admonitione, vel præparatione diducendam orationem. Atque orator priuſquam deflectat, cogitet, quo redeundum ſit, & num redeundi pateat locus.* *Admonitio aliqua digreſſioni præficienda.*

dam orationis dignitatem accommodatam perſonis, vt ſermo cum idonea varietate, & orationis feſtiuitate, animorum oſtendat diſſimilitudinem, grauitatem, lenitatem, ſpem, metum, ſuſpicionem, deſideriũ, diſsimulationem, errorem, miſericordiam, rerum varietates, fortunæ commutationes, inſperatum incommodum, ſubitam lætitiam, iucundum exitum rerum. Patrem meũ, cùm proſcriptus non eſſet, iugulaſtis: occiſum in proſcriptorum numerũ retuliſtis: me domo mea per vim expuliſtis: patrimonium meum poſsidetis: quid vultis amplius? Etiamne ad ſubſellia cum ferro atque telis veniſtis, vt hic aut iuguletis, aut condẽnetis? Item: Patria tecum ſic agit, & quõdammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annos facinus extitit niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera. Tu non ſolum ad negligendas leges, & quæſtiones: verum etiam ad euertendas, perfringendaſque valuiſti. Superiora illa, quanquam ferenda non fue-

qualis eſſe debeat in perſonis.

Cicero pro Sex. Roſcio.

Cicero in Catilinam.

runt, tamen, vt potui, tuli. Nunc verò me totam eſſe in metu propter te: quidquid increpuerit, Catilinã timeri: nullũ videri contra me iniri conſilium poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede atque hunc mihi timorem eripe: ſi verus, ne opprimar: ſin falſus, vt tandem aliquãdo timere deſinam. *Quæ in negotiorum expoſitione ponitur narratio remota, aut fabula eſt, aut argumentum, aut hiſtoria. Fabula eſt narratio, quæ rem nec veram, nec veriſimilem continet.* Tempore, quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum cõſentiebant: ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuit: indignatæ ſunt partes reliquæ, ſua cura, ſuo labore, ac miniſterio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum datis voluptatibus frui: ſe omnia obire miniſteria, ambulare pedes, operari manus, aures audire, oculos videre, olfacere nares, linguam loqui, dentes cibum ſubigere, ventrem in toto corpore inertem eſſe, & nihil, niſi ſentire voluptatem. Olim huic inuiderunt, & coniurarunt in vnum; ne ip-

Remota in negotiis triplex.
Liu. lib. 2.
Fabula.

ſius deſideriis occurrerent,ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, ne dentes conficerent. Sed hac ira,dum coniurata pertinacia domant in medio ſui, ipſa membra, & totum corpus ad extremam tabem deuenerunt: ſenſeruntque non ſegne ventris eſſe miniſterium, nec magis ali ipſum, quam alere, reddentem in omnes corporis partes, hunc, quo viuebant, vigebantque, diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. Ita mutatis conſiliis, mollitaque pertinacia redierunt in gratiam. *Argumentum eſt narratio rei,quæ, aut vera, aut ficta, ſed veriſimilis, & quæ fieri potuit, cuius expoſitio ſeruit theatris*: Vt ſunt Comediæ, atque Tragediæ argumenta, & prologi. *Argumentum.*

Senex caſtigat filias, quod hæ viros
Tā perſeuerent peregrinātes pauperes
Ita ſuſtinere fratres, neque relinquere, *Plautus in Stycho.*
Cōtraque verbis delinitur commodis.
Habere ſineret,quos ſemel nactæ forēt.
Viri reueniūt opibus aucti trans mare.
Suā quiſq;retinēt,ac Stycho ludꝰdatur.

Hiſtoria eſt narratio rerum præteritarum, quæ,aut ab memoria ætatis noſtræ,ſūt remotæ, *Hiſtoria.*

aut tẽporibus noſtris geſtæ. Rebus ad Naupactum infectis, Turcica claſſis ad Lemnum appellitur. Productis partim in continentem, partim per nauium foros expeditis tormentis Coccinum aſſiduo impetu oppugnatur: mox ſtrata cum murorum ruinis porta aditum patentem irrupturis oſtendit barbaris, & capiendæ vrbis ſpem magnam facit. Miles Venetus, qui in præſidio erat, & oppidani ſtrenuè, conſtãterque propugnãt. Matronæ, virgineſque in ſummo patriæ diſcrimine idonea defenſioni ſufficiunt: & nonnunquam impauidæ maiorem ſexu animum, & manus dimicationi afferunt, & obrumpunt cum ſtrage hoſtilem barbarorum irruptionem. Eminebat inuicta virtus, & imperritus patriæ amor in Demetrio Naupactio ciue. Hic poſt cruentam ferociſſimè incumbentium hoſtium ſtragem, ſuos ciues, vt ſtrenuè defenſas muri ruinas intercludant, hortatus, qua hoſtis facto agmine pertinacius inſtabat, ad portam procurrit. Hic ex acie propugnantium audacter inuectus in orbem dimicat: nemo barbarorum impunè la-

ceſsit virtutem. Tamen, quaſi per vnius pertinaciſsimi defenſoris corpus irrumpendum eſſet, vrgebant. Funeſta cædes in veſtigio, quaqua ancipitem, & prælongũ verſabat enſem Demetrius, edita. Ipſe ad extremum denſa telorum barbaricorum, & glandium grandine obrutus, & crebris vulneribus confoſſus in aceruo cadauerum, quæ perſtrauerat, cum ſanguine fortem effudit animam. Nõ procul indole paterna, & ſpiritu Marulla virgo Demetrii filia, quæ vndeuigeſimum ætatis attingebat annũ, pulchritudine proceri corporis excellẽti, & formæ præſtãtia ſpectabilis, & præter ſexũ, prõpta manu, inter defenſores ſtabat: quæ caſum parentis conſpicata, nihil muliebre ſpirans, aut agens mollius, procurrit extemplò: enſem patrium dextra corripit; ſiniſtra clypeũ inſertat incredibili audacia: & hoſte nequicquã inceſſente, paternis perſtat in veſtigiis: Venetos, ciueſque hortata, vt addenſent aciem, & ſe ſequantur, terribili impetu ſe immittit (Leænam rabida fame efferatã in gregem inertium pecorum incurrere credidit Morsbecus

Turcici dux agminis) in dextrum,in ſi-
niſtrum,in frontem,ferociter conuerſa,
nunc punctim, nunc cæſim,vt vices ho-
ſtis opportunus dabat, barbaros truci-
dat,& multo hoſtiũ ſanguine, non inul-
to patri parentat. Non hic puellaris vir-
tutis impetus ſiſtitur. Victricis Marullæ
ſucceſſus animos Coccinenſibus facit,
quorum agglomerato agmine freta,fe-
rociorque puella,ordinibus ſeruatis,re-
cedentem hoſtem adorta, impreſsionẽ
incitat, pugnãque inſtaurat, aciem per-
rumpit, & turbat, compellitque ad na-
ues multa ſtrage. In littore maior cædes
edita. Nam dum trepidant, & impediti
naues repetunt,incurſu Coccinenſium
opprimũtur. Soluta magno tumultu ob
ſidio, & Lemnos Turcarum metu libe-
rata. Marulla Antonij Lauredani, qui
Venetæ claſſi præerat, imperio accita,
velut imperatrix ſuorum ciuium mani-
pulis ſtipata. venit ad claſſem. Indolem
tum bellicam præferens, illo pectus ex-
celſum clypeo, quem hoſtibus pro pa-
tria, & ciuibus, & Veneti nominis glo-
ria obiecerat, vt quædam Amazon ob-
texit:tum vultu graui,& impauido mo-

deſtiæ virgineæ pudore martium vigorem, & muliebri magis eximium prodidit manifeſtius. Hanc Lauredanus pro cõcione affuſi exercitus meritis ornatam laudibus, & muneribus ampliſsimis, & muliebri inſtrumento, & mundo cohoneſtauit. Narrationum omniũ non vnus finis. Oratoriæ, cuncta, quæ perſuadere poſſunt, aut cauſam vtiliter iuuant, explicare: digreſſionis, cauſam comitari, & extrariis, & non prorſus alienis iuuare: fabulæ, & argumenti, in audientium animis voluptatem creare: hiſtoriæ rem, vt geſta eſt, ex fide ſimpliciter, & nudè exponere, neque de fide facienda laborare. *Narrationu diuerſi fines.*

30. *Virtutes narrationis oratoriæ.*

Virtutes narrationis oratoriæ, quæ ad cauſas pertinet, ſunt breuitas, quæ facit, vt facilius memoria comprehendatur: perſpicuitas, quæ præſtat, vt planius res intelligatur: probabilitas, quæ fidem promeretur: ſuauitas, quæ id conſequitur, vt narratio propenſius audiatur, legatúrue. Neceſſe eſt enim, ſi victoriam conſequi velimus, ſic dicere, vt auditor intelligat, meminerit, credat, delectetur. Non ſunt hæ virtutes narrationis propriæ, ſed par-

tium orationis omnium communes. Nam per totam orationem vitanda eſt obſcuritas,& modus vbique cuſtodiendus; & credibilia eſſe oportet, quæ dicuntur. Sed ea parte, quæ prima iudicẽ decet,ſi cõmittatur,vt non intelligat,nõ meminerit,non credat,nullá iudex voluptatem capiat;fruſtra in reliquis laboratur.

Breuis vt fiat narratio.

Breuis erit narratio,ſi rẽ nõ altius repetat,quàm expedit cauſæ,& ad iudicẽ pertinet: ſi ſummatim, non particulatim, & minutim explicet: ſi omnia, quæ non iuuant, quæque ſublata nec cognitioni obſunt, nec vtilitati, prætermittat. Si ita cuiuſque, exitum inferat; vt etiam, quæ antecedunt, intelligantur: ſi dicta non repetat: nullis circuitionibus producatur, ſi nuſquam, aut tantum breuiter, vt prodeſt cauſæ, digrediatur: ſi eouſque extendatur, vnde controuerſia, ſiue propoſitio rei, de qua diſſeritur, eliciatur commodè. In hoc breuitas eſt, non vt minus; ſed ne plus dicatur, quam oportet. Et ne contractio pariat obſcuritatem,ſatius eſt aliquid ſupereſſe,quàm deeſſe. Nã ſuperuacua cũ tædio audiũtur,neceſſaria cũ periculo ſubtrahuntur

Narretur quantum ſatis, & quantum opus. *Perſpicua fiet narratio, ſi, vt quidque geſtum primum erit, ita primum exponat, & cauſarũ, locorũ ac temporũ ordinẽ cõſeruet, vt geſtæ res ſunt, aut geri potuiſſe videntur. Si nihil perturbatè, nihil contortè, nihil ambiguè, nihil nouè, referat, ne quam in aliam rem trãſeat, ne ab vltimo repetat, ne longiùs proſequatur; ne, quod ad rem pertinet, prætereat; ſi lõgiorem orationis textum fugiat, & confuſum, ſi perſequatur breuitatis præcepta*: nam quo breuior, eo dilucidior, & cognitu facilior eſt. Itaque perſpicuitas in rebus ſpectatur, ſi per ſe notæ aſſumantur, & quæ vulgò intelligi poſſunt: quæque nihil reconditum, aut habent ſubtilius: in verbis vſitatis, & ſignificantibus, & non ſordidis, communi hominum loquendi modo ſumptis, & propriis, non nimis exquiſitis; in ordine temporum, & rerum. Nam, ſi diſtincta ſit rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſis, pronunciatione accommodata, vt vnum alterum confirmet, & nullum aliud confundat, magnam lucem affert. Vitanda eſt Criſpi Salluſtij, quæ in ipſo virtus eſt, breuitas: & conciſum, & abruptum

Perſpicua vt fiat.

genus orationis, quod otioſum lectorem non fallit forſan: auditorem verò tranſuolat, nec, dum repetatur, expectat. Cùm præſertim lector ſit eruditus plerumque: ruſticus, & imperitus ſæpe iudex, de eo pronuntiaturus, quod intellexit. *Probabilis fiet, ſi conſulamus primum animum noſtrum, ſi, vt mos, vt opinio, vt natura poſtulat, dicamus: ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates congruant iis, quæ credi volumus; vt, ſi furti reum, cupidũ, ſi adulterij, libidinoſum; ſi largitionis, ambitioſum faciamus: vt nihil actum, nihil dictum ſine cauſa putetur: ſi conſiliorum rationes, locorum opportunitates conſtent, ne refelli poſſit, aut temporis parum fuiſſe, aut cauſam nullam, aut locum idoneum non fuiſſe, aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe.* Si vera res erit, nihilominus hæc obſeruanda. Nam ſæpe veritas, niſi hæc adſint, fidem facere non poteſt: ſin erit ficta, hæc tantò diligentiùs cuſtodienda: vt fidem color mereatur. Nam, cùm totius confirmationis, & confutationis fundamentum narratio ſit, ſemina probationis continere debet, & præſtare, vt cuncta congruant: ne quid per totã

Probabilis vt fiat.

orationem aliter, ac expoſuimus, aut dicere, aut ſentire videamur. Solent enim ficta memoria excidere facilè, & mendacem, vt fidem faciat, memorem eſſe oportet. *Suauis, quæ facit, vt expoſitione eorum, quæ magna ſunt, inaudita, inuiſa, noua, admiretur, & delectetur auditor: quæ habet interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates, euentus inopinatos, deceptiones, agnitiones, admirationes, expectationes, perturbationes perſonarum, & proſopopeias.* Qualis eſt de Philodamo apud Ciceronem Verrina tertia. *Suauis fiet.*

SI productior ſit narratio, interfatione leuandum eſt tædium; vt auditor reficiatur priorum fine, atque excitetur nouo attentionis paratu. Iuuat & in longitudine partitio rerum narrandarum: duæ namque, aut tres modicæ narrationes potius videtur, quàm vna longa. Spero ex hoc ipſo non eſſe obſcurum, ad quem ſuſpicio maleficij pertineat. Verum id, quod adhuc eſt ſuſpicioſum, niſi perſpicuum res ipſa fecerit, hunc affinem 31. *Longa narratio.* *Cic. pro S. Roſcio.*

culpæ iudicatore. Præterea quædam alio loco dicturum, aut omnino prætermiſſurum te, ſignificare nonnunquam oportet. vt, Moritur Fuluius. Multa enim, quæ ſunt in re, quia remota ſunt à cauſa, prætermittam. Vtilis eſt, & in extrema narratione commonitio, quæ fit & in breui. Adhuc, Cæſar, Ligarius culpa vacat.

32. *Quando vtendum narratione.* IN omni cauſa non accuſator ſolùm, ſed etiam reus narrabit; niſi accuſatoris narratio ſatis vtilis etiam reo fuiſſe videbitur. *Narratio rei & accuſatoris.* Rei narratio magis ſimplex, & demiſſa, quàm accuſatoris eſſe debet. Quod enim ille aſtutè factum, aut conſilio dicet: reus ita narrabit; vt caſu potius, aut imprudentia, quam conſilio factum, aut dictum putetur. *Diſpoſitio narrationis.* Actor prius confirmat, inde confutat: reus priꝰ refellit, deinde confirmat: & nonnunquam prius refutat, quàm narret. Naturalis ſanè ordo eſt, vt expoſitio ſubiiciatur exordio. Nam idcirco comparatum eſt, vt iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, & intentior: &, cùm probatio, niſi priùs re cognita, non poſſit adhiberi, protinus iudex no-

titia inſtruendus videtur. Sed hoc mutat interdum conditio cauſarum. Vt in Miloniana, prius confutatis Clodianorum argumentis, tandem ſubſtituitur narratio. Hoc faciendum quoties crimen non repellendum, ſed etiam tranſferendum, vt prius eo defenſo, velut initium ſit alium culpandi narratio. Vt in armorum ratione antiquior eſt, & prior cauendi, quàm ictum inferendi cura. In cauſis certè, quæ ſunt oneratæ multis ante actæ vitæ flagitiis, & grauibus, crimen facile refellitur, ſi illa prius ſint diſcuſſa. Sic Marcus Cælius defenditur veneficij; poſtquam luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ, flagitiorum ſuſpiciones remotæ ſunt.

Pro Milone. *Pro Cælio.*

33. *In quibus non eſt narratio.*

INueniuntur cauſæ, in quibus nulla narratio eſt. Vt, ſi quæratur, filiusne, an frater, ex inteſtato hæres ſuccedat. Hic enim, quod narres, nihil eſt: neque res ipſa, neque ea, quæ ad cauſam pertinent, narrationem patiuntur. Quædam ſunt tam breues, vt propoſitionem potius habeant, quàm narrationem. Id accidit aliquando vtrique parti, cùm vel nulla eſt expoſitio, vel de re conſtat, vel

de iure quæritur: aut cùm eſt quidem narrationi locus; ſed aut antè iudici nota ſunt omnia, aut priore loco rectè expoſita. Rei namque quam iudex norit, ſuperuacua eſt narratio; ſi non modò factum quid ſit, ſciet. ſed ita factum etiam, vt nobis expedit, opinabitur. Neque enim in hoc reperta eſt tantùm, vt cognoſcat iudex: ſed aliquanto magis, vt conſentiat. Itaque & in ſumma ſciat, quid factum ſit, nec grauetur cognoſcere facti cuiuſque rationem, & rei, quę ab aduerſario proponitur, iniquitatem. Hîc figuris vtendum eſt diuerſis, & varianda oratio ad euitãdum tædium audientis. Accidit interdum alteri, & ſæpius actori cauſæ, vel quia ſatis eſt proponere, vel quia ſic magis expedit, vt ſatis ſit dixiſſe. Vt, Legatũ peto teſtamẽto. Diuerſæ partis expoſitio, quare non debeatur. Et ſatis eſt actori, & magis expedit, ſic indicare. Dico ab Horatio ſororem interemptã. Nam & cũ propoſitione iudex crimen cognoſcit: & ordo, & cauſa facti magis eſt pro aduerſario. Reus tum ſubtrahit narrationẽ, cùm id, quod obiicitur, nec negari, nec excuſari

poteſt; ſed in ſola iuris quæſtione cõſi-
ſtit, vt in eo, qui ſacrilegij reus eſt, cõfeſ-
ſio verecũdior eſt, quàm expoſitio. Denique hoc addã poſtremũ: narrationẽ
fluere ex tribus, ex re geſta, & ipſa cauſa;
tũ ex iis, quæ rẽ probãt, & ad causã pertinent; deinde ex vtriſq;. Quorũ ſi nullũ
ſuppetit, narratione ſuperſedendum.

SÆpius narrare nõ eſt nefas. Nam id nõ tantùm conceſſum eſt, at etiam neceſſarium: vt in cauſis repetũdarum, omnibuſque, quæ ſimplices non ſunt. Amẽtis eſt enĩ ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſæ trahi. Narrationẽ ideo ante probationẽ ponere eſt inſtitutũ, ne iudex, qua de re quæratur, ignoret. Cùm ſingula probãda, aut refellẽda erunt, etiã ſingula narrabũtur. Ex narratione nõ fiat excurſio, quæ iudicẽ ab inſtituto ſermone auertat: nec alienę perſonæ vox detur: ne qua fiat in ea argumentatio. Poſſumus tamẽ argumento, quod proponimus confirmare, ſed breui, & ſimplici. Vt in veneficiis. Sanus bibit, ſtatim concidit, liuor, & tumor mox inſecutus. Sic facimus in præparationibus, cùm reum dicimus robuſtum, armatum, ſolicitum, contra

14. Narrare ſæpius licet.

infirmos, inermes, ſecuros. Omnia denique, quæ confirmatione tractaturi ſumus, perſonam, cauſam, locum, tempus, inſtrumentum, occaſionem, narratione, vt dixi, attingemus.

25. *Narrationis dictio.* NArratio, ſi qua pars orationis alia, eſt ornanda gratia, & venere. In paruis, quales ſunt priuatæ res, ſermo ſit preſſus, & velut applicitus rei cultus: in verbis ſumma diligentia, quæ in locis feruntur impetu, & circumiectæ orationis copia latent: figuræ non poëticæ, & contra rationem loquendi auctoritate veterum receptæ, & hypotypoſis inſit aliquando. Sit enim ſermo puriſſimus, & qui varietate tædium effugiat, & leuet animum mutationibus: ne in eundem caſum, ſimilem poſitionem, pares elocutionum tractus incidamus. Vbi res erit maior, atrocia inuidioſè, triſtia miſerabiliter dicere decebit: non vt conſummētur affectus; ſed velut primis lineis deſignentur plane, qualis rei futura ſit imago, ſtatim appareat. In cauſis, quibus confitendum, excuſandum, ſubmittendum, abſit à narratione magnifica dictio. Proinde pro argumentorum

torum natura, nunc miſerabilis, nunc inuidioſa, grauis, dulcis, vrbana ſit.

IN narrationem intentior eſt iudex, eoque nihil rectè dictum perit. Cui faciliùs fidem adiungit, ſi iucunda exponãtur. Nam voluptate ad credẽdum adducitur. Sit in narrante auctoritas, quam efficit ſanctitas vitæ, honores, rerum geſtarum gloria, & genus orationis. Quod, quo fuerit grauius, ſanctius, decentius; hoc plus habeat, neceſſe eſt, in affirmando ponderis. Effugienda hac in parte omnis calliditatis ſuſpicio. Neque enim vſquam ſe magis cuſtodit iudex. 36. *Iudex attẽtus in narrationem.*

PROPOSITIO.

POſt narrationem, aut egreſſionem ſi qua fuerit expoſitioni oratoriæ ſubiuncta, ſequentium, quæ confirmatione tractantur, tum propoſitionem, tum diuiſionem paucis, & ſuccinctè, vel vno omnia circuitu, vel pluribus membris, & cæſis cum breuitate, efferimus. Id facimus, non vt exordium, aut integra narratio; ſed potius quidam amplior tranſitus, & breuis ante dictorum commemoratio exiſtimetur, & confir- 37.

mationis initium. Vt poſteaquã in memoriam reuocata fuerint, quæ propoſita erant in exordio, & narratione, deinceps caput inducamus totius cõtrouerſiæ, quod demonſtrandum ſuſcepimus. Hoc autem eſt propoſitio, aut diuiſio.

Propoſitio quid. *Propoſitio, breuis eſt denuntiatio, atque expoſitio iudicationis (in qua animum debet habere occupatum auditor) demonſtrandæ. Hæc enim ſtrictim, & abſolutè principem quæſtionem, & ſummam totius orationis proponit: & definit palam, & diſtinctè, quæ probanda ſunt, vel in probationem adducenda.* Nã non tantùm in principali quæſtione oſtendenda; ſed nonnunquam in ſingulis argumentis proponi ſolet. *Pro Milone.* Nũquid aliud in iudicium venit, niſi vter vtri inſidias fecerit. Antipatrũ necis Alexandri ago. Belliſarius affectati principatus inſimulatur.

PRopoſitio aut ſimplex eſt, cùm abſolutã in ſe vnã quæſtionẽ continet; & propoſitio proprij nominis dicitur: vt, Arguitur domi te ſuæ interficere voluiſſe: Perduellionis cauſam dicit M. Horatius Rom. libertatis aſſertor & imperij. Aut cõiũcta, & dicitur partitio, quæ vel ex duab⁹ vel tribus, vel quatuor quæſtionib⁹, qui-

bus plura quærũtur cõſtat: vt Caius Seianus maieſtatis imminutæ, & appetiti principatus arguitur apud Tiberiũ Cęſarem. Socrates & iuuentutẽ corrũpit, & nouas ſuperſtitiones religionum inuehit, & vnicũ profitetur Deũ eſſe. Peperam legationẽ geſſit Æſchines, quòd mẽtitus, quod mãdata nõ peregit, quod moratus, quod accepit munera: aut cõparationem habet, in qua per contẽtionem quæritur, vtrum potius, aut ex pluribus, quid potiſſimum, vt, an vtilius ſit reip. regem naſci, an eligi? Hæ, ſi ſingulæ ponãtur ſubiectis probationibus, plures erũt propoſitiones. Si cõiũgatur, in partitionẽ cadũt. Sanè cũ multiplex cauſa eſt, ſua cuiq; præfatio, vel attentio per trãſitionẽ addatur. Aliquando propoſitionẽ nõ adhibemus, cùm manifeſtũ id ſatis eſt, quod in cõtrouerſia verſatur: vt cũ narratio ibi finem habet, vbi initiũ quæſtio. Aliquando ſubiungitur expoſitioni; quæ ſolet in argumentis eſſe ſumma collectio.

DIuiſio eſt oratio, per quam, quid in cõtrouerſia ſit, & quibus de rebus dicturi ſumus breuiter exponimus. 38. *Diuiſio quid.*

39. Diuiſio duplex. *DIuiſio duplex: altera ſeiunctio, altera diſtributio, ſiue digeſtio. Seiunctio, cùm perorata narratione, aperimus, quid nobis ſit in confeſſo cum aduerſariis, & quid ambigatur, & in controuerſia relinquatur, quod propoſitionem dicendorum continet.* Seiunctio. Seiunctio dicitur, quòd ſeparet id, quod in cõtrouerſia eſt, & incertum diſceptatur, ab eo, quod controuerſiam nullam habet amplius. Hæc inclinare debet ad ſuæ cauſæ commodum id, quod conuenit. In hac propterea ſolum ea, quæ nobis vtilia ſunt, & aduerſarij comprobant, dicamus: quæ obſunt, aut non iuuant, ea omnino hic, vt in tota oratione, prętermittamus: ne aut alij ſtatus ex noſtra confeſſione oriantur, aut aduerſarius neget, vel ſibi nobiſcum conuenire, vel aliquid amplius in controuerſia relinqui dicat. Seiunctio in omni genere cauſarũ eſſe poteſt. *Hæc vtiliter adhibetur in omni genere cauſæ*, quamquam multi propriam iudiciorum putant. Vt ſi ex his conficiã laudis, & vituperij diſceptationem ex diſſenſu opinionum, & hominum, qui fauent, aut aduerſantur. Selymus Solymani filius Cyprum Venetis cruenta, & difficili contẽtione belli eripit: orbis

Chriſtiani principes cōferūt opes. Pius V. Pōt. Max. Philippus Catholicus rex, & Veneti. Adunatis claſſibus præficitur imperator Ioānes Auſtrius Philippi regis frater nothus. Cōpoſito inſulæ Cypri ſtatu, firmatiſque præſidiis Turcicā claſſem Bizantium nauigantē ad Naupactum vincit. Hæc omnibus cōueniūt. Ad conciliū de victoris laudibus ornādis refertur. Hic diſſenſus laudantū nobilem victoriam, & temeritatem accuſantum, exoritur. Ex quo controuerſia cōfirmationis, & cōfutationis diſceptationibus excutienda inſtituitur. An publicè laudādus ſit Ioānes Auſtrius Turcicę claſſis victor? In deliberationē eadē incidit. Cauſa, quæ ſit, videtis, Quirites: nūc quid agendū, cōſiderate. Nā Iulio Cæſari, & Marco Ciceroni legis Maniliæ ſuaſoribus, cū aduerſariis, & diſſuaſoribus Quinto Catulo, & Quinto Hortenſio cōueniebat: Bellū graue, & periculoſum ab Mithridate, & Tigrane potētiſſimis regibus inferri: Equites publicanos magnarum rerum iacturam facere: Bithyniæ vicos cōplures hoſtilibus deflagraſſe flāmis: Cappadociā eſſe in

Seiunctio deliberationis.

hoſtiũ poteſtate: Lucullũ abdicaſſe imperiũ belli regij: Marcũ Glabrionẽ, inſtructũ minus ad tantũ bellũ ſucceſſiſſe. vnum Põpeium ab ſociis, & ciuibus, qui in prouincia ſunt, expeti, & ab hoſtibus formidari. Sed non conuenit Põpeium bello Aſiano præfici imperatorẽ; quod legis aſſertores cõfirmãt Cæſar, & Cicero: negãt Catulus, & Hortẽſius.

Seiunctio iudicialis.

In iudiciis, vt pro Milone duplex, vna poſt exordium ante confutationẽ: altera poſt narrationẽ.

Pro Mil.

In iudiciũ nõ venit quęſtio, occiſusne ſit Clodius: nã fatemur hoc; ſed iure, an iniuria? Hinc oritur quæſtio, & cõtrouerſia, an Clodius à Milone ſit iure occiſus? Et poſt narrationẽ. Inſidias factas eſſe cõſtat, & id eſt, quod ſenatus contra remp. factum iudicauit: ab vtro factæ ſint, incertũ eſt. De hoc igitur latũ eſt, vt quæreretur. Ita & ſenatus rẽ, non hominẽ notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit. Numquid igitur aliud in iudicium venit, niſi vter vtri fecerit inſidias? profecto nihil. Si hic illi, vt ne ſit impune: ſi ille huic, tum nos ſcelere ſoluamur. Hęc oratoria partitio, & conſtitutio controuerſiæ,

quamquã perſpicuitatis cauſa præmittitur, diſſimulari tamen debet aliquo figurarum modo, qualis eſt in Roſciana defenſione. Quid primùm querar? aut vnde potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petã? deorumne immortalium, populine Romani, veſtramne, qui ſummam poteſtatem habetis hoc tempore, fidem implorem? Pater occiſus nefariè, domus obſeſſa ab inimicis, bona adempta, poſſeſſa, direpta: filij vita infeſta, ſæpe ferro, atque inſidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis ſceleris abeſſe videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant, atq; adaugent: crimẽ incredibile confingunt: teſtes, & accuſatores in hunc huius pecunia cõparant: hanc conditionem miſero ferunt, vt optet, vtrum malit, ceruices Roſcio dare, an inſutus in culeum per ſummum dedècus vitam amittere. Poſtquã orator ſtatum indicauit conſtitutione controuerſiæ per ſeiunctionem; adiungit diſtributionem, quæ oſtẽdit quibus de rebus, & quot dicendum ſit in cõfirmatione. *Diſtributio eſt duplex: vna eſt enumeratio noſtrarũ, aut aduerſarij propoſitionũ,*

Conueniunt hæc extra controuerſiã

Hæc ſunt in controuerſia

Seiunctioni diuiſio ſubiungitur.

non ſine periculo cauſam in ſua capita partiemur. Quoniam ea tum facilius refelluntur. Quare tum numerus eſt occultandus. *Expoſitio eſt, cum res, de quibus ſumus dicturi, breuiter explicamus, & abſolutè, nullo indicato numero.* Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Cum docuero, quibus fortunæ opibus, ſummum excellētis gloriæ decus ſit adeptus, quibus indolem animi, & vigorem corporis perbearit, exponam. Nego fuiſſe cauſam cur poſtularet: nego ex edicto poſſidere potuiſſe: nego poſſediſſe. Vtraque expoſitio, & enumeratio conficit, vt certas animo res comprehendat auditor, quibus expoſitis intelligat fore peroratum. Expoſitio alioquin ab enumeratione non diſtat, niſi numeri ſuppreſſione.

Expoſitio. *Pro lege Manil.* *Pro Quintio.*

OMnis diuiſio multam lucem af- 40.
fert orationi, ſi cum iudicio adhibeatur opportunè. Habet enim ſuas virtutes, quibus, ſi inſigniatur, ſplendeſcit. Docilem facit auditorem, & attentum, dum quid ordine, quamque

Vtilitas diuiſionis.

earum, quæ propoſitæ ſunt, partium ſequatur, præcognoſcet ſemper auidè expectans. Eadem memoriam adiuuat. Vtilis, & neceſſaria omnibus, quacunque de re differentibus, ſi modo nimis minuta, & in partium particulas diſſecta non ſit, & conciſa: ſi non ſit obſcura, ſi nec longa nimium, nec multiplex, ſi genera partibus non implicentur. *Tribus enim rebus commendatur, breuitate, abſolutione, paucitate. Breuitas facit, vt nullum, niſi neceſſarium aſſumatur verbum, & auditor partibus cauſæ, non verbis, & extraneis ornamentis intendat. Abſolutio, vt, quæ in cauſam cadunt genera, de quibus dicendum cōmodè amplectamur: paucitas, quæ facit, vt genera ſola rerum, de quibus dicturi ſumus, ponantur*. Proinde peccaret, qui diceret cupiditate, audacia, & auaritia aduerſarii multa in rempublicam inuecta eſſe mala. Quippe, non aduertiſſet, auaritiam eſſe cupiditatem. Non pluribus ferè, quam tribus, aut interdum quatuor membris comprehenditur. Cæterum profeſſores artium, & interpretes merito amplectuntur articulatam diuiſionem, & minutam, & multipli-

Virtutes diuiſionis.

cem, quam oratores vitant. Hi namque ſæpe contenti bimembri, aut trimembri diuiſione; &, ne turbent audientum memoriam, atque iudicium, ſumma capita partiuntur diſcriminibus exactis. Etenim, ſi ſtatus omnes expendantur, ſumma habent capita in ſingulis cauſarum generibus. In deliberatiuo honeſtum, vtile poſſibile: aut vtilitatem tutam, & honeſtam: in demonſtratiuo bona fortunæ, corporis, animi: aut, quæ vitam antecedunt, quæ in vita eueniūt, quæ mortem conſequuntur: in iudiciali, coniecturali quidem, voluntatem, & facultatem: iuridiciali, autem, ius, æquum, & bonum, iudicatum, pactum. Singula capita pro argumentorum natura prodeſt ſubdiuidere, ſi membrum diuiſionis vllum ſit capax minutioris partitionis. Sic diuiditur ſuaſionis Ciceronianæ de genere belli ſumma, in partes quatuor, de imperatore deligendo, in totidem. In his obſeruandum, vt quo, quidque ordine propoſuit enumeratio, eodem perſequatur, atque pertractet confirmatio, aut confutatio. Itaque

Summa capita cuiuſque generis.

Subdiuiſio adhibenda.

Ordo diuiſionis retinendus in contētione. vno declarato, & aptè, & artificioſè cōcluſo, ad aliud exponendum commodè, & dilucidè per tranſitionem deuenimus: vt, Quoniam de genere belli dixi; nunc de magnitudine pauca dicam. *Pro lege Manilia.* Item: Satis mihi multa verba feciſſe videor; quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum: reſtat, vt de imperatore ad id bellum diligendo, & tantis rebus præficiēdo dicendum eſſe videatur. Etenim pars exacta eſt aptè concludenda: deinde ab hac ad aliam venitur commoda tranſitione, aut noua comparatione attentionis. Nam quæque pars, prior vt eſt, præbere gradum, & tranſitum ad ſequentem, debet. Singula diuiſionum membra poſſunt habere breues comprobationes.

FINIS PRIMI LIBRI.

RHETORICORVM LIBER SECVNDVS.

Capvt I.

PRimam promiſſi fidem, Præſes Illuſtriſſime, videor liberaſſe: cum plenius orationis tres partes primo exegi libro. Contentionẽ tripartiti generis pari facilitate deinceps explicabo: & tradita oratoriæ probationis propria formula, ſecũdum cõcludam. Et propoſitio ſanè, & partitio, ad hoc inſtituuntur ab oratore: vt eliciatur breuis expoſitio iudicationis demonſtrandæ, & concludendæ ſingulis argumentis confirmationis, & confutationis, in quibus vincendi ſpes, ratioque ſita eſt perſuadendi. *Itaque orator*

Propoſitionis vſus.

perfectis partibus orationis tribus, exordio, expoſitione, partitione, aggreſſus contentionẽ, omnia ſuæ cauſæ adiumenta explicat, & diſſoluit cõtraria, & abſolutè munus ſuũ implet. Id autẽ præſtabit expeditius, ſi hãc propoſitionem, ſiue cauſæ conſtitutionem ſummam, ſiue ſtatum cognoſcat, & auditoribus aperiat diſceptantibus.

Statꝰ quid

Status eſt, prima conflictio cauſarũ ex depulſione intentionis tacitæ, aut expreſſæ profecta, ex qua naſcitur cauſa, ſiue quæſtionis quædam ratio, in qua rei cõtrouerſia cõſiſtit, & ad quã ex vtraque parte argumẽta dirigũtur. Neq; enim prius cõfligitur, quã ad cõtrouerſã quæſtionem ventũ eſt. Hæc eſt Iuriſprudẽtibus litis cõteſtatio, ſiue conſenſus partiũ in litem.

Status in omnis genere cauſarũ.

Status, & cauſæ, de qua agitur, cõſtitutio in omni cauſarũ genere cõſicitur, & ſpectatur, & omnibus locorũ neceſſariorũ modis probatur.

Demõſtratiua conſtitutionis exẽplum.

Ornandus eſt publico Hiſpanorũ, Italorũq; teſtimonio, Ferdinãdus Toletanus Prorex Neapolitanꝰ, qui cũ Frãciſco Lotharingo Gallici exercitꝰ duce pugna cõgredi detrectauit. Fernãdus Toletanus, qui timiditatis, & imbelliæ infamiã in ſe cõcepit vitato congreſſu Gallorũ, nullã promereturl audem. Status, an laudari debeat?

Deligẽdus eſt Imperator Pompeius, & Aſiano præponẽdus bello? Pompeius, quoniã ad vnũ deferri omnia nõ oportet, regio *Mitridatis bello* nõ eſt præficiẽdus. *Status an Pompeius ſit deſignandus ad bellum regiũ* Imperator? Belliſario iubet oculos effodi Iuſtinianus Imperator iniuria: Maximorum bellorum Belliſario ducit eruit oculos iure Iuſtinianus. Iure, an iniuria oculi eripiantur Belliſario?

Conſtitutio deliberatiua. *Conſtitutio iudicialis generis.*

STatus (quẽ præcipuè ſpectat, vt ſciat, & prouideat, quo argumenta referantur, ne dicat cõtraria cauſæ, vel aliena, & ſibi obtinendum orator, & auditor ſpectandum maximè intelligit) *naſcitur ex intentione laudantis, ſuadentis, accuſantis, & depulſione, vituperantis, diſſuadentis, defendentis. Quo reperto, quærenda ſunt ratio, & firmamentum. Ratio id appellatur, quod obtrectator, diſſuaſor, defenſor affert inficiandæ laudis, aut ſententiæ, aut criminis cauſa.* Quod ſi non afferatur, nulla ſupereſt diſceptatio. Nam auditor tum aquieſcit primo laudantum, aut ſuadentum, aut diſſuadentũ, aut accuſantũ iudicio, cũ aduerſari neminem ſentit. *Firmamentũ, quod cõtinet accuſationẽ eſt infirmatio rationis allatæ, & validiſſima argumentio.*

Status vnde naſcatur *Ratio, & firmamentum.*

defenſoris, & ad iudicationem aptiſſima. Sic plerique vocabulorum diſcrimen ſtatuunt: vt ratio defenſori, firmamentum actori tribuatur. Sed reuera non tam eſt actoris, aut defenſoris, quã eius, qui ſtatum facit. Nam is ſolus, qui vagam quæſtionem ſtare facit; & cauſam in anguſtum cogit, tam cauſam, quam rationem in vnum ſumit; & cum ſua ſententia iudici proponit expendẽdam. *Ex ratione, & firmamento iudicatio exiſtit, ſiue de qua re agitur.* Exemplo cuncta comparo. Timoleõ accuſatur apud Amphictyonas parricidij, hoc modo. Parricida es, Timoleon, cæde fratris tui Timophanis. *Intentio eſt.* Non ſum parricida fratris tyranni cæde: *Depulſio.* An Timoleon, qui Timophanem fratrem Corinthi tyrannum interfecit, ſit parricida? *Status ex intentione accuſatoris, & depulſione rei natus.* Nam, inquit Timoleõ, rationem depellendi criminis afferens, ciuium noſtrorum egregia ſuffragatione dux deſignatus, coniurata mercenariorum fretus manu, patriam tyrannidẽ opprimebat, neque cum æquã, & ſana monerem, obtemperabat patriæ libertatis

tatis oppreſſor. *Hæc ratio ſit, cui ſubijcitur firmamentum.* At non priſcarum legum, non nouo iudicij publici decreto, proſcriptuſque, damnatuſque Timophanes ſæuus patriæ dominus, fraterna Timoleontis manu trucidari ſine ſcelere parricidij potuit. *Mox ex ratione, & firmamento elicitur iudicatio, de qua iudices ſententias dicere oportet.* An Timoleon Timophanis Corinthiorum tyranni, tum legum, tum ciuitatis iudicio damnati interfector, ſit parricida? Deliberationẽ adiungo, Conſultatio inſtituitur Catalaunicis in campis. An Etius exercitus Romani ductor, fortunam acie periclitetur, cum Attila Hunnorum rege? Diſſenſus ſententiarũ eſt inter duces. Marcus Stilico dimicandum cum barbaris, qui multitudine freti ferociunt, non præſtant virtute, cenſet. Eutropius diffiſus paucitati exercitus Romani, & auxiliorum Gallicorum, cum Hunnis cõfligendum negat. *Hinc ſtatus oritur.* An pugnetur, & Eutropius affert ſententiæ ſuæ rationem, qua Stiliconianam refellit. Nam hæc manus, inquit, noſtra cædendis (ſi Barbari confodiẽda latera

impunè aperirent) hoſtibus deficeret: quæ ſi opprimatur, Galliam, Hiſpaniam, Italiam Barbaris aperimus. *Hæc ratio eſt. Adiungit firmamentum Stilico:* Non multitudini inconditæ victoriam Mars, ſed exercitatæ, & ſpectatæ virtuti annuit. Si cedat loco Barbarus, partim metu, fugaque ſua, partim noſtro profligabitur ferro: ſin Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Græciæ pauci, ſed bellaces numeri, hoſtium incurſu cadant: Honorius Cæſar nouas copias, nouam claſſem prius repararit: quam Alpes Italiam, quàm Pyrenæi Hiſpaniam, quam hiems Galliam aperiant. *Hinc exprimitur iudicationis caput, de quo concilij principem Etium decernere oportebat.* His oſtendi ex conflictu cauſarum fieri controuerſiam, quæ ſtatus dicitur, ex comparatione rationis, & firmamenti, diſceptationem, quæ iudicatio nominatur.

3. Status duplex præcipuus & acceſſorius.

IN omni cauſa ſtatus præcipuus eligatur. Nam ſunt frequenter diuerſi. Sed ſtatus cauſæ princeps videtur eſſe id, quod eſt potentiſſimum, in quo res maximè vertitur. Exin ſtatus in-

cidens ſpectetur, in quo firmamentum ſummæ quæſtionis, & dominantis in cauſa ſtatus, vel ratio ſita eſt. Clodium iure interfeci. Status eſt princeps, & qualitatis: quis inſidias parauerit; Coniectura, & ſtatus incidens. *Pro Mil.* Si plures ſunt principales, ſeorſum tractandi ſunt; hoc ordine; vt qui aptior eſt mouendis affectibus, ſeruetur in finem, & cauſæ per orationem; niſi ſit tanta cauſæ turpitudo, aut certè rei periculum; vt niſi placatis, & lenitis iudicibus, locus eſſe non poſſit probationibus. Sed multo plura prudentiæ relinquuntur, quàm præceptis. Duplex ſtatus in oratione Ciceroniana pro Marco Claudio Marcello, prior demonſtratiuus, & gratiarum actio: alter coniecturalis, an Iulio Cæſari comparentur inſidiæ; quem poſteriorem pertractat. *Pro M. Marcel.*

TRes ſunt omnino ſtatus, quibus omnia quæ in controuerſiam veniunt, continentur. Sitne: quale ſit: quid ſit: id eſt, factum, nõ factum: ius, iniuria: bonũ, malum. Cõiecturalis, finitio, Iuridicialis. In omni namq; diſputatione tria quæruntur, *4. Tres ſtatus*

an ſit: quid ſit: quale ſit. Quod natura præſcribit ipſa. Nam oportet ſubeſſe aliquid, de quo ambigitur, quod, quid, & quale ſit, certè non poteſt exiſtimari, niſi prius eſſe conſtiterit. Hæc ideo prima quæſtio: ſed nō ſtatim manifeſtum eſt, quid eſt: & hinc ſecunda quæſtio neceſſaria, quid ſit? Hoc conſtituto nouiſſima, qualitas eſt. Nec his exploratis aliud, quod quæratur, vltra eſt. His, vtcumq;ue deſignatis, ad cōtentionis præceptiones producatur oratio. *Eſt autem contentio, qua rem noſtram argumentis aduerſariorum ſolutis, ordine comprobamus.* Atque, vt excutiamus cuiuſque cauſæ genus, & naturam peruideamus: primum de deliberationibus: exin de demonſtrationibus, denique de iudiciis præcipiam.

Contentio quid.

5\. *Deliberatio de rebus futuris & qua conſilia regi poſſunt humana.*

QVi deliberat, *conſulit de contingentibus futuris, quæ ad nos referri ſunt nata, & quorum origo, & cauſa in nobis.* Nam ad hoc deliberamus, quouſque inueniamus, poſſimuſne, an non poſſius agere. Quamobrem non cadunt omnia, quæ fieri, & non fieri poſſunt,

in genus deliberatiuum, vt, quæ natura contingunt, aut fortuna, ad quæ noſtra nihil confert deliberatio. *Conſultationis argumentum, aut ſimplex eſt vnius rei affirmatio, & ſuaſio, aut negatio, & diſſuaſio:* An Athenienſes ſalutem committant nauibus, & mari? *aut coniunctum, quo quæritur de duobus, vtrum potius gerendum:* an Cæſar Roma potitus, Pōpeium in Græciam perſequatur, aut in Hiſpaniam cōtra Pompeianos duces proficiſcatur? *aut è pluribus, quid potiſſimum.* An Pompeius acie victus in Ægyptum fugiat, aut Africam, aut Parthiam? Comparatur, & argumentum cum iis, qui deliberant. Partim namque ad præſentem auditorem, qui de rebus ſuis conſultatur, pertinet. An Senatus captos in caſtris ad Cannas redimat? Hæc res Romanos ſpectat. Partim propter extraneam cauſam, aut perſonam venit in deliberationem. An Cæſaris abſentis ratio habeatur in comitiis conſularibus? Hæc cauſa ad Cæſarem potius, quàm ad Senatum pertinet. Partim ad præſentem perſonam, & rem ex-

Conſultationis argumentum ſimplex & coniunctũ.

Cæſar de bello ciuili lib. 3.

Alia diuiſio materiæ deliberatiuæ.

Liuius lib. 2. decad. 3.

Florus lib. 4. cap. 2.

traneam refertur. An perdomandis, perpacandiſque Galliis imperium Caio Cæſari prorogetur in alterum quinquennium? An Cneo Pompeio contra Mitridatem deferatur imperium *Pro lege Manil.* Aſiæ? Nam diſceptatio tum populum Romanum, tum Pompeij perſonam ſpectat abſentis.

6. *Quæ in deliberatione.* DEliberatio rerum eſt futurarum, & habet ſtatum qualitatis, in quo honeſtorum, & vtilium, eſt quæſtio. Nonnunquam hic & coniecturæ locus eſt. Vt apud Ioannem Luſitaniæ regem diſputat Chriſtophorus Columbus, an in oceano orientali ſit inſulas reperturus? Item: An Pompeius ſit *Cæſar de bello ciuili.* exercitum dimiſſurus, ſi Cæſar Romam priuatus veniat? Eſt finitioni, & legalibus conſtitutionibus, cum ambigitur, an liceat? Nam certa finitio eſt apud Demoſthenem. Det Haloneſon Philippus, an reddat? & apud Marcũ Ciceronem in Philippicis, quid ſit tumul- *Philipp.* tus? Eſt & iudicialium, & legalium ſimilis conſultatio, vt ſtatuæ Sulpitio decernendæ quæſtio: An ſit ijs tantum ponenda, qui ferro in legatione

ſint interrempti? Eſt & locus accuſationi, & defenſioni, cum permixta, vtilitatis ratione. vt, Quæ pœna ſtatuatur in Theodotum cædis Pompeianæ auctorem? Proinde hic quæritur, & de præteritis, & eorum, qui leges ſcripſerunt, mente. *Philipp.*

7. *Quæ promint ſuaſori*

IN conſiliis dandis plurimum valet auctoritas perſonæ ſuadentis. nam anteacta vita illuſtris, clarum genus, fortuna, ætas, expectationem concitant, vt, P. Scipio poſcit imperium Hiſpaniæ ab Senatu, & mouet Patres exemplis ſpectatæ virtutis, & adoleſcentiæ ſpe, indole militari, pietate in patrem, & patruum, ſtudio in remp. Prouidendum, ne, quæ dicuntur ab eius, qui dicit, moribus diſſentiant: &, quid cuique perſonæ conueniat, conſiderandum. Hic ante omnia & prudentiſſimus eſſe, & optimus haberi debet, qui ſententiæ ſuæ de vtilibus, atque honeſtis credere omnes velit. *Tribus enim rebus ſe commendat orator auditori, vt auſcultatione, & fide, quam digniſſimus habeatur: ſi prudentiæ: ſi virtutis, atque probitatis, ſi beneuolentiæ, & propenſi erga ſe ani-*

Liuius lib. 6. decid. 3.

Suaſor ſit prudens, & bonus.

Qui fidem mereatur.

mi, quam maximam auditoribus imprimat opinionem. nam prudens poſſe, bonus velle, qui amicus ſit, & beneuolus, ſedulò pro ſalute, commodiſque auditorum, omnia facturus, & dicturus eſſe videtur. In iudiciis fas putatur aliquid ſtudio indulgere, & fauori: at conſilia ſecundum mores dantur. Et nemo tam malus eſt, qui in conſiliis dandis, malus vnquã videri velit. Sic Catilina rem ſceleſtam, non malitia, ſed indignatione videtur audere, apud Salluſtium. Nam, qui de re nefaria deliberat: id ſolum quærit, quo modo, quam minimum peccare videatur.

Salluſt. in coniuratio ne Catil.

8. *Perſona conſultãtis,*

PErſona ſæpius decoris cauſa, & in nobis, & in iis, qui deliberant, ſpectanda. Et quamuis exempla in conſiliis plurimum proſint, quia facillimè ad conſentiendum homines inducuntur experimentis, refert tamen quorum auctoritas, & quibus adhibeatur. Diuerſi enim ſunt deliberantium animi, & duplex conditio. Nam conſultant aut plures, aut ſinguli. Sed in vtriſque differentia; & in pluribus multum intereſt, Belgæ,

an Hiſpani: Galli, an Germani delibe-rent? & in ſingulis, Solon, an Themiſto-cles: Scipio, an Fabius: Annibal, an Phormio? Proinde intuẽda ſunt, ſexus, ætas, dignitas, ſtudia, mores. Honeſta probis, & recti amantibus ſuadere facil-limum eſt. Si apud turpes obtinere re-cta conabimur; cauẽdum, ne videamur diuerſam vitæ ſectam exprobrare. Ani-mus deliberantis non ipſa honeſti na-tura, quam ille non reſpicit, permouen-dus; ſed laude, vulgi opinione, vtilitate ſecutura, & metu eorum, qui diuerſa fe-cerint, aut eadem. Nam leuiſſimi cuiuſ-que animus facile terretur, & plus apud multos valet malorũ timor, quàm ſpes bonorum; ſicut facilior iiſdem turpium quam honeſtorum intellectus. Aliquã-do bonis ſuadentur parum decora, in quibus ipſorum, qui conſulunt, ſpecta-tur vtilitas. *Quomodo agẽdũ apud improbos.*

9. GEneris deliberatiui (quod poſitum in conſultatione, habet in ſe ſua-ſionem, & diſſuaſionem) *finis, eſt vtilitas cum honeſtate coniuncta, & omnino fœlici-tas.* Qui ſententiam dicit, hũc ſibi finem vtilitatis proponit, eoque totius oratio- *Finis delibe-rationis.*

nis rationem confert; vt metum mali futuri auditoribus incutiat; aut ſpem boni afferat. Vtilitatis enim, ſiue fœlicitatis conſequendæ media conquirit, atque explicat, velut ſapientiſſimus, & optimus auctor, quibus malorum metus diſcutiatur, aut ſpes bonorum concipiatur. *Vtilitas, quæ confirmatione generis deliberatiui pertractatur, duplex eſt; tuta, & honeſta.*

Vtilitas duplex.

10. *Vtilitas tuta quæ.*

V*Tilitas tuta, quæ cõficit inſtantis, & cõſequentis periculi vitationẽ quocũque modo*, & ſecuritatem mali deliberantibus affert. *Diuiditur tuta vtilitas in vim, & dolum, ſiue conſilium, quorum alterum ſeparatim, aut vtrumque coniunctim explicamus confirmatione deliberatiua. Vis*, quæ ſubſidia vtilitatis aut conſeruandæ, aut comparandæ continet, *ſpectatur apparatu militari, ſalutarium rerum copiis demonſtrandis, quæ ſecuritatem oſtendunt, & vtilitatem, quacunque de re deliberanti.*

Sic, qui de bello conſultant, explicant magnitudinum, & apparatum copiarum pedeſtrium, equeſtrium, na-

ualium, armorum, nauium, tormentorum, pecuniarum. Addunt & euocationes militum, & conſcriptiones, & reuocationes, imminutiones hoſtilium copiarum: vt, Ego illum exercitum ex Gallicanis legionibus, & hoc delectu, quem in agro Piceno, & Gallico, Metellus habuit; & his copiis, quæ nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deſerere, quàm illum exercitum maluerunt: quibus ego non modò, ſi aciem exercitus noſtri; verumetiam ſi edictum Prætoris oſtendero, concident. Qui de rebus conſultant: pro argumentorum natura, alia & alia excogitabunt, & propria media, quibus vtilitatis propoſitæ finem conſequi poſſint. Etenim aliis rationibus vtitur, qui legem antiquandam cenſet aliis qui ad liberalium ſtudiorum diſciplinas excitat: aliis qui deriuandum flumen demonſtrat aut oppugnandã vrbẽ. *Dolus, ſiue conſiliũ, eſt calliditas, & fraus, qua fallitur, aut circumuenitur aliquis, qui noſtris*

Cicer. Catil.

vtilitatibus officit. Verſatur in pecunia (ſi de rebus bellicis conſultatio ſit) *numerata, aut non repræſentata, aut malignè collata, ſpe auxilij, amicitiæ, fœderis, pacis rumpendæ, aut renouandæ, in expectatione ſocietatis nouæ, in conſiliis extrahendis, in pollicitationibus, diſsimulationibus, maturationibus, in tarditate, in mentitionibus, denique in iis rebus, quibus aduerſario noſtro fraudem intendimus:* Sic Mithridates L. Murenæ diſceſſu pacem adeptus, & otium; omne tempus, non ad obliuionem veteris belli; ſed ad cōparationem noui contulit. Qui poſtquam maximas ædificaſſet, ornaſſetque claſſes, exercituſque permagnos, quibuſcumque ex gētibus potuiſſet, comparaſſet: Boſphoranis finitimis ſuis bellum inferre ſimulaſſet: vſque in Hiſpaniam legatos, & literas miſit ad Q. Sertorium, & Marcum Perpernam, quibuſcum populus Rom. bellum gerebat: vt, cum duobus in locis diſiunctiſſimis, maximè diuerſis, vno conſilio, ab vnis hoſtium copiis, bellum terra, marique gereretur; populus Rom. ancipiti contentione diſtractus, de imperio dimicaret.

Dolus in quibus.

Pro lege Manil.

Honeſta vtilitas diuiditur in rectum, & laudabile, quod conficit honeſtam, & præſentem, & conſequentem commemorationem. Rectum diuiditur in virtutem, & officium. Virtus eſt animi habitus, quo quis efficitur prudens, iuſtus, fortis, & moderatus. Officium eſt, quod in munere virtutis exercendo præſtatur ad vnumquemque hominem accõmodatè. Eſt enim, ex ætate, ſcientia, dignitate cuiuſque, ſecundùm virtutem congrua, & cõueniens actio. Virtus quadripartito diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Has virtutes oratori, qui ſententiam dicit, tribuimus, non ſicut Philoſophi in ſcholis adoleſcentibus morales, quibus inſtituantur in omnes vitæ vſus decoros: ſed, vt habitus, quibus prīdem informatus, officiis virtutis, in actionibus rerum, fungitur. Philoſophi namque fingũt ſuis diſciplinis theoricis auditores: quos reſp. accipit, & rebus gerendis præficit actores. Atque hi, cùm ſententiam dicunt, profitentur ſe ſapere, probos, fortes, & modeſtos eſſe: & optare multitudini, quaſi imperitæ, & minus doctæ, probæ, intemperanti, timidæ ea probare, quorum ipſi au-

II. Honeſtæ vtilitatis diuiſio.

Officiũ quid

Diſcrimen virtutũ moralium & ciuilium.

ctores ſint.

12. *Prudentia quid.* *PRudentia eſt calliditas, quæ ratione quadam poteſt habere delectum bonorum, & malorum: hoc eſt, mentis ſolertia, & ingenij rectitudo, quæ verſatur circa bona eligenda, comparanda, augenda, atque conſeruanda: mala verò abiicienda, minuenda, depellenda.* Eſt & prudentia veri perſpicientia, atque inueſtigatio. Prior prudentia eſt, quæ verſatur in actionibus, & electione ſalutarium, quibus vtilitas, & felicitas parantur: Eaque eſt agens, & practica, & propria voluntatis, quæ bonum ſpectat. Poſterior in ſcientiis, & cognitione, & veritatis inueſtigatione conſiſtit; & propriè pertinet ad intellectum contemplantem, qui verum concipit. Definitur & prudentia, ſcientia cuiuſque artificij, vt prudentia militaris, vrbis regendæ, oratoria, fabrilis. Item, prudentia eſt rerum multarum memoria, & vſus. Quo prudentiæ modo, ſenes iunioribus prudentiores habentur: & in vnaquaque arte, & re, cuius ſcientiam præcipuè habent, conſuluntur, qui experimentis rerum præſtant.

Alia definitio.

Diſcrimen duplicis prudentiæ.

Tertia definitio prudentiæ.

PRudentiæ partes ſunt tres, memoria, per quam animus præterita repetit, quæ vſus, & experientia obtulit aliquando. Intelligentia, per quam ea, quæ præſentia ſunt, perſpicimus, & de iis rectè iudicamus. Prouidētia, per quā futurum aliquid videmus, antequam fiat. *Prudentiæ ciuilis, qua deliberantes præditos eſſe oportet, proprium officium eſt, futura bona, & mala præuidere, deque iis diſſerere, & pericula, quæ ingruunt explicatis remediis propulſare, & ſalutem qualibet ratione afferre: difficultates rerum rationibus bonis euincere.* Exempli modus hic eſto. M. Tullius imprudentiæ inſimulatur, qui Sergium Catilinam malit emittere, quàm punire: qui ſubinde iudicij ſui, & prudētiæ rationē demonſtrat in hanc formā. Nunc, vt à me quādā prope iuſtā patriæ querimoniā deteſter, ac deprecer: percipite, quæſo, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis veſtris, mentibuſq; mādate. Etenim, ſi mecū patria, quæ mihi vita eſt multo charior: ſi cuncta Italia, ſi oīs reſp. loquatur. M. Tulli, quid agis? tu ne eū, quē eſſe hoſtē cōperiſti: quē belli ducē futurū vides: quē expectari Imp.

13. *Prudentiæ partes tres.*

Accuſatio imprudētiæ.

in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem coniurationis, euocatorem ſeruorum, & ciuium perditorum, exire patieris? vt abs te non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur? nonne hunc in vincula duci? non ad mortem rapi? non ſummo ſupplicio mactari imperabis? quid tandem impedit te? moſne maiorum? at perſæpe etiam priuati in hac rep. pernicioſos ciues morte multarunt. An leges, quæ de ciuium Romanorum ſupplicio rogatæ ſunt? At nunquam in hac vrbe ij, qui à Rep. defecerunt, ciuium iura tenuerũt. An inuidiam poſteritatis times? *præclaram* verò refers populo Romano gratiam, qui hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam maturè ad ſummum imperium, per omnes honorum gradus extulit, ſi propter inuidiam, aut alicuius periculi metum, ſalutem ciuium tuorum negligis? Sed, ſi quis eſt inuidiæ metus, non eſt vehementius ſeueritatis, ac fortitudinis, inuidia; quàm nequitiæ, & inertiæ pertimeſcenda. An cum bello vaſtabitur Italia: vexabuntur vrbes, tecta ardebunt,
tum

tum te non exiſtimas inuidiæ incendio conflagraturum? His ego ſanctiſſimis reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Ego, ſi optimum factu iudicarem Catilinam morte multari: vnius vſurã horæ gladiatori iſti, ad viuendum non dediſſem. Etenim viri, & clariſſimi ciues, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine, non modò ſe, non contaminarunt; ſed etiam honeſtarunt. verendum mihi certè, non erat, ne quid parricida ciuiũ interfecto, inuidiæ mihi ad poſteritatem redundaret. Quod ſi ea maximè impenderet, tamen hoc animo ſemper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriã, non inuidiam, putarem. Quamquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ vident, diſſimulent, qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, coniurationemque naſcentem nõ credendo corroborarunt, quorum auctoritatem ſecuti multi, non ſolùm improbi, verumetiam imperiti: ſi in hunc animaduertiſſem, crudeliter, & regiè fa

an ſit: quid ſit: quale ſit. Quod natura præſcribit ipſa. Nam oportet ſubeſſe aliquid, de quo ambigitur, quod, quid, & quale ſit, certè non poteſt exiſtimari, niſi prius eſſe conſtiterit. Hæc ideo prima quæſtio: ſed nõ ſtatim manifeſtum eſt, quid eſt: & hinc ſecunda quæſtio neceſſaria, quid ſit? Hoc conſtituto nouiſſima, qualitas eſt. Nec his exploratis aliud, quod quæratur, vltra eſt. His, vtcumque deſignatis, ad cõtentionis præceptiones producatur oratio. *Eſt autem contentio, qua rem noſtram argumentis aduerſariorum ſolutis, ordine comprobamus.* Atque, vt excutiamus cuiuſque cauſæ genus, & naturam peruideamus: primum de deliberationibus: exin de demonſtrationibus, denique de iudiciis præcipiam.

Contentio quid.

5.

Deliberatio de rebus futuris & quæ conſilia regi poſſunt humana.

QVi *deliberat, conſulit de contingentibus futuris, quæ ad nos referri ſunt nata, & quorum origo, & cauſa in nobis.* Nam ad hoc deliberamus, quouſque inueniamus, poſſimuſne, an non poſſius agere. Quamobrem non cadunt omnia, quæ fieri, & non fieri poſſunt,

in genus deliberatiuum, vt, quæ natura contingunt, aut fortuna, ad quæ noſtra nihil confert deliberatio. *Conſultationis argumentum, aut ſimplex eſt vnius rei affirmatio, & ſuaſio, aut negatio, & diſſuaſio:* An Athenienſes ſalutem committant nauibus, & mari? *aut coniunctum, quo quæritur de duobus, vtrum potius gerendum:* an Cæſar Roma potitus, Pōpeium in Græciam perſequatur, aut in Hiſpaniam cōtra Pompeianos duces proficiſcatur? *aut è pluribus, quid potiſſimum.* An Pompeius acie victus in Ægyptum fugiat, aut Africam, aut Parthiam? Comparatur, & argumentum cum iis, qui deliberant. Partim namque ad præſentem auditorem, qui de rebus ſuis conſultatur, pertinet. An Senatus captos in caſtris ad Cannas redimat? Hæc res Romanos ſpectat. Partim propter extraneam cauſam, aut perſonam venit in deliberationem. An Cæſaris abſentis ratio habeatur in comitiis conſularibus? Hæc cauſa ad Cæſarem potius, quàm ad Senatum pertinet. Partim ad præſentem perſonam, & rem ex-

Conſultationis argumentum ſimplex & coniunctū.

Cæſar de bello ciuili lib. 3.

Alia diuiſio materiæ deliberatiuæ.

Liuius lib. 2. decad. 3.

Florus lib. 4. cap. 2.

traneam refertur. An perdomandis, perpacandiſque Galliis imperium Caio Cæſari prorogetur in alterum quinquennium? An Cneo Pompeio contra Mitridatem deferatur imperium Aſiæ? Nam diſceptatio tum populum Romanum, tum Pompeij perſonam ſpectat abſentis.

Pro lege Manil.

6. *Quæ in deliberatione.*

DEliberatio rerum eſt futurarum, & habet ſtatum qualitatis, in quo honeſtorum, & vtilium, eſt quæſtio. Nonnunquam hic & coniecturæ locus eſt. Vt apud Ioannem Luſitaniæ regem diſputat Chriſtophorus Columbus, an in oceano orientali ſit inſulas reperturus? Item: An Pompeius ſit exercitum dimiſſurus, ſi Cæſar Romam priuatus veniat? Eſt finitioni, & legalibus conſtitutionibus, cum ambigitur, an liceat? Nam certa finitio eſt apud Demoſthenem. Det Haloneſon Philippus, an reddat? & apud Marcũ Ciceronem in Philippicis, quid ſit tumultus? Eſt & iudicialium, & legalium ſimilis conſultatio, vt ſtatuæ Sulpitio decernendæ quæſtio: An ſit ijs tantum ponenda, qui ferro in legatione

Cæſar de bello ciuili.

Philipp.

ſint interrempti? Eſt & locus accuſationi, & defenſioni, cum permixta, vtilitatis ratione. vt, Quæ pœna ſtatuatur in Theodotum cædis Pompcianæ auctorem? Proinde hic quæritur, & de præteritis, & eorum, qui leges ſcripſerunt, mente. *Philipp.*

7. IN conſiliis dandis plurimum valet auctoritas perſonæ ſuadentis. nam anteacta vita illuſtris, clarum genus, fortuna, ætas, expectationem concitant, vt, P. Scipio poſcit imperium Hiſpaniæ ab Senatu, & mouet Patres exemplis ſpectatæ virtutis, & adoleſcentiæ ſpe, indole militari, pietate in patrem, & patruum, ſtudio in remp. Prouidendum, ne, quæ dicuntur ab eius, qui dicit, moribus diſſentiant: &, quid cuique perſonæ conueniat, conſiderandum. Hic ante omnia & prudentiſſimus eſſe, & optimus haberi debet, qui ſententiæ ſuæ de vtilibus, atque honeſtis credere omnes velit. *Tribus enim rebus ſe commendat orator auditori, vt auſcultatione, & fide, quam digniſsimus habeatur: ſi prudentiæ: ſi virtutis, atque probitatis, ſi beneuolentiæ, & propenſi erga ſe ani-*

Quæ proſint ſuaſori. *Liuius lib. 6. decad. 3.* *Suaſor ſit prudens, & bonus.* *Quis fidem mereatur.*

mi, quam maximam auditoribus imprimat opinionem. nam prudens poſſe, bonus velle, qui amicus ſit, & beneuolus, ſedulò pro ſalute, commodiſque auditorum, omnia facturus, & dicturus eſſe videtur. In iudiciis fas putatur aliquid ſtudio indulgere, & fauori: at conſilia ſecundum mores dantur. Et nemo tam malus eſt, qui in conſiliis dandis, malus vnquã videri velit. Sic Catilina rem ſceleſtam, non malitia, ſed indignatione videtur audere, apud Salluſtium. Nam, qui de re nefaria deliberat: id ſolum quærit, quo modo, quam minimum peccare videatur.

Salluſt. in coniuratione Catil.

8. *Perſona conſultãtis,*

PErſona ſæpius decoris cauſa, & in nobis, & in iis, qui deliberant, ſpectanda. Et quamuis exempla in conſiliis plurimum proſint, quia facillimè ad conſentiendum homines inducuntur experimentis, refert tamen quorum auctoritas, & quibus adhibeatur. Diuerſi enim ſunt deliberantium animi, & duplex conditio. Nam conſultant aut plures, aut ſinguli. Sed in vtriſque differentia; & in pluribus multum intereſt, Belgæ,

an Hiſpani: Galli, an Germani deliberent? & in ſingulis, Solon, an Themiſtocles: Scipio, an Fabius: Annibal, an Phormio? Proinde intuēda ſunt, ſexus, ætas, dignitas, ſtudia, mores. Honeſta probis, & recti amantibus ſuadere facillimum eſt. Si apud turpes obtinere recta conabimur; cauēdum, ne videamur diuerſam vitæ ſectam exprobrare. Animus deliberantis non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permouendus; ſed laude, vulgi opinione, vtilitate ſecutura, & metu eorum, qui diuerſa fecerint, aut eadem. Nam leuiſſimi cuiuſque animus facile terretur, & plus apud multos valet malorũ timor, quàm ſpes bonorum; ſicut facilior iiſdem turpium quam honeſtorum intellectus. Aliquádo bonis ſuadentur parum decora, in quibus ipſorum, qui conſulunt, ſpectatur vtilitas. *Quomodo agēdũ apud improbos.*

9\. *Finis deliberationis.*

GEneris deliberatiui (quod poſitum in conſultatione, habet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionem) *finis, eſt vtilitas cum honeſtate coniuncta, & omnino fœlicitas.* Qui ſententiam dicit, hũc ſibi finem vtilitatis proponit, eoque totius oratio-

nis rationem confert; vt metum mali ſuturi auditoribus incutiat; aut ſpem boni afferat. Vtilitatis enim, ſiue fœlicitatis conſequendæ media conquirit, atque explicat, velut ſapientiſſimus, & optimus auctor, quibus malorum metus diſcutiatur, aut ſpes bonorum concipiatur. *Vtilitas, quæ confirmatione generis deliberatiui pertractatur, duplex eſt; tuta, & honeſta.*

Vtilitas duplex.

10. *Vtilitas tuta quæ.*

V*Tilitas tuta, quæ cõficit inſtantis, & cõſequentis periculi vitationẽ quocũque modo*, & ſecuritatem mali deliberantibus affert. *Diuiditur tuta vtilitas in vim, & dolum, ſiue conſilium, quorum alterum ſeparatim, aut vtrumque coniunctim explicamus confirmatione deliberatiua. Vis*, quæ ſubſidia vtilitatis aut conſeruandæ, aut comparandæ continet, *ſpectatur apparatu militari, ſalutarium rerum copiis demonſtrandis, quæ ſecuritatem oſtendunt, & vtilitatem, quacunque de re deliberanti.*

Sic, qui de bello conſultant, explicant magnitudinum, & apparatum copiarum pedeſtrium, equeſtrium, na-

lium, armorum, nauium, tormento-
m, pecuniarum. Addunt & euoca-
ones militum, & conſcriptiones, &
uocationes, imminutiones hoſtilium
opiarum: vt, Ego illum exercitum ex
allicanis legionibus, & hoc delectu,
uem in agro Piceno, & Gallico,
letellus habuit; & his copiis, quæ no- Cicero Catil.
is quotidie comparantur, magnope-
contemno, collectum ex ſenibus
eſperatis, ex agreſti luxuria, ex ru-
icis decoctoribus, ex iis, qui vadimo-
ia deſerere, quàm illum exercitum
aluerunt: quibus ego non modò, ſi
ciem exercitus noſtri; verumetiam
edictum Prætoris oſtendero, conci-
ent. Qui de rebus conſultant: pro
rgumentorum natura, alia & alia ex-
ogitabunt, & propria media, quibus
tilitatis propoſitæ finem conſequi
oſſint. Etenim aliis rationibus vtitur,
qui legem antiquandam cenſet aliis qui
d liberalium ſtudiorum diſciplinas ex-
itat: aliis qui deriuandum flumen de-
monſtrat aut oppugnandá vrbé. *Dolus,*
iue conſiliū, eſt calliditas, & fraus, qua fal-
itur, aut circumuenitur aliquis, qui noſtris

vtilitatibus officit. Verſatur in pecunia (ſi de rebus bellicis conſultatio ſit) *numerata, aut non repræſentata, aut malignè collata, ſpe auxilij, amicitiæ, fœderis, pacis rumpendæ, aut renouandæ, in expectatione ſocietatis nouæ, in conſiliis extrahendis, in pollicitationibus, diſſimulationibus, maturationibus, in tarditate, in mentitionibus, denique in iis rebus, quibus aduerſario noſtro fraudem intendimus:* Sic Mithridates L. Murenæ diſceſſu pacem adeptus, & otium; omne tempus, non ad obliuionem veteris belli; ſed ad cõparationem noui contulit. Qui poſtquam maximas ædificaſſet, ornaſſetque claſſes, exercituſque permagnos, quibuſcumque ex gẽtibus potuiſſet, comparaſſet: Boſphoranis finitimis ſuis bellum inferre ſimulaſſet: vſque in Hiſpaniam legatos, & literas miſit ad Q. Sertorium, & Marcum Perpernam, quibuſcum populus Rom. bellum gerebat: vt, cum duobus in locis diſiunctiſſimis, maximè diuerſis, vno conſilio, ab vnis hoſtium copiis, bellum terra, marique gereretur; populus Rom. ancipiti contentione diſtractus, de imperio dimicaret.

Dolus in quibus.

Pro lege Manil.

HOneſta vtilitas diuiditur in rectum, & laudabile, qnod conficit honeſtam, & præſentem, & conſequentem commemorationem. Rectum diuiditur in virtutem, & officium. Virtus eſt animi habitus, quo quis efficitur prudens, iuſtus, fortis, & moderatus. Officium eſt, quod in munere virtutis exercendo præſtatur ad vnumquemque hominem accõmodatè. Eſt enim, ex ætate, ſcientia, dignitate cuiuſque, ſecundùm virtutem congrua, & cõueniens actio. Virtus quadripartito diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Has virtutes oratori, qui ſententiam dicit, tribuimus, non ſicut Philoſophi in ſcholis adoleſcentibus morales, quibus inſtituantur in omnes vitæ vſus decoros: ſed, vt habitus, quibus pridem informatus, officiis virtutis, in actionibus rerum, fungitur. Philoſophi namque fingũt ſuis diſciplinis theoricis auditores: quos reſp. accipit, & rebus gerendis præficit actores. Atque hi, cùm ſententiam dicunt, profitentur ſe ſapere, probos, fortes, & modeſtos eſſe: & optare multitudini, quaſi imperitæ, & minus doctæ, probæ, intemperanti, timidæ ea probare, quorum ipſi au-

II. Honeſtæ vtilitatis diuiſio.

Officiũ quid

Diſcrimen virtutũ moralium & ciuilium.

ctores ſint.

12. Prudentia quid.

PRudentia eſt calliditas, quæ ratione quadam poteſt habere delectum bonorum, & malorum: hoc eſt, mentis ſolertia, & ingenij rectitudo, quæ verſatur circa bona eligenda, comparanda, augenda, atque conſeruanda: mala verò abiicienda, minuenda, depellenda.

Alia definitio.

Eſt & prudentia veri perſpicientia, atque inueſtigatio.

Diſcrimen duplicis prudentiæ.

Prior prudentia eſt, quæ verſatur in actionibus, & electione ſalutarium, quibus vtilitas, & felicitas parantur: Eaque eſt agens, & practica, & propria voluntatis, quæ bonum ſpectat. Poſterior in ſcientiis, & cognitione, & veritatis inueſtigatione conſiſtit; & propriè pertinet ad intellectum contemplantem, qui verum concipit.

Tertia definitio prudẽtiæ.

Definitur & prudentia, ſcientia cuiuſque artificij, vt prudentia militaris, vrbis regendæ, oratoria, fabrilis. Item, prudentia eſt rerum multarum memoria, & vſus. Quo prudentiæ modo, ſenes iunioribus prudentiores habentur: & in vnaquaque arte, & re, cuius ſcientiam præcipuè habent, conſuluntur, qui experimentis rerum præſtant.

PRudentiæ partes ſunt tres, memoria, per quam animus præterita repetit, quæ vſus, & experientia obtulit aliquando. Intelligentia, per quam ea, quæ præſentia ſunt, perſpicimus, & de iis rectè iudicamus. Prouidētia, per quā futurum aliquid videmus, antequam fiat. *Prudentiæ ciuilis, qua deliberantes præditos eſſe oportet, proprium officium eſt, futura bona, & mala præuidere, deque iis diſſerere, & pericula, quæ ingruunt explicatis remediis propulſare, & ſalutem qualibet ratione afferre: difficultates rerum rationibus bonis euincere.* Exempli modus hic eſto. M. Tullius imprudentiæ inſimulatur, qui Sergium Catilinam malit emittere, quàm punire: qui ſubinde iudicij ſui, & prudētiæ rationē demonſtrat in hanc formā. 13. *Prudentia partes tres.*

Nunc, vt à me quādā prope iuſtā patriæ querimoniā deteſter, ac deprecer: percipite, quæſo, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis veſtris, mentibuſq; mādate. Etenim, ſi mecū patria, quæ mihi vita eſt multo charior: ſi cuncta Italia, ſi oīs reſp. loquatur. M. Tulli, quid agis? tu ne eū, quē eſſe hoſtē cōperiſti: quē belli ducē futurū vides: quē expectari Imp. *Accuſatio imprudētiæ.*

tum te non exiſtimas inuidiæ incendio conflagraturum? His ego ſanctiſſimis reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Ego, ſi optimum factu iudicarem Catilinam morte multari: vnius vſurã horæ gladiatori iſti, ad viuendum non dediſſem. Etenim viri, & clariſſimi ciues, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine, non modò ſe, non contaminarunt; ſed etiam honeſtarunt. verendum mihi certè, non erat, ne quid parricida ciuiũ interfecto, inuidiæ mihi ad poſteritatem redundaret. Quod ſi ea maximè impenderet, tamen hoc animo ſemper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriã, non inuidiam, putarem. Quamquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ vident, diſſimulent, qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, coniurationemque naſcentem nõ credendo corroborarunt, quorum auctoritatem ſecuti multi, non ſolùm improbi, verumetiam imperiti: ſi in hunc animaduertiſſem, crudeliter, & regiè fa

ctum eſſe dicerent. nũc intelligo, ſi iſte quo intendit in Manliana caſtra, peruenerit; neminẽ tam ſtultum fore, qui non videat coniurationẽ eſſe factã: neminem tam improbũ, qui non fateatur. Hoc autẽ vno interfecto, intelligo hãc peſtem pauliſper reprimi, nõ in perpetuũ cõprimi poſſe. Quod ſi ſe eiecerit, ſecũque ſuos eduxerit, & eodẽ cæteros vndique collectos naufragos aggregarit: extinguetur, atque delebitur, nõ modò, tam adulta reip. peſtis: verumetiam

Diſſuaſoris officium in prudentiæ rationibus

ſtirps, & ſemen malorũ omniũ. *Diſſuaſor virtutis prudentiæ argumenta extenuabit, & eius, qui prudẽter viſus ſibi fuit, cõſulere, pru-*

14 *dentiam appellabit ineptam, & garrulam, & odioſam ſcientiam. Aut, ſi fortè ſuaſor fuerit viſus exemplis, & rerum experientiam in ſe commendarit: viciſſim diſſuaſor exempla exemplis opponet, atque experientiã experiẽtiæ.*

Iuſtitia quid.

Iuſtitia triplex.

I*Vſtitia eſt æquitas, ius vnicuique ſuum tribuens pro dignitate cuiuſque.* Iuſtitia triplex naturalis, quam nobis nõ opinio; ſed quædã innata vis, à natura impreſſit. Legitima, ſiue lex, quæ cõſtitutio eſt publica principis, aut populi auctoritate ſancita. Conſuetudo, quæ ius continet, ſine lege propter vetuſtatem æquè,

Iuſtitiæ naturalis partes ſex.

acſi legitimum eſſet, vſitatum. Iuſtitiæ naturalis partes ſunt ſex: Religio, vis inſita quædam eſt, quæ Dei metu, & ceremoniis ſacrorum hominem regit, & obtemperantem diuis facit, eorumque adminiſtris reddit, non dubia ſpe diuini auxilij, & opis. Pietas in Deum, diuos, parentes, patriam, conſanguinitate, aut affinitate coniunctos, aut ciues, aut amicos, habet officium beneuolentiæ. Gratia eſt officiorum, honorum, amicitiarum memoria, & remuneratio. Vindicatio, quæ vim, aut contumeliā defendendo propulſat, aut vlciſcendo, & peccata punit. Obſeruātia, per quam ætate, ſapientia, vel aliqua dignitate præcedentes veneramur. Veritas, qua rem, ſicuti eſt, & habere ſcimus, dicimus ſine metu. *Religio.* *Pietas.* *Gratia.* *Vindicatio.* *Obſeruātia.* *Veritas.*

15.

QVi deliberat, probitatis opinionē præferre debet, atque ad idem ſtudium auditores adducere. Proinde prouider, an id, quod ſuadet, aut diſſuadet, ſit iuſtum. *Iuſtum eſſe demonſtrabit locis decem, & contrariis iniuſtum. Si dicat ſupplicū, & innocentum miſereri oportere.* An Rex Pyrrhus ferat auxiliū Tarētinis contra *Iuſtitiæ loci decē ex quibus ſuppetūt argumenta deliberanti.* *Primus.*

populum Romanum? *Hic miſericordiam in innocentes conferri debere demonſtrabit: ſæuitiam autem in nocētes, & improbos. Nocentes ſunt, ſuperbi, crudeles, perfidi, alieni appetentes, infenſi, irreligioſi.* Vt,

Cernis, vt inſultent Rutuli, Turnuſque feratur,
Per medios inſignis equis, tumiduſque ſecundo
Marte ruat? non clauſa tegunt iam mœnia Teucros.
Quin intra portas, atque ipſis prælia miſcēt
Aggeribus murorum, & inundant ſanguine foſſæ.

Hîc oſtendet, quam ſit honeſtum bene mereri de ſupplicibus, & miſeris, qui aut ab hoſte premuntur, aut in periculum adducuntur. Secundus. *Deinceps docebit bene merentibus gratiam referri oportere.* An Harpago ſeruatori ſuo Cyrus vlciſcendi occaſionem tradat, cócitatis in arma contra Aſtyagem auum Perſis? *Hic locus continet relationem gratiæ. In quo poſſunt commemorari beneficia ſupplicum*; vt, amicitia, opes, liberalitas, miſericordia, pietas, & ea omnia, quibus neceſſariis temporibus, periculi, annonæ, belli, peſtilétiæ nobis profuerunt.

Producuntur gratorum, & ingratorum exempla, oſtẽdetur nihil eſſe, quod magis arguat inhumanitatis homines, quã beneficiorũ obliuionem: & contra grati animi fidelẽ memoriam diis ſimillimos facere. Docebitur & duo eſſe genera liberalitatis: vnũ dandi beneficii, & alterum reddendi: dare, & nó dare in noſtra eſſe poteſtate: reddere viros bonos teneri. *Diſſuaſor dicet cauẽdũ, ne dũ refertur intẽpeſtiuè gratia, periculũ maius paretur.* vt, Si deliberẽt Numãtini, an Segidẽſes ſocios, de ſe bene meritos C. Fuluio NOBILIORI dedant? Nã, ni faciãt, patriæ paratum exitium vident. In tractandis virtutũ officiis, quibus deliberantem fungi oportet, perutile eſt, memoria complecti, quibus terminis definiat munus ciuis boni M. T. Cicero, aut alii, qui de officio ſcripſerũt. Nam perſpectis rebus, quæ in deliberationẽ incidunt, multa ſuppetent argumenta ſuadentibus, & diſſuadentibus. *Tertium ingreſſus iuſtitiæ locũ, qui vindictæ eſt, orator docebit, malè meritos vlciſci oportere: turpe eſſe inultos mori, deſidere, acceptam iniuriam non perſequi: ferre inſolentem ſuperbiam inimicorũ, aut contumeliã, aut crudelitatẽ, cupi-* Tertius. Vindicta.

ditatē. vt: Quoniā ſēper appetētes gloriæ atque auidi laudis fuiſtis præter cæteras gentes, delēda eſt vobis macula illa Mitradatico bello ſuperiore ſuſcepta, quæ penitus iam inſedit, atque inueterauit in populi Romani nomine: quod is, qui vno die, tota Aſia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna literarum ſignificatione, ciues Romanos, necandos, trucidandoſque denotauit non modò adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum iam tertium, & vigeſimum regnat: & ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit: ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiæ luce verſari. Diſſuaſor dicet metuendam eſſe cladem maiorem, ignominiam, ſeruitutem, damnum: vanam eſſe iram ſine viribus: nō eſſe virorum fortium, atrociter iniuriam perſequi. Hinc progreſſus orator, locum inſpiciet quartum, qui eſt fidei, quæ iuſtitiæ eſt fundamentum. *Declarabit fidem, aut iure naturæ, aut pacto deuinctam parentibus, propinquis, patriæ, ciuibus, affinibus, hoſpitibus,*

Quartus.

Fides.

magnopere eſſe conſeruandam: &, quæ promiſſa ſunt, præſtari debere: nefas eſſe fidem violare, officium fidei negligere, fœdam eſſe ignominiam perfidiæ. vt, Maiores veſtri ſæpe mercatoribus, & nauiculatoribus iniuriosius tractatis bella geſſerunt: vos, tot ciuium Romanorum millibus vno nuntio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Romani conſularem vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit? Illi libertatē ciuium Romanorum imminutam nō tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi Romani omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? His, quibus vindictam expetit in Mitradatem, fidem ciuibus datam negligi cōqueritur. Item: Quid? quod ſalus ſociorum ſummū in periculum, & extremū diſcrimē vocatur. Regno expulſus eſt Ariobarzanes Pro l. Ma

rex ſocius populi Rom. atque amicus: imminent duo reges toti Aſiæ, non ſolùm vobis inimiciſſimi: ſed etiam veſtris ſociis, atque amicis. Ciuitates autem omnes, cuncta Aſia, atque Græcia, veſtrum auxilium expectare, propter periculi magnitudinẽ, coguntur. Quare, ſi propter ſocios, nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores veſtri cum Antiocho, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerũt: quanto vos ſtudio cõuenit iniuriis prouocatos, ſociorum ſalutem, vna cũ imperii veſtri dignitate defendere? Diſſuaſor oſtendet fidem non eſſe ſeruandam, nihil promiſſum, quod illo tẽpore præſtari oporteat: nullam hic eſſe perfidiæ notam: forſan & iis, quibus data, aut iis, qui dederint, aut aliis noceri.

Quintum. *Deinceps aſſeret orator iura, priuilegia, mores, inſtituta, leges patriæ ſeruari oportere: quod fieri non poterit, niſi præſenti, aut ingruenti malo reſiſtatur; morem maiorum ſanctum, & ſempiternum eſſe debere.* Diſſuaſor docebit, nec iura violari, nec leges conuelli, nec religionem pollui, nec morem mutari, ſi hoc fiat, aut non, vel quod nouum videatur, vſitatum fuiſſe.

Sic Quint. Catulus diſſuaſor legis Maniliæ, nolebat quicquam noui fieri cõtra exempla, atque inſtituta maiorum. At M. Tullius cõtra diſſerit multis exẽplis, & veteribus, & recentibus, Populum Rom. ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe: ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum cõſiliorum rationes accommodaſſe. Duo bella maxima Punicum, & Hiſpaniẽſe Numãtinum ab vno imperatore (præter leges) confecta, duas vrbes potentiſſimas Carthaginem, & Numantiam ab eodem Scipione eſſe deletas. Caium Marium iudicio populi Ro. cũ Iugurtha, cum Cimbris, cum Theutonis (cõtinuatis præter diſciplinam vrbis conſulatibus, & imperiis) bellum geſſiſſe. In ipſo Pompeio, in quo nihil noui velit conſtitui Q. Catulus, multa eſſe noua, ſummaque Catuli voluntate conſtituta. Nouum eſſe adoleſcentulum priuatum, difficili reip. tempore, exercitũ confeciſſe: rem optimè ſuo ductu geſſiſſe: eidem, cùm ætas à Senatorio gradu longè abeſſet, imperium, atque exercitum eſſe datum: permiſſam Siciliam, at-

que Africam: cùm Eques Romanus eſſet, præter conſuetudinem triumphaſſe ingenti ſtudio, & voluptate populi: eũdem Equitem Rom. pro conſulibus ad bellum maximum, & formidoloſiſſimum miſſum. eũdem legibus ſolutum Conſulem ante factum, quàm vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet. *Subiungi poterit ſexti loci ratio, quæ ſocietates, amicitias, fœdera ſtudioſè coli docet.* An Philippus Rex Catholicus Venetis auxilia mittat? Sacroſancti fœderis inter principes Chriſtianos Eccleſiæ Catholicæ propugnatores religionem, & fidem commẽdabit, qui id ſuadebit. Hìc amicitiam veterem extollemus, à qua recedi oportere negabimus: dicemus nouam ſocietatem non temerè appetendam: tum oſtendemus quibuſcũ amicitia ſit potior, aut ſanctior.

Sextus. Societates & fœdera.

Addet præterea ſeptimum pietatis, & religionis; tum contendet ius in patriam, parentes, propinquos, diuos comparatum, religioſè colendum, & pro his pugnandum. Vtinam pro decore nobis hoc tantùm, non pro ſalute eſſet certamen. Non de poſſeſſione Siciliæ, ac Sardiniæ, de quibus

Septimus.

quondam agebatur, ſed pro Italia nobis eſt pugnandum. Nec eſt alius ab tergo exercitus, qui, niſi nos vincimus, hoſti obſiſtat. Nec Alpes aliæ ſunt, quas dũ ſuperat hoſtis, cõparari noua poſſint præſidia. Hic eſt obſtandum milites, velut ſi ante Romana mœnia pugnemus. Vnuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed coniugem, ac liberos paruos, armis protegere putet. Nec domeſticas ſolùm agitet curas, ſed idẽtidem hoc animo reputet, noſtras nunc intueri manus Senatum, populumque Romanum: qualis noſtra vis, virtuſque fuerit, talem deinde fortunam illius vrbis, ac Imperii fore. *Huic affinis eſt, qui complectitur, & commemorat neceſſitudinem cum hoſpitibus, clientibus, affinibus, ciuibus, amicis, vicinis. Oſtendit namque ius hoſpitij, clientelæ, affinitatis, vicinitatis, amicitiæ, ciuitatis eſſe ſanctum, & ſeruandum; ſi in numero hominum haberi velimus?* An Tigranes Armenius rex Mitridatem ſocerum ſuum diffidentem rebus ſuis, & profugũ excipiat, & copiis iuuet, cõtra vim exercit⁹ Rom. *Accedit & integritatis locus, quo vetamur corrũpi, aut ſegniores* Octauus Nonus.

eſſe in propulſanda iniuria: ſi dicamus, neç pretio, nec gratia, nec periculi, nec terroris denuntiatione, nec impenſa, nec labore, nec inertia, nec ſimultate in priuatis, aut publicis rebus à via recta, & iuſtitiæ officiis deduci oportere. Sic, Appius Claudius Cæcus pacē cum Pyrrho diſſuadet, ne Patres clade accepta permoti, dignitatem, & gloriā nominis Romani infringant ignobili fœdere: ne munera regia capiant. Item, An Romani fame, & bello circumuenti vltima minitanti Porſenæ cedāt, & Tarquinium recipiant? *Poſtremus eſt æquitatis locus, eaque complectitur in ſumma, vt ea faciamus aliis, quæ nobis fieri vellemus, & ab iis abſtineamus iniuriam, à quibus accipere nolemus.* An Henricus Valeſius Rex, Franciſcum fratrem cum exercitu regio, in Belgium proficiſci ſinat, & ditiones Philippi regis occupare? His iuſtitiæ locis, & partibus, ſi quam rem in concione, aut concilio, aut priuatim faciendam eſſe cenſebimus, iuſtam eſſe oſtendemus, & contrariis iniuſtam, & minime ſuſcipiendam.

Decimus.

SI quid in conſultationē cadat eius argumenti, vt fortitudinis retinendæ,& magnitudinis animi,aut experiēdæ,aut probādæ rationibus conueniat, ſuſcipiendum ſuadebimus per locos fortitudinis ſpeciales ſex. *Primùm,ſi rem magnam, & excelſam,in qua virtutem probare poßimus,eſſe demonſtremus.Nam fortitudo res excellentes ſequitur, & appetit.* vt, L. Lucullus magnum virtutis, & gloriæ argumentum,in bello Armenio cōtra Tygranem, quem audiebat quingenta millia barbarorum ductare, ſtatuit. Diſſuaſor dicet rem indignam conatu fortium virorum, & magnorum: aut humilem, aut minus vtilem, aut nō eſſe idoneam dignitati, aut partæ gloriæ, aut non eo tempore. Poteſt etiam docere rem magnam quidem eſſe, ſed non niſi temerè ſuſcipiendam. Simul eſſe turpe, & deſperātis proprium, rem periculoſam ſuſcipere,& pertinaci cōtentione velle aliquem quodammodo perire, ne pereat. Quo conſilio Franciſcus Galliæ Rex ad Ticinum reſtitit, venturus in poteſtatem hoſtium: & Odetus Lothrecius ad Neapolim

16. *Fortitudinis loci ſex.*

in funeſta obſidione moriturus. *Ad*

Secundus. *hæc, oſtēdemus à nulla re honeſta, aut periculi magnitudine, aut laboris abſterreri oportere: quippe fortibus viris magnæ vtilitatis, & publicæ cauſa, nullum periculum formidandum.* Marcus Claudius Nero Hannibali in Brutiis oppoſitus, cum delecta equitum, peditumque manu expeditis itineribus ad Metaurum flumen delatus Liuio Salinatori coniunxit ſe, & periculum anceps periculo explicauit, oppreſſo Haſdrubale. Spartanus Leonides cum trecentorum Laconum manu infinitam barbarorum multitudinem ad Thermopylas ſuſtinuit triduo victor, & tandem cum multa laude virtutis inuictæ, occubuit non inultus.

Tertius. *Præter hæc, dicemus antiquiorem, & potiorem mortem turpitudine.* Nā longè ſatius eſſe, & honeſtius mortem oppetere, quàm turpitudinis notam ſuo nomini imprimere. Numantini in legitimi fœ-

Florus li. 2. cap. 15. deris pretium, ſi bellum vitare vellent, iuſſi ſunt arma tradere. Id turpitudinis, & imbelliæ dedecus rati, vltimum maluerunt diſcrimen, & patriæ exitium.

Quartus. *Docebimus & virum fortem nullo dolore*

cogi poſſe, vt ab officio recedat, vt, ſi deliberet Attilius Regulus, an fidem ſeruet Pœnis datam, atque ad parata redeat ſupplicia? *Dicemus deinde viri fortis officium eſſe, pro rei veritate, & matura laude, & ſalute ſuorum, nullius inimicitias metuere.* Quidquid in hac cauſa mihi ſuſceptum eſt, Quirites, id omne me reipublicæ cauſa ſuſcepiſſe confirmo. Tantumque abeſt, vt aliquam bonam gratiam mihi quæſiſſe videar: vt multas etiam ſimultates, partim obſcuras, partim apertas, mihi non neceſſarias, vobis non inutiles, ſuſcepiſſe. Sed ego me hoc honore præditum, tantis veſtris beneficiis affectum, ſtatui, Quirites, veſtram voluntatem, & reipublicæ dignitatem, & ſalutem prouinciarum, atque ſociorum meis omnibus commodis, & rationibus præferre oportere. Sic Drances liberè ſententiam dicit, & verè conſulit communi Latinorum ſaluti nullo mortis, & inimicitiarum metu.

Florus lib. 2. cap. 2.

Quintus.

Pro lege Manil.

Rem nulli obſcuram, noſtræ nec vocis egentem
Conſulis, ô bone Rex: cuncti ſe ſcire fa-(tentur,

Virg. lib. 11 Æneid.

Quæ fortuna ferat populi: ſed dicere muſſant.

Det libertatẽ fandi, flatusq; remittat,
Cuius ob auſpicium infauſtum, moreſque ſiniſtros
(Dicam equidẽ, licet arma mihi, mortemque minetur)

Sextus. *Ad poſtremum dicimus propriè pertinere ad virum fortem quodlibet periculum pro patria adire, & laborẽ ſuſcipere, & ſumptũ facere, pro parentibus, pro hoſpitibus, pro ciuibus, pro ſociis, & iis rebus, quas iuſtitia colere docet.*

17. *Fortitudinis partes.* FOrtitudinis partes ſunt magnificẽtia, fidentia, patientia, perſeuerãtia. Magnificẽtia eſt rerum magnarum, cũ excelſi animi cogitatione ſuſceptio, atque adminiſtratio. Hic ſuaſor quẽque monebit, vt exemplo maiorum, magna audeat. Diſſuaſor infauſtis exẽplis deterrebit. Hoc argumento Turnus Rutulos hortatur.

Quod votis optaſtis adeſt, perfringere dextra. (eſto,
In manibus Mars ipſe, viri, nũc cõiugis
Quiſque ſuæ, tectique memor, nunc magna referto (ad vndã,
Facta patrũ, laudes: vltro occurramus

Dum

Dum trepidi, egreſſisque labant veſtigia prima.

Audentes fortuna iuuat.

Fidentia eſt, per quam in magnis, & honeſtis rebus animus in ſe multùm fiduciæ cum certa ſpe collocat. Qualis eſt vox Cæſaris ad trepidum nautam tempeſtatibus obluctãtem. Ne trepida Cæſarem vehis, & eius fortunam. Hîc ſuaſor adhibebit omnia, quæ ſpem rei cõficiendæ afferunt, & honeſtatem, & vtilitatem, & magnitudinem rei commendabit. *Patientia* eſt rerùm arduarum, vtilitatis, & honeſtatis cauſa, perpeſſio voluntaria, & diuturna. Hîc ſuaſor animos excitabit ſpe meliorum. *Perſeuerantia eſt*, qua ratione boni conſiderata, perpetuò permanetur in rebus magnis. Diſſuaſor contra eum, qui fortitudinem in argumento conſultationis inſtitutæ laudarit, dicet non fortitudinem, ſed gladiatoriam audaciam, & inconſideratam temeritatem eſſe.

Fidentia. *Patientia.* *Perſeuerantia.*

TEmperantiæ partes ſunt conſultoro neceſſariæ, vt vtilis, & honeſti ratio habeatur, & noſtra modeſtia commendetur, & aduerſariorum intempe- 18.

Temperãtiæ partes.

rantia vituperetur. *Itaque vituperatio rei nimiæ, & modum excedentis occurrit prima, vt cùm nimias cupiditates honoris, voluptatis, & opum, damnamus.* Hæc cupiditas, quæ temperantię vinculis adſtringitur, eſt tripartita: vna honoris, excellentiæ, dignitatis, quæ, ſi immoderata eſt, appellatur ambitio::altera, luxuria, voluptatis, corporis, àut animi, appetitus immodicus: tertia pecuniæ, & diuitiarum, auaritia. Pecunia, & voluptas, & honos ſunt media quædam bona; quæ inordinato vſu mala fiunt. Hîc dicemus vnumquemque ſuis terminis contineri debere, & officio; & potius tueri parta, quàm aliena inuadere. Sic Hanno Annibalis cupiditatem damnat, quam patriæ exitialem portēdit. *Oſtendemus præterea vnamquamque rem definito naturæ termino concludi.* Deliberantibus Romanis de Siculo bello contra Pœnos: conſulebant quidam, vt mallent in Italia dominari, quam ſupero, inferoque mari, & Alpibus concluſiſſet natura: *Eodem ſtudio modeſtiæ, infinitam cupiditatem frænari oportere aſſeremus; & modum vnicuique rei ſtatuemus; & nimiū progredi diſſuadebimus.*

Loci Temperantiæ. Primus.

Temperātia coercet triplicem cupiditatem.

Ambitio.

Luxuria.

Auaritia.

Secundus locus.

Tertius.

Nam temperantia eſt dominatio rationis firma,&moderata in cupiditates animi nón rectas exvſu rerum priuatarum, aut ſalutis communis.

HAbet temperantia ſuas partes: Continentiam,per quam cupiditas voluptatis, & honoris, & pecuniæ, moderatione conſilij regitur: Clementiam, per quam animi in odium, aut irã cõcitati comitatem retinemus: Modeſtiam,perquam pudor honeſtus veram, & ſtabilem comparat auctoritatem. In temperantiæ tractatione, quam ſuaſor modeſtiam dixerit, diſſuaſor inertiam, negligentiamque appellabit. 19. *Tẽperantiæ partes.*

SI contingat inter eos, qui in cõcilio ſententiam dicunt, controuerſiam honeſtæ, & tutæ vtilitatis naſci: vt vni deliberantium vtilitatis rationem probare:alteri verò placeat honeſtam vtilitatem confirmare: vterque ſuis vtetur argumentis. *Qui tutam vtilitatem ſuadebit,* non apertè contendet incolumitatem honeſtati præferendam. Nullus enim id æquo ferret animo, ſed *primùm affirmabit nullam rem eſſe vtiliorem incolumitate; deinde oſtendet neminem vti* 20. *Cõtrouerſia tutę & honeſti.* *Tuti confirmatio.*

virtutibus poſſe, qui rationes ſuas in tuto non collocarit. Præterea argumento accuſandæ temeritatis vtetur, quo dicet, nec deos eſſe auxilio iis, qui inconſultò in periculum ruant. Denique nihil honeſtum exiſtimari, quod ſalutẽ non pariat. Hæc, ſi poſſit, declarabit exẽplis, rationibus, auctoritate.

21. *Honeſti cõparatio.* QVi *tutæ vtilitati honeſtam præponet, ſex adhibebit locos. Dicet enim virtutẽ nullo tempore relinquendum.* Proinde cum probro virtutis ſecuritatem, & incolumitatem non quærendam turpiter. *Demonſtrabit, & dolorem, ſi timeatur; vel mortem, ſi ea formidetur, dedecore, & infamia leuiorem.* Qua in re amplificabit ſecuturã turpitudinem. *Poterit addere & malignã, & ſiniſteriorem interpretationem aduerſariæ ſententiæ. Hîc oſtendet orator non tantam eſſe vtilitatem, quantam aduerſarius prædicarit: dicet nec immortalitatem, nec æternã incolumitatem conſequi, ex tutæ vtilitatis rationibus, quas contrariæ ſententiæ auctor protulerit. Docebit non eſſe exploratum, an illo vitato malo, in nullum aliud ſimus venturi periculum: addet virtute fretos in mortem vltro proficiſci. Præterea fortitudini fortunam eſſe adiumento. Ad hæc eum tutò viuere,*

qui honeſtè viuat, non qui in præſentia ſit incolumis, & eum, qui turpiter viuat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe. Confirmabit, quod perſuadere volet, honeſtum, omnes iuris, naturæ, legum, conſuetudinis partibus, & præiudiciis exemplorum. Adiunget naturam rei, tempus, locum, perſonam, cauſam, & hoc vtile, & hoc inutile; aut hoc vtilius, aut honeſtius contendet. Qua in comparatione contentio fiet locorum, temporum, perſonarum. Non enim ſolùm cui locus commodior, aut tempus aptius, quis cauſa nitatur meliore: ſed hominum, pro quibus, & contra quos conſulitur, etiam numerus, voluntas, induſtria, exercitatio, audacia, ſcientia, virtus, fortuna, auctoritas, & pecuniæ, arma, equi, naues, nautæ, & nautarum peritia, patientia, ſpectantur: quæ gens audacior, bellicoſior, maioris animi, quæ ſe non victam putet; quæ ignauior, quæ timidior, quæ verbis ſe efferat inſolentiùs, aut in aduerſis rebus concidat, in ſecundis intumeſcat. Ita corporis, animi, fortunæque comparatis præſidiis, quid vtile,

quid vtilius: quid nobis factu promptum, quid neceſſarium, quid difficile, quid impoſſibile, apparebit. Hunc ad modum Solymanus Ottomanus ſæuus, & acer Viennæ obſeſſor, conſultauit, num tutius foret exercitum quingentorũ milliũ Barbarorũ in pacatũ reducere; quàm honeſtius in aciem educere, & Carolum V. Cæſarem, qui nonaginta millium Europæorũ hominũ agmine infeſtus aduentabat, excipere? Eodem pacto conſultant Coronæ Hiſpani, & honeſtatem ſumunt: contra Macicaus vtilitatem. Nam Carolus Quintus Cæſar bellum meditatus in Turcas, Coronem Peloponeſi vrbem occupauit, & valido præſidio Hiſpanorum inſedit, addiditque commeatum aliquanti temporis. Hiſpani brumalibus diebus, cùm tædio lentæ & diuturnæ obſidionis (Turcæ enim caſtris ex longinquo poſitis prohibebãt excurſus longiores in Peloponeſum) tũ multarũ rerum inopia adducti, Marcicaũ hominem Cantabrum generis obſcuri, ſed præclaræ virtutis ducem adoriuntur, ducique in hoſtes flagitãt. Atque ex iis

vnus Hermocilles. Duc, inquit, Macicae in hoſtes ad inſigne aliquod facin⁹ edẽdum, militem. Iam enim plane cuncta deficiunt, & lõginqua ſpes offertur expectãdę claſſis Siculæ, quę vaſto & ſæuo mari nequaquam ante Calendas Apriles, niſi inſano auſu non committetur. Inutili enim & æquè, ignobili otio tempus teritur abſumuntur, interea ſenſim omnia famis ſubſidia: contabeſcunt concepta valetudine militũ vires: pertimeſcenda eſt peſtilentia, quæ concluſis & inuſitato ciborum genere veſcẽtibus, cùm ſeſe aperiet annus, nequaquã defutura videtur. Ad extremũ an non prę ſtat in acie mori, & non inultos, quàm deſperatione, & inedia cõfectos, tanquam fœminas in ſuprema neceſſitate immanibus hoſtibus dedi? Quòd ſi quid audacius tentemus, & virtutis innatæ, totieſque ſpectatæ periculũ faciamus, facilè incautos, & nihil tale ſuſpectãtes, & ſũmotis in caſtris bidui improuidos opprimemus. Nũquã enim fortuna concluſis, & miſerè atq; infami otio deſidibus affutura eſt. Vtamur magnæ ſortis beneficio, & rationẽ, & diſcipli-

nam non ad cautæ prudentæ nomen, ſed ad vnam tantùm inuicti animi magnitudinem reuocemus: & futurũ profecto ſpondeo, vt ipſa præſentium rerum neceſſitas expeditam viam nobilioribus factis pandat. Ad Hermocillis orationem ſic Macicaus reddidit. Muneris impoſiti, & officij probro memor, viri fortes, intempeſtiuis poſtulationibus nequaquam aſſentior. Ecquantum flagitij admittimus, ſi præſidio temerè excedimus? non enim eo conſilio venimus huc gentium: vt in mediterraneis Peloponeſi hoſtes quærendos arbitremur, quos à mœnibus primo aduentu deſertis caſtris effugere coegimus. Parſimonia, & tolerantia, vti ſæpe antea fecimus, has difficultates peruincamus ſuperando. Neque dubito, quin ad prima veris ſigna claſſem Cæſaris, & noua auxilia ſimus conſpecturi: proinde tam inſani conſilij penitus obliuiſcimini. Quid enim leuius, & denique ſtultius eſſe poteſt, quã paucos ſine equitib⁹ in aliena regione cũ iuſto prope exercitu, & valido in primis equitatu, & multis

prætorianis corhortibus firmiſſimo dimicare: & quod aures vix ferre poſſunt relinquere in poteſtate Græcorum deſertam vrbem per aliquot dies, quos vel fideliſsimos, neque pro natura gentis leuiſſimos ipſa fame, & futuri ſupplicii metus inducere poſsũt, vt facilè fidem fallant, & protinus ad veteres dominos rebellent. Itaque mihi in animo ſitum eſt pro diſciplina tueri vrbem eamque Cæſari ſeruare, & omnia aſpera prius perpeti, quem deſertæ vrbis, & proditi exercitus infamiam ſubire? Quid enim acerbius, quàm in ipſa felici temeritate, ſi etiam fortuna votis annuat, nullam omninò laudem ferre & contra etiam militari iudicio pœnam promereri. Porrò quid calamitoſius, quàm in aduerſo euentu cum ignominia leuitatis atque ſtultitiæ in veſtigio pœnitere ſimul & perire. Mollitiem iſtam animorum non magnitudinem eſſe, vti vos falſo nomine appellatis, iudico. Nõ enim viros fortes eſſe cenſeo, qui dolore fatiſcant & famis metu frangantur: adeo vt ſalutem proiicere indecoroque viris exitu miſeriis finem adferre

quàm ſtatutum cœlo fatum malitis expectare.

22. *Alia methodus confirmationis deliberatiuæ.*

SAtis multa videor præcepiſſe de cõfirmationis deliberatiuæ, quæ vtilitatem tutam, & honeſtam controuerſi argumenti, aut coniunctim, aut ſeparatim explicat, rationibus: nunc alterum ordinem, quem Rhetorum vulgus vnũ ſcit, & tradit, aggrediar. Huius partes ſunt honeſtum, vtile, poſsibile. Sunt, qui partium hunc augent numerum; ſed hi partes eas faciunt, quæ ſpecies ſunt partium. Addunt enim neceſſariũ, quo homines adigũtur grauiorum metu, vt quas res habent, conſeruent, aut, quas non habent, & cupiunt, conquitant: aut incommoda depellant, aut minuant. Sed ad vtilitatis quæſtionem pertinet. Et iucundum, & tutum addunt, & magnum, quæ vtilitati quoque adiunguntur: Addunt facile, quod poſſibili, vt impoſsibili difficile, tribuitur: Addunt fas, iuſtum, pium, manſuetum; quæ ſunt honeſti ſpecies. Honeſtum, quod ſua vi, ac natura, laudabile eſt, & propter ſe expetendum

Neceſſariũ & tutum facile.

Honeſtum.

In hoc deliberationis ordine, explicãtur virtutum omnium modi, vti prius oſtendi. Ad honeſtum enim referuntur iuſtitia, & iuſtitiæ partes, religio, pietas, veritas, beneficentia: prudentia, ſapientia, temperantia, modeſtia, clementia, pudor, fortitudo, magnificentia, & cæteræ virtutes: item legitimum, quod legibus ſacris, & profanis, ac legi naturæ eſt conſentaneum. *Vtile.* Vtile, quod non propter ſe, ſed propter fructum, & cõmodum expetitur. Id verò eſt, quod præſentia bona fortunæ, corporis, animi conſeruat; aut mala propulſat, aut futura cõparat bona, aut arcet incommoda. Tractatur hic locus diſtributione bonorum, aut enumeratione malorum, quæ vitare poſſumus: ſi, quod ſuadetur ab ſapientibus viris, faciamus. Quo in genere ſunt, quæ ad vitã tuendam, & ſalutis conſeruationem pertinent: quæ ad augendam rem familiarem conferuntur. *Tutum.* Tutum, quod poſitũ tum eſt in tuenda incolumitate, & ſua, & ſuorum. *Iucundum.* Iucundum, quod honeſta, præſenti, vel cõſequẽti voluptate corp⁹,

aut animum, aut vtrumque delectat. Hic diſtributioni locus quoque eſt, ſi præterita recordemur, ſi præſentia ſentiamus, futura ſperemus: aut ſi cum aliis iucundis comparemus. Quædam vtilitati, & honeſtati coniunguntur: vt gloria, dignitas, amicitia. *Poßibile.* Poſſibile eſt id, quod fieri, vel eſſe natura poteſt. *Impoßibile.* Impoſſibile, quod natura ſui fieri non poteſt. *Facile.* Facile, quod vel nullo, vel non magno labore, ſumptu, moleſtia, aut, quã breuiſsimo tempore cõfici poteſt. Hoc ſpectatur in facultate ingenij, corporis, & rerum externarum, amicorum, copiarum, temporis, loci, dignitatis, auctoritatis, opum. vt, Expugnatio Carthaginis nouæ in Hiſpania, quæ conſilio, & virtute Scipionis vno eſt obſeſſa, & capta die, cùm abſceſsiſſet mare. *Liuius dec. 3. lib. 6.* *Difficile.* Difficile, quod magno labore, ſumptu, moleſtia, longo tempore peragitur. vt, Excidium Carthaginis, aut Numantiæ. *Florus lib. 2 cap. 5. & 17.* In hoc ſpes honorum, & conſequendi id, quod arduum videtur, facit, ne langueſcat animus deliberantum: excitat amicorum, & inimicorum expectatio, & æmulatio.

DIſſuaſio rationibus conficitur cō- 23. *Diſſuaſio.*
trariis,turpi, pernicioſo, impoſsibili: qualis eſt oratio M. Tullij, Philippica in Marcum Antonium ſeptima. Ego, vt ita dicam, pacis alumnus, qui quantuſcunque ſum, ſine pace ciuili nō fuiſſem (periculosé dico) quemadmodum ſitis accepturi,horreo,ſed pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ, & augendæ, quæſo,oroque vos, P. Conſcripti, vt primo, ſi erit vel acerbum auditu, vel incredibile, à Marco Cicerone eſſe dictum,ne vel id prius, quàm quale ſit,explicauero,repudietis. Ego ille,dicam ſæpius pacis ſemper laudator, ſemper auctor, pacem cum Antonio eſſe nolo. Cur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe nō poteſt:quæ tria dum explico,peto à vobis P. C. vt eadem benignitate, qua ſoletis, verba mea audiatis. Non ſecus detrectat obeundæ ad Antonium legationis munus, vti plenum pudoris, & periculi, oratione duodecima.

IAm multis oſtendi genus delibera- 24. *Cōſultatio quid.*
tiuum in conſultatione habere ſententiæ dictionem de rebus expetēdis,

aut fugiendis incommodis. Eſt enim conſultatio, cogitatio, conſideratioque earum rerum, quæ prodeſſe poſſunt, & obeſſe, ad aſſequendum aliquid, vel retinendum, quod amemus, vel depellendum, quod timeamus, vt electio, ex ijs ſequatur, eorum, quæ maximè iuuāt.

In conſultatione conſideranda ſunt quatuor. Hic conſideranda quator. Primum cōmoda, quæ nobis abſunt, & poſſunt comparari: tum, quæ adſunt, vel conſeruari poſſunt: deinde mala, quæ abſunt, & caueri poſſunt: denique, quæ adſunt, & amoueri poſſunt. Diſſuadentes, quæ adſunt bona, & amitti poſſunt, conſiderant: tum, quæ abſunt, nec accerſi poſſunt: dein, quæ mala præſentia amoueri nequeūt: & impendentia, quæ neceſſe ſit, accerſi. Hæc quoniam priuauatim, publicèque conſulentibus expendenda ſunt: vtilis, & honeſti, & poſſibilis partes plenius trado, quæ iuuentus eruditior conſiderabit vtiliter.

25. *Felicitas.* OMnibus, qui de re quapiam conſulunt, proponitur vtilitas, atque felicitas, aut felicitatis particulæ. nam, quæ, aut ipſam faciunt, aut particulam, aut maiorem reddunt, facienda ſunt:

quæ interimunt, aut impediunt, aut aſſerunt contraria, non ſunt ſuſcipienda. Felicitas eſt fortuna ſecundior cum virtute, quæ per ſe vitæ ſufficit: vita tuta, & iucundiſſima: vel poſſeſsionum facultas, & corporis vires, & virtus animi, quæ hæc conficit, conſeruat, amplificat. nam horum vnum, aut plura ſunt felicitas. Felicitatis partes, nobilitas, multorum, atque bonorum gratia, diuitiæ, boni liberi, & multi, commoda ſenectus: &, quæ in corpore ſunt laudata, ſanitas, forma, vires, proceritas, robur, dignitas, tum gloria, honos, proſperitas, virtus, & partes virtutis, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Eſt enim ſufficientiſſimus, qui hæc in animo, aut corpore habet, aut in fortuitis, quibus vita fit tutiſſima. Nobilitas gentis, aut ciuitatis cenſetur, eſſe indigenas, aut vetuſtiſsimos, & primos, duces illuſtres, multos ex ea gente in rebus, quæ expetuntur, præclaros extitiſſe. Priuata nobilitas, aut à viris, aut mulieribus eſt, legitimaque ex illis procreatio. Et vt in ciuitate, ſic in priuata nobilitate, aut virtute, aut diuitiis,

Felicitatis partes.

Nobilitas publica.

Nobilitas priuata.

aut aliis laudatis rebus primos, & claros fuiſſe, & multos ex ea gente viros, mulieresſque illuſtris famæ, iuniores, fœlicitatis putatur. Probitas, & multitudo liberorum in fœlicitatis partem venit: publicè, ſi multa iuuentus, & bona tum commodis corporis, proceritate, forma, viribus, tum animi virtutibus: priuatim, ſi proprij liberi, tam mares, quàm fœminæ, & multi, & probi ſunt. Sic inter ciues Romanos fœlix viſus Metellus, cui nobilitas patriæ, & gentis, & opes, & honores, & liberi, ſummis functi honoribus. Fœminarum virtus, forma, proceritas, pudicitia, operandi ſtudium liberale. Quibus malæ mulieres, vt Lacedæmoniis, media pars fœlicitatis deeſt.

Nobilitas fœminarũ.

Diuitiæ. Diuitiarum partes ſunt, nummi, agri, prædia, ſupellex, pecus multitudine, magnitudine, pulchritudine, fœcunditate, excellens. Firma, & amœna ſunt vtilia.

Vtilia. *Amœna.* Vtilia magis frugifera, quibus reditus capiuntur: Amæna, quibus frui queas, at ex quibus præter vſum, nihil magni conſequaris. Firma ſunt, quæ poſsidemus; vt & vſus, & retinendæ, & alienandæ proprietatis poteſtas in nobis ſit,

ſit. nam diuitiæ vſu magis ſpectantur, quã poſſeſsione. vtentis enim eſt operatio, poſſeſsio ipſæ diuitiæ. Gloria fœlicitatem cuiuſque auget, qui virtutibus præditus ab omnibus exiſtimatur: aut, id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Honor quoque, qui eſt exiſtimationis probæ & beneficæ iudicium; nam honorantur maximè, qui beneficia cõtulerunt, aut in plures, aut in rempublicam: deinde, qui conferre queunt. Beneficientia primas partes habet, quæ ſalutis cauſa eſt, &, vt ſimus: ſecundas vero, quæ diuitiarum, vel alicuius boni, quod vel omnino, vel hic, vel aliquando non facile acquiritur. Nam multi honorem aſſecuti ſunt, quamuis parua largiti: ſed modus profuit, atque occaſio. Honoris partes, ſacra, commemorationes, carminum decantationes, aut orationis ad laudem recitatio, loci vel primi, vel in primis conſeſſus, ſepulcra, imagines, publici victus, munera, quæ honoris ſigna ſunt, loci ceſſio, veneratio, pulchritudo, quæ iuuenem commodum, promptumque ad curſus, & la-

Gloria. *Honor.* *Beneficientia.* *Honoris partes.*

bores facit: & corpus aſpectu iucundũ: virum autem, qui & labores bellicos ſuſtinere queat, & ita iucundum viſu, vt ſimul, dum videtur, terreat: ſenem denique, aut cuius ad neceſſarios labores corpus ſatisfacit, aut nihil eorum habet, quæ ſenectus infert incommoda, aut ſine dolore. Hæc enim ſenectus felix eſt, quæ cùm tardè inuadit, etiam dolores non affert. Vires æſtimamus, motu, pulſu, iactu, tractu, deiectu, elatione eorum, quæ mouere velimus, Robur corporis velocitate, curſu, lucta, percuſſione. Proborum amicitiam in felicitate ponimus. nam amicus eſt, qui, quæ amico bona fore putat; ea propter amicum agit. Itaque cui, & multi ſunt, & probi, felix putatur. Secunda fortuna felicitatis pars eſt, cum omnia, vel plurima, vel maxima bona, quorum cauſa eſt, eueniunt forte, & permanent; quæ inuidia comitatur. Hæc, aut horum partem priuatim, publicèque conſultantes ſpectant, & ſuadent, & expetunt, aut conquiri oportere cenſent ex vtilitatis tutæ, honeſtæque rationibus.

Vires. *Robur.* *Amicitia.*

Secunda fortuna.

HIs orator adiunget conſideratio-nem boni, quod ſuipſius expeti-tur gratia: & id, cuius gratia aliud qui-dam appetimus: &, quod omnia cu-piunt, vel, quæ ſenſum habent omnia, vel intellectum. In bonis ſunt, quæ, cum adſunt, benè afficiunt; quæ ſufficiunt, cui adſunt: quæ, quod efficiunt, con-ſeruant: quæ arcent mala: acquiſitiones bonorum, malorum abiectiones: acce-ptio maioris boni, pro minore: & mi-noris mali, pro maiore: virtutes, quia benè afficiunt eos, in quibus ſunt; & ſunt efficientes bonorum: voluptas; quam animalia appetitu naturali ex-petunt: iucunda, & ſpecioſa: felicitas; & quæ felicitatis appetuntur gratia, vt iuſtitia, fortitudo, modeſtia, magna-nimitas, magnificentia: forma, diuitiæ; nam poſſeſſio eſt multorum efficiens: amicus, amicitia, honor, gloria, quia iu-cunda ſunt: dicendi, & agendi virtus, ingenium, memoria, diſcendi facilitas, mentis præſtantia, quia multa efficiunt: ſcientiæ omnes, artes, & vita, quæ ſunt per ſe expetendæ, vel ſi ex illis nullum promanaret bonũ: iuſtum, quia publi- 20. *Vtile & bonum.* *Quæ in bonis.*

putantur: ea, quæ ſunt, aut plures, aut pares geſſerunt: quæ amicis grata, & inimicis moleſta: quæ, ij eligunt, quos ſingulares ducimus: ea, quæ vſum habent, & ad quæ apti natura ſumus: hæc enim nos facilius geſturos arbitramur: quæ nemo improbus hæc enim laudantur magis: quæ cupimus, nam iucunda videntur, & meliora: ea, quibus vnuſquiſque maximè afficitur, vt bellicoſus victoria, ambitioſus honore, auarus pecunia.

INtereſt deliberantis, quæ meliora, quæ maiora; nam felicitatem magis 27.
promouent maius, melius, vtilius, id eſt, *Quæ meliora.*
quod tantum eſt, & amplius. In maioribus bonis ſunt, plura vno, & paucioribus: quæ maxima exceduntur à maximis: quod ex aliquo ſequitur, aut ſimul, aut poſtea, aut poteſtate, &, hoc ex illo non ſequitur: quæ rem eandem maiore excedunt, cùm neceſſe ſit ipſum maius excedi, quæ maius efficiunt bonum, illud, cuius efficiens maius eſt, ſicut ſalubre iucũdo eſt eligibilius, maiuſque bonum, vt ſanitas voluptate, quod per ſe expetibile eſt, melius eſt eo, quod non

per ſe, vt vires ſalubribus rebus. Si alte-
rum quidem finis eſt, alterum autē finis
nō eſt, hoc enim alterius gratia eſt, illud
ſui: quod minus alio, aut alijs indiget,
ſiue paucioribus, aut facilioribus: &,
cùm illud abſq; hoc fieri poſſit: id, quod
principium eſt, cùm alterū non ſit: quod
cauſa eſt, & non alterum: cum duo prin-
cipia diuerſorum ſunt, id, quod à maio-
re principio eſt, maius eſt, &, quod à ma-
iore cauſa: duorum principiorum, aut
cauſarum, quod maioris principium, aut
cauſa, maius eſt; ſi alterum principium
eſt, alterum non eſt: quod rarius eſt, ma-
ius eſt eo, quod eſt abundantius, vt au-
rum ferro: & per contrariū, quod abū-
dantius eſt, maius eſt, quoniam in pluri-
bus vtimur. Rarum enim à frequenti
exceditur, ſic aqua optima; faciliora dif-
ficilioribus; & difficiliora facilibus, quo-
niam rariora: cuius contrarium maius;
virtus, non virtute; vitium, non vitio
maius eſt, cum illa fines ſint, hæc non
ſint: quorum opera pulchriora, vel de-
formiora, ipſa quoque maiora: quo-
rum exceſſus eſt eligibilior, aut pul-
chrior, aut acuto viſu, quam olfactu

vti: item amicorum eſſe ſtudioſum, quam pecuniarum: nam ſtudia in amicos præſtantiora ſunt pecuniæ ſtudio: rerũ meliorum exceſſus meliores ſunt, & pulchriorum pulchriores: quorum cupiditas laudabilior: maiorum namque rerum maior eſt appetitio: quorum ſcientiæ ſunt pulchriores, magiſque expetuntur, ipſæ quoque res pulchriores ſunt: quod cenſerent, aut iam decreuerunt prudentes vel omnes, vel plures, vel præſtantiores, maius eſt. Id enim maius, quod ſic prudentia iudicat: quod melioribus, aut ſimpliciter ineſt, aut quatenus meliores: ſic fortitudo viribus corporis: quod melior, aut ſimpliciter eligeret, aut, qua melior, vt iniuriam pati, quàm inferre. Illud enim iuſtior eligeret: iucundius, quàm iucundum minus. Iucundius eſt, quod à dolore magis abeſt, & quod longiori tempore iucundum eſt: quod melius eſt, minus bono: quorũ aut ſibi, aut amicis cauſa eſſe mallent, ea maiora bona: quæcũque verò minimè, ea maiora ſũt mala: diuturniora, & ſtabiliora min⁹ diuturnis, & inſtabilioribus quæcũq; à ſimi-

Iucũdiora.

libus caſibus, & coniugatis conſequuntur, vt quod fortius ſit, quàm quod fortiter: quod omnes expetunt, eo, quod non omnes: &, quod plures, eo, quod pauciores: quod magis appetunt; &, quod inimici litigio exigunt, aut, qui ſententiam ſubeunt: quod participant omnes: quod nemo, aut pauci participãt, id enim rarius eſt: laudabiliora ſunt, & quorum maiora pretia: nam pretiũ, quædam dignitas eſt: quorum iactura maior: quæ ijs maiora ſunt, quæ aut maiora certè ſunt, aut videntur: quæ, cùm in partes diuidũtur, multo apparẽt majora. Sic vxor Meleagro perſuaſit iret in prælium, enumerãs, quæ accidunt vrbi captæ: exaggeratio eadem de cauſa, quia diuiſio magnũ oſtendit exceſſum, &, quia principium eſt rerum magnarum. Id maius eſt, quod rarius, atque difficilius: occaſiones, ætates, loca, tempora, vires, reddunt res maiores. Nam, ſi vltra vires, ſi præter ætatem, ſi præter cæteros, ſi ſic, vel hic, vel tunc: rei magnæ, pars maxima: quod ex ſeipſo, quia difficilius, vt, ſi per te didiceris: quæ in maiore inopia requirũtur,

vt in ſenectute: quod de duobus fini propius: quod ipſum, & ſimpliciter: melius poſſibile, quàm impoſſibile: quę in fine vitæ: finis namque ſunt ea magis, quæ ſunt prope finem: quæ ad veritatem magis, quàm quę ad opinionem; vt dare, quàm accipere beneficium: quę magis eſſe, quàm videri volunt, quod ad plura vtile, vt ad viuendum, bene viuendum: ad agendum honeſta, ad voluptatem. Sic diuitiæ, & bona valetudo, maxima eſſe videntur, quia hæc complectuntur: quod, cùm ſit abſque dolore, voluptatem etiam affert; vno enim plura ſunt meliora. Quare cùm voluptas, & indolentia bona ſint, duo in vnum compoſita maius efficiunt: quæ, cùm adſint, non latent, quàm, quæ latent. Nam ad veritatem illa tendunt. Sic maius eſt bonum diuitem eſſe, quā videri: quod carum eſt, & aliis ſolùm, aliis non ſolùm.

DE iis, quæ felicitatem afferunt, de vtilibus, & bonis, de maioribus, & minoribus, dixi: nunc de honeſto, & iucundo pauca præcipiam. Honeſti naturam ſpectant, non minùs laudatores, 28.

quàm conſultores. Id autem eſt, quod, cùm propter ſe ſit expetendum, laudabile eſt, quia bonum. Itaque virtus honeſtum eſt; nam & bona eſt, & laudabi-
Virtus quid lis. Eſt verò virtus, vis quædam, quæ producit res bonas, & conſeruat: vel, vis multa bene faciendi, & magna, & omnia in omnibus. Honeſta ſunt, quæ virtutem efficiunt: quæ à virtute fiunt: indicia virtutis, & opera, iuſta, & iuſtè facta: quorum præmium honor; quàm ea, quorum pecunia: quæcumque eligibilium, non ſui quiſpiam gratia gerit: quæ ſimpliciter bona ſunt: vt, quæ, quis pro patria facit, ſua contemnens; quæ natura bona ſunt; & quæ bona, ſed non ſibi: quæcunque magis mortuum conſequuntur, quàm viuum. Nã, quæ viuos conſequuntur, ea ſui gratia magis facere videntur: quæ laudis gratia fiunt: quæ non ſibi, ſed aliis ſunt vtilitati: contraria iis, quibus aut dicentes, aut facientes, aut facturi, aut dicturi erubeſcunt: ea, de quibus trepidant, etiamſi non timeant: virtutes, ac opera eorum, qui natura excellunt; vt viri, quàm mulieris: quibus alij fruuntur magis, quàm

ipſi, proinde iuſtitia laudatur: inuictum eſſe, ſic victoria, & honor, etiamſi vtiles non ſunt, expetuntur, & virtutem oſtendunt eximiam: memorationes, & monumenta, & quibus honos connectitur maior: quæ ſuperuacanea ſunt, & ſoli inſunt: digniora memoratu: quæ apud eos, quibuſcum viuis laudantur: nulla vti arte fabrili: quæ honeſtis ſunt propinqua; vt profuſio in omnes, & magis in amicos: quæ, vt conueniẽs eſt; vt ſi digna maioribus, aut inceptis: nobilitas, doctrina: quod à ſolo, aut primo, aut cum paucis factum: quod ex tempore, occaſione factum, non fortuna: quę ad virtutẽ excitãt, & quib⁹ honoramur: excellẽtia omnis meritorũ virtutis

IVcunda ſunt, quorum cupiditas, ſiue iucundi appetitio ineſt. Hæc cupiditas, partim cum ratione, partim ſine ratione eſt. Sine ratione, ſiue cogitatione eſt naturalis, & per corpus, veluti alimẽti, fames, ſitis. Eſt in ſingulis ſpecieb⁹ alimenti cupiditas, in tactu, guſtu, olfactu, auditu, viſu. Rationalis cupiditas, qua perſuaſi cupiunt. Nã multa expetere, & poſſidere cupiũt, cũ audierĩt, fuerintq; 29. *Iucunda.*

perſuaſi. Frui voluptate tum dicimur, cum aliquo ſenſu afficimur. Imaginatio ſenſus, quidam eſt debilis ſenſus: & recordantem, & ſperantem, eius rei ſequitur imaginatio, quam recordatur, & ſperat. Iucunda omnia ſunt, vel in ſenſu præſentium, aut præteriti recordatione, aut futuri ſpe: quæ meminimus, iucunda ſunt, non ſolùm, quæ, cùm aderant, voluptatem afferebant; verumetiã nonnulla eorum, quæ dolorem, ſi poſt illa, bonum quid habemus, & laudabile. Hinc dictum, ſeruato, periculi meminiſſe, iucundum. Iucunda ſunt, quæ delectationem habent, aut vtilitatem non paruam, cùm adſint; aut ſine dolore iuuare videntur; & quæcumque delectationi ſunt: ingentes cupiditates, quas voluptas ſequitur: amãtibus colloquia, & ſcriptiones. Id enim amoris initium eſt omnibus, ſi non ſolùm cùm adeſt, lętantur, ſed abſentis memoriam tenentes, etiam amant. Idcirco cùm mœſti ſunt, quoniam non adeſt, & in fletu, & luctu quædam voluptas ineſt: vltio eſt in iucundis. Id enim adipiſci iucundum eſt, cuius fruſtratio eſt triſtis, qui iraſcũ-

tur, dolent non vlti; ſperantes vltionem gaudent: vincere contentioſis, & omnibus iucundum: ludi, qui pugnæ, & cõtentionis ſpeciem habent (nam victoria ineſt) teſſera, alea, pila, venatio, forum, & diſputatio aſſuetis, & potentibus: honor, & gloria, amicus, amor: admirationi eſſe, aſſentationibus aures præbere. Nam aſſentator admirari, & amare videtur: idem ſæpius agere; nam conſuetudo iucunda, varietas, & viciſſitudo. quæ interuallo temporis videntur: diſcere, & admirari: beneficium, & id, tam conferre, quàm accipere: bene mereri, ſubuenire propinquis, manca ſupplere: quæ imitatione aſſequimur: periculum euadere: quæ ſecundùm naturã ſimilia ſunt, aut genere coniuncta; vt homo, homini; equus, equo; adoleſcẽs, adoleſcenti; aſſentatores, & amatorum amici: principatum obtinere: ſapientem eſſe; nam ſapere, eſt principatus: increpare alios, ambitioſis ſuaue: in eo verſari, in quo quis ſibi optimus eſſe videtur: otium, riſus, ridicula, ioci, & homines, & opera, & verba, quies, accubatio, ſomnus. Triſtia ſunt, neceſſitas, violentia, *Triſtia.*

curæ, conatus. Namhæc grauia ſunt inſuetis. Qui deliberat, aut laudat; hæc intueatur, &, quæ opportunè ſuppeditāt argumenta, vſurpet.

30. *Poſsibilia quæ.* POſſibilia ſunt, quorum contraria fieri poſſunt, vel eſſe; Ciuitas defēdi poteſt, ſic & capi: quorū ſimilia, eorū & diſſimilia fieri poſſunt: quæ difficiliora, eorū & faciliora: quorum principiū, horum & finis; & viciſſim, quorū finis poſſibilis, eorum & principium: natura generatione poſteriora, ſi fieri poſſunt, & priora: quorum amor, & cupido eſt ſecundùm naturam: quorum eſt ars, & ſcientia: quorum principium in iis eſt, quos vel cogere poſſumus, aut perſuadere: Ij autem ſunt, quibus aut meliores ſumus, aut domini, aut amici: quorum partes poſſibiles, & totum: & quorum, totum, eorum & partes: quorum genus ex poſſibilibus, eorum & ſpecies: & quorum ſpecies, eorum & genus: vt nauim fieri, & triremem: ſi alterum eorū, quæ ad inuicem referuntur, & alterum, quæ ſine arte, & præparatione fiunt, fieri poſſunt & arte, & cura. Sic, quæ fortuna fiūt, & arte fieri poſſunt: quæ peiori-

bus,aut minoribus, aut imprudentioribus;ea cōtrariis multo magis poſſibilia: ſi,quę minus fieri nata,facta ſunt:& quę magis nata fieri, poſſibilia:ſi poſteriora facta,& priora poſſibilia:ſi,quę quis volebat,& poterat,fecit.Quæ,vt fiant,non impediuntur : quæ fieri poſſunt, & cupiuntur:quæ fieri poſſunt,& delectant: quæ, ſi facturus erat quis,& fecit:ſi,quæ tentauit, fecit : quæ nata ſunt fieri ante aliquid,aut illius gratia:ſic,ſi coruſcauit, tonuit:& ſi,quæ nata fieri ſunt, poſteri⁹ facta ſunt,& priora:quæ in poteſtate, & volũtate,cupiditate,ira, cogitatione cũ poteſtate,in appetitione faciẽdi, & cura. nam plurimum fiunt, quæ curæ ſunt.

QVinque ſunt præcipuè,de quibus 31.
deliberãtes publicècõſultãt,opes, *Quinque ſunt in deliberationib⁹ publicis.*
bellũ,pax, regionis cuſtodia, & ea, quæ
inferuntur,aut efferuntur, legum latio.
Qui de opibus conſulit,noſſe debet re- *Opes.*
ditus regni, aut ciuitatis, & quot,& quanti ſint, percepiſſe, vt, ſi quis neglectus ſit,reſtituatur : ſi, quis tenuior, amplificetur.Prętерea impenſas omnes,vt, quę inutilis, diminuatur; & quæ profuſior ad modicũ reducatur. nã nõ ſolum

acceſſiones rerum; ſed etiam attenuationes reddunt ditiores. Quæ non vſu ſolùm, quem de noſtris habemus rebus, conſpicere poſſumus, ſed neceſſarium etiam eſt, ad dicendam de iis ſententiã, eorum, quæ alij inuenerunt, hiſtoriam tenere.

QVi de bello, & pace dicet; copias ciuitatis, aut regni noſcat, quantæ pro tempore ſint, & quantæ eſſe poſſint, quæ, & quo modo ciuitas, aut rex, bella geſſit: noſſe quoque oportet finitimorum, & eorum maximè, contra quos bellum erit, copias: vt pax cum melioribus habeatur: & bellum cũ minoribus geratur: An copiæ ſimiles ſint, an diſſimiles. Nam hac parte meliores quidam ſunt, aut imbecilliores. Superiorum bellorum euentus ſint in memoria. Nam ſimilia fieri ſolent à ſimilibus.

IN regionis cuſtodia, & multitudo cuſtodum, & qualitas ſpectetur, & locorum, in quibus præſidia ſunt conſtituenda; quod fieri non poteſt, niſi regionem, & regionis ingenium, & naturam pernoueris. Si minora ſint, præſidia au-

augeantur: ſi ſuperuacanea minuantur: & magis opportunis locis tribuantur.

QVæ efferri poſſunt conſiderẽtur: quã magna impenſa ſufficiat: &, quæ ex propriis agris colligãtur: &, quæ afferantur aliunde. Quas rès inferre, quas efferre, vt fœdera ſint, cum iis, qui hæc ſuppeditant. Quippe, qui meliores vel ſint, vel vtiles. 34. *Quæ efferuntur.*

PRæter hæc ad ciuitatis, & prouinciæ ſalutem pertinent, & legum cognitio, & latio. Nam ſalus publica in legibus ſita eſt: neceſſe quoque eſt ſcire, quot rerumpublicarum genera: quæ vnicuique conferant, & quibus extingui ſolent, tam contrariis, quàm ſecundis. Præter optimam rempubl. cæteræ omnes, & intẽſione, & remiſſione corrumpuntur, vt popularis ſtatus non modò, cùm remittitur imbecillior ita redditur; vt tandem ad potentiam paucorum deueniat; ſed etiam, cùm vehementer intenditur. Ad legum lationẽ, expedit noſſe, tum ex præteritis, quis reipublicæ ſtatus conducat: tum aliorũ quoque ſcire conditionem, & quibus conueniãt. Ad ferẽdas leges ſunt vtiles 35. *Legũ latio.*

peregrinationes, quibus multarum gẽtium leges cognoſci poſſũt. Ad publica verò conſilia, diligenter perſcriptam rerum geſtarum hiſtoriam in memoria

36. *Status ciuitatis.* habere.

QVatuor ſunt ciuitatum, & rerum ſtatus, Democratia populi, Oligarchia paucorum, Ariſtocratia optimatũ, Monarchia vnius principatus. In ſtatu populari ſorte magiſtratus deſignãtur: in Oligarchia cenſu: in optimatum imperant, qui diſciplina excellũt. Diſciplinam leges faciunt, quibus, qui ſemper obtẽperarunt, optimi videntur. In Monarchia vnus omnium dominus; ſi moderatus, Rex: ſi immoderatus, tyrannus Popularis ſtatus finis, libertas: paucorũ, diuitiæ; optimatum, quæ ad diſciplinã, & leges pertinent. Tyrãnidis, cuſtodia. Orator mores nouerit cuiuſque principatus. nam alij, & alij ſunt in diuerſo principatu, ad quos oratio, & ſenſus oratoris accommodari debet.

37. *Diſcrimen exhortationis & ſuaſionis.*

DEliberatiui generis partibus ſuaſioni, & diſſuaſioni adiungimus exhortationem, dehortationẽ, cõciliationem, conſolationem, petitionẽ, cõ-

mendationẽ, monitionẽ. Exhortatio, ſuaſioque, certũ diſcrimẽ habẽt, cetera ſunt affines. Nam nec eodem tendit vtraque, nec ſimili via. Etenim ſuaſor id cõtendit, vt velis: exhortator, vt audeas: ille probationibus docet; hic ſtimulis excitat: ille ſententiam mutat: hic addit animum: ille errantibus autor adeſt; hic hæſitantibus. Exhortamur enim ceſſãtes, aut etiam currentes: Denique, ſi ſuaſioni comparemus exhortationem exactius, hæc illius eſt pars, & concluſio, quæ affectibus conſtat, non argumentis. Neque enim ſuadenti ſatis eſt, quid optimum factu, docuiſſe; niſi & ſtimulos admoueat, ne difficultate, vel periculo deterriti, vel ignauia retardati, quod opportunum eſt, defugiamus. Sed vt in ſuaſionem ferè ſemper incidit exhortatio: ita in hac ſuaſionis eſt creber vſus. Sic P. Cornelius Scipio oppugnaturus Carthaginem nouam in Hiſpania ſpem potiundæ vrbis militũ cõcioni facit in hanc formã verborum. Ad vnam vrbem oppugnandam ſi quis vos adductos credit, is magis operis veſtri, quàm emolumẽti exactam rationẽ

milites habet. Oppugnabitis enim verè mœnia vnius vrbis; ſed in vna vrbe vniuerſam ceperitis Hiſpaniam. Hîc ſunt obſides omnium nobilium, regum, populorumque: qui ſimul in poteſtate veſtra erunt, extemplo omnia, quæ nunc ſub Carthaginēſibus ſunt, in ditionem tradent. Hîc pecunia omnis hoſtium, ſine qua, neque illi bellum gerere poſsũt, quippe qui mercenarios exercitus alũt: & quæ nobis maximè vſui ad conciliãdos animos barbarorum erit. Hîc tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus belli eſt, qui ſimul & vos inſtruet, & hoſtes nudabit. Potiemur prçterea cum pulcherrima, opulentiſſimaque vrbe, tum opportuniſſima, portu egregio: vnde terra, marique, quæ vſus poſcunt, ſuppeditentur: quæ, cùm magna ipſi habebimus, tum dempſerimus hoſtibus multo maiora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentariũ; hoc omnium rerum receptaculũ. Huc rectus ex Africa curſus eſt, hæc vna inter Pyreneum, & Gades ſtatio: hinc omnis Hiſpania imminet Africæ. Sed quoniã vos inſtructos, & ordinatos co-

Liu. lib. 6. decad. 3.

gnoſco: ad Carthaginē nouā oppugnādam totis viribus, & animo tranſeamus. *Dehortatio.*
Sicut exhortatio animū ſpe implet, ita dehortatio metu deterret. Sic Calauius ciuis Cāpanus Perollam filium ab Annibalis cæde dehortatur. Per ego te fili, *Liu. lib. 3. decad. 3.* quæcunque iura liberos iungūt parētibus, precor, quæſoq; ne ante oculos patris facere, & pati omnia nefanda velis. Paucæ horæ ſunt, intra quas iurātes per quidquid deorū eſt; dextras dextræ iūgentes, fidem obſtrinximus, vt ſacratis de menſis eſſemus. Digreſſi à colloquio extēplo in eum armamur: ſurgis ab hoſpitali menſa, ad quam tertius adhibitus Campanorū, ab Annibale es: eā ipſam menſam cruētare vis hoſpitis ſanguine? Annibalem pater filio meo placare potui: filiū Annibali nō poſſum. Sed, ſi nihil ſancti, nō fides, nō religio, nō pietas, audeantur nefanda, ſi non perniciē nobis cum ſcelere afferūt. Vnus aggreſſurus es Annibalē. Quid illa turba, tot liberorum, ſeruorūque? quid in vnū intenti omniū oculi? quid tot dexteræ? torpeſcent in amentia illa? vultum ipſius Annibalis, quem armati exercitus tremūt,

quem horret populus Rom. tu ſuſtinebis? & ſi alia deſunt auxilia, meipſum ferire corpus meũ opponentem, pro corpore Annibalis, ſuſtinebis? Atqui per pectus meum petendus ille tibi, transfigenduſque eſt. Deterreri hîc ſine te potius, quàm illic vinci. Valeant preces apud te meæ, ſicut pro te valuerunt.

Cap. 39. Conciliatio. CONciliatio, quæ diſſidẽtes animos obliteratis odiis, offenſionibuſq;, reducit in gratiam, ſpecies deliberationis eſt, & locis iiſdem vtilitatis tutæ, & honeſtæ perficitur, & ſpem, & metũ affert. Sic Metius Suffetius Albanos Romanoſque conciliat. Iniurias, & nõ redditas res ex fœdere, quæ repetitæ ſunt; & ego regẽ noſtrum Cluilium huiuſce eſſe belli autorem audiſſe videor; nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre. Sed, ſi vera potius, quàm dictu ſpecioſa, dicẽda ſunt; cupido imperii duos cognatos, vicinoſque populos ad arma ſtimulat: neque rectè, an perperam interpretor, Fuerit iſta eius deliberatio, qui bellum ſuſcepit. Me Albani gerendo bello ducem creauere. Illud te, Tulle, monitũ velim, Hetruſca res, quãta circa nos, teque maximè ſit, quo propiores vos, hoc

Liu. lib. 1. Decad. 1.

magis ſcis. Multum olli terra, plurimũ mari pollent. Memor eſto cùm iã ſignũ pugnæ dabis, has duas acies ſpectaculo fore, vt feſſos ſimul, confectoſq; victorem, vt victum, aggrediantur. Itaque ſi nos dij amant, quoniam non contẽti libertate certa, in dubiam imperij, ſeruitiique aleã imus: ineamus aliquam viam qua vtri vtris imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine vtriuſq; populi decerni poſſit.

Plurimum eſt in officio humanitatis conſolatio, & ipſa deliberatiui generis, qua rebus afflictis eorum, quibus bene volumus, ægritudini re mederi non licet, verbis, ſaltẽ lenimus dolorẽ. Oſtendemus meritò dolendum, ſignificabimus & noſtrũ dolorem: aut, à ſenſu publici, priuatique mali nos affici vehementer: augebimus caſus acerbitatẽ, qui multa, & magna importarit mala: augebimus naturæ humanæ imbecillitatem, vitæ breuitatem, fortunæ commutationem. Sed hæc non faciamus immoderatè, ne dolor fiat immedicabilis. Corrigemus paulatim noſtrum dolorem, & eorum, quos conſolamur, dicemusque *Cap. 40. Conſolatio*

humanitatis dolere;ſtultitiæ, & intemperantiæ, immoderatius dolere. Eius tractandæ duplex erit ratio, vna ſimplex, & aperta, per quã declaramus argumentis,non eſſe cauſam dolẽdi, cùm viro ſapienti nihil accidere poſſit triſte præter infamiam, neque à quoquã lædi poſſit, niſi à ſemetipſo. Hanc ſequimur rationem, ſi nobis res ſit, cum viro cordato. Altera ſumẽda eſt per inſinuationẽ,quoties aut animus eſt infirmior,aut dolor recentior, acerbiorque, quàm vt apertum ſolatium admittat,ſiue cùm erectior eſt animus eius, quẽ cõſolamur; quã,vt videri velit,opus habere cõſolatore. Etenim ſunt, qui pudore quodã, generoſoque mẽtis ſpiritu quamlibet magnum dolorẽ premũt, ac diſſimulãt. His obrepẽdum eſt, & negabimus nos ſolatiũ afferre velle: addemus ſpectatã nobis eximiam ſapiẽtiam, & infractam animi magnitudinẽ, omnibus fortunæ procellis maiorem:fatebimur caſum eũ eſſe,qui quẽlibet aliũ deiicere poſſit: at eũ,qui philoſophię diſciplinis ſit inſtitutus,& multo rerũ vſu doctus. & inuicto animi robore præditus,id fortiter ferre,

quod ex communi mortalium lege ſit neceſſe pati: gratulabimur eius virtuti, & animi magnitudini potius, quam, qui mederi velimus dolori. In iis, qui ſolatiũ non admittunt, eorum affectum in nos transferemus, ſic attemperantes orationem, vt noſtro dolori magis obſequi, quam illorum ægritudinem mitigare velle, videamur: dicemus nos parum ad conſolandum idoneos, qui non minus angantur animo, quàm ipſi, quos confirmare deberemus, deinde cauſas noſtri doloris referemus, tum ex re, tum ab eius, qui patitur: indignitate, non ſine laude quadam eius: iniuriam quam plurimis bonis viris dolere. Cùm colligemus omnia, quæ dolorem lenire poſſunt: malum, quod incidit, extenuabimus, & minimè diuturnum fore confirmabimus. nam feruntur patientius incommoda, quæ breui finem habitura putantur, præſertim, ſi magna ſpes ſequutura monſtretur. Hic omnes rerum coniecturas conquiremus, quibus eam ſpem, quàm maximè probabilem efficiamus. Miſcebimus his aſſentationem tẽpeſtiuã. Si incõmodũ diuturnũ videa-

tur,extenuandi aliis rationibus vtemur, aut non eſſe incommodum, aut tam graue non eſſe,quam appareat,tum penitus quidquid in eo eſt moleſti, explicabimus: nullum homini malum tantũ accidere, ex quo non aliquid commomodi prouenire poſſit: nullum malum exiſtimari, quod citra culpã homini cõtingat: iucundã eſſe malorum recordationem, cum honeſta fama cõiunctam: incommodum acceptum laudi, & famę profuturum: gradum ad maiora bona iactum eſſe: debere virtutem ſummam, & felicitatem à diris initiis proficiſci. Hic proſunt exempla. Leuabimus & dolorem, ſi communem legis humanæ recordationẽ proponamus: hoc malum illi cum vniuerſo hominum genere, vel certè cũ clariſſimis, & optimis viris quãplurimis eſſe commune. Ad poſtremũ exhortabimur ad priſtinam animi tolerantiam, magnitudinẽ,ſapientiam,eruditionẽ. Deniq; operam noſtrã, ſtudiũ, diligentiam ipſi, aut neceſſariis pollicebimur. Cauendus in cõſolatione iocus, niſi leue ſit malum, quod ioco mitigari poſsit, & is patiens ſit ſalis noſtri, & vr-

banitatis. Præterea, ne non tam amicè conſolari, quàm præcipere videamur, vitandum, niſi cùm valdè familiari negotium ſit: ne quid de noſtra, aut aliorum felicitate commemoremus.

PEtitio quatuor præcipuè declarat, 41. primum, quod petimus, eſſe in po- *Petitionis ratio.* teſtate eius, à quo petimus: id eſſe iuſtum: modum deinde indicamus, quo confici poſsit: denique remunerationem pollicemur. Eſt modus petẽdi duplex, rectus, & obliquus. Nam vbi res fauorabilis, apertè ſuademus eſſe præſtandum: ſi parum ſit honeſta; per inſinuationem obrepimus. Exponimus quãta nos neceſsitas circumuenerit, & quam inutilis pudor egenti: nos, non fugere, quam ſit improbum rem tãtam ab eo petere, de quo nihil ſumꝰ vnquã, aut parum promeriti. Deinceps oſtendemus quanta ſpes inſignis eius benignitatis affulgeat, qui ſolitus ſit ignotis, & minus idoneis largiri: quippe eam eius eſſe benignitatẽ, & munificẽtiã, & ingenij bonitatẽ, quæ nemini deſit. Pudor hic præferatur, & vitetur improbitas, quæ quaſi debitũ flagitet.

Si merita præceſſerint, dicemus nos multis nominibus teneri, at velle deuinctiores eſſe: docebimus quanto ſtudio in ſuperiorum temporum beneficiis illum coluerimus: in illo nos fiduciam noſtram defixiſſe perpetuò: quod petimus nulli libentius debituros, illi nos omnia, aut quam plurima debere: illi promptum eſſe præſtare. Siqua noſtra ſunt in illum promerita, ea modeſtiſſimè ſignificabimus, nõ cõmemorabimus. Locus hîc erit laudationi maiorum vtriuſque, & parentum: veterem, & ſanctam neceſſitudinem vtriſque interceſsiſſe probabimus: mutua officia datæ, acceptæ, adiutæ dignitatis. Rem intuebimur, & honeſtam, piam, iuſtam, honorificam, illi facilem, neceſſariam nobis, oſtendemus: quid ex ea ad illum commodi ſit redundaturum, diſſeremus. Si quid erit incommodi, quod animum illius alienet à nobis, diluemus, aut extenuabimus: dicemus nobis eſſe rem cum ijs, quos ille odit, aut metuit: deinde obteſtationes adiungemus per eas res, & perſonas, quibus illum commoueri ſci-

mus: pollicebimur animum perpetuò memorem: acturos, & habituros gratiam: nos, & noſtra illius fidei, & voluntati dedicabimus: facultatem noſtram extenuabimus, ſed de animi propenſione, & volũtate pollicebimur magnificè. Iocus nonnunquam hîc plus poteſt, ſi tempeſtiuus ſit, quam ſeria petitio. Hæc expreſſit pleraque Iſabella Ioannis Galleacij coniunx Alfonſum patrem, & Ferdinandum auum reges Neapolitanos appellans. Scio vos, qui & claritudinis Aragoniæ domus, & regiæ dignitatis memores ſemper fuiſtis; nunquam me prolem veſtram, atque in finibus veſtris educatam, Ioanni Galleacio fuiſſe deſpõſuros: ſi, quem paterno, atque auito imperio, quum per ætatem licuiſſet, ſucceſſurum arbitrabamini, eum exacta adoleſcentia, liberiſque ſuſceptis, ambitioſiſſimo, atque ſæuiſsimo patruo ſeruiturum putaſſetis. Ludouicus enim non iam patruus, ſed immitis, & atrox hoſtis, nunc primum apertè, quod multis ante annis longa gubernandi conſuetudine allectus percupidè ſemper affectauit, Me-

Paulus Iouius lib. 2. Hiſt.

diolanenſis imperij ſceptra ſolus obtinet, & cuncta cum vxore ad arbitrium moderatur. Illi cuſtodes arciũ, copiarũ duces, magiſtratus, atq; omnes prouinciæ, ciuitates parent. Ipſe Principum legatos audit, belli, & pacis fert leges, & denique necis, ac vitæ, vectigalium, atq; ærarij ſupremam habet poteſtatẽ. Nos miſeri, ab ipſo circumſcripti, & deſtituti ab omnibus, quum ſolis rerũ inanium titulis decoremur, in obſcuro luctuoſã, ac miſerabilem vitam agimus, ſolliciti etiã de ſalute, quæ imperio, atque honoribus amiſsis, reliqua eſt, niſi maturè opem feratis, duriorem in dies afflictũ rebus exitum operimur. Eripite, obſecro, natam, generumque veſtrum his ærũnis, & ſi vos diuina vel humana iura permouẽnt, ſi qua iuſtitiæ, & pietatis, ſi qua denique in illis veſtris regiis animis priſtini decoris cura reſidet, libertati, atque imperio reſtituite. Non deſunt nobis ſtudia optimorũ ciuium: in Ioanne Galleacio animus viget curarum, atq; imperi capax: veteres amici, qui nunc tyrãni ſæuitiam reformidãt, prõptã, ac fidelẽ ex occaſione operã nobis taciti

pollicentur : atque omnes peregregia erga nos voluntate ciuitates exiſtunt, quibus ille inuſitata, & prægraui acerbitatę pecuniá imperauit : poſtremo dij ipſi immortales ſcelerũ vindices nobis nõ deerunt, ſi vos, qui alieniſſimis etiá miſera, atque indigna ſeruitute oppreſſis præſidio eſſe æquum, & regium ſemper exiſtimaſtis, ſanguini veſtro, & iuſtiſſimę cauſæ minimé defueritis.

COmmendatio, qua quippiam, aut nobis, aut alicui tribui poſtulamus, commemoratis iis, quibus, quam digniſſimi videri poſſumus. Hic tres ſunt perſonæ, nos, & is, quem appellamus, & is, quem cõmendamus. Exin res, quam dari optamus, excutienda. Cùm de nobis agemus, docebimus, quibus cõmoti quempiá cõmendemus, & cauſas afferem⁹, vt iuſtas, vt magnas, vt multas: dicemus de nobis, de noſtris excelléter promeritũ: nobis cum illo; aut noſtris cum illius neceſſariis, parétibus, familia, maioribus, ſanctiſsimum ius conſuetudinis, affinitatis, amicitię, familiaritatis, propinquitatis, vicinitatis, patriæ, ciuitatis, hoſpitii, ſtudiorũ interceſsiſſe. 42 Commendatio.

Laudabimus modeſtiam, probitatem, eruditionem, integritatem, fidem, humanitatem, nobilitatem, quibus quam commendatiſſimum eſſe peroptemus. Si noſtra ſint, aut illius, quem laudamus, aut maiorum, in eum, quem conuenimus, promerita, ea modeſtiſsimè explicabimus: ſed voluntatem benefaciendi extollemus. Opportunum erit dictu clientem noſtrum honora, & magna omnia, & ſentire, & prædicare de eo, cui commendamus. Beneuolentia enim commouemur ergà eos, quibus ingenuè nos admirationi eſſe ſcimus. Eſt enim beneuolentię initium efficax, abſentem laudare apud eos, qui ſunt verè, plenèque renunciaturi. Vtiliter noſtram duorum fiduciam de eo præferemus, & ſolicitudinem, & ſpem in eius opibus defixam. Rem oſtendemus honeſtam, facilem, piam, vtilem, ex qua laudis, gloriæ, auctoritatis, emolumenti ad patronum poſsit multum redundare. Si beneficium idem plurimis contulerit, & qualibus, non ſilebimus. Obſecrationes adiungere erit integrum, & fidem faciemus noſtro duorum nomine

Scipio ad allucium liuius lib. 6. dec, 3.

ne grati animi promittemus ſtudiũ, & operam. Iuuenis iuuenem appello, quo minus ſit inter nos huius ſermonis verecundia. Ego, cùm ſponſa tua capta, à militibus noſtris ad me deducta eſſet, audirentq; eam tibi cordi eſſe, & forma faceret fidem, quia ipſe, ſi frui liceret ludo ætatis, præſertim recto, & legitimo amore, & nõ reſpublica animum noſtrũ occupaſſet, veniá mihi dari ſpõſam impenſius amanti vellẽ, tuo cuius poſſum, amori faueo. Fuit ſpõſa tua apud me eadem, qua apud ſoceros tuos, parenteſq; ſuos verecundia: ſeruata tibi eſt, vt inuiolatum, & dignum me teque, dari tibi donũ poſſet. Hanc mercedem vnã pro eo munere paciſcor, amicus populo Románo ſis. Et ſi me virũ bonũ credis eſse, qualeis patrem, patruumq; meum iam antè hæ gentes norant, ſcias multos noſtri ſimiles in ciuitate Romana eſse: nec vllum in terris populũ hodie dici poſse, quem minus tibi hoſtem, tuiſque eſſe velis, aut amicum malis. *Liuius lib. 6 dec. 3.*

MOnitio, qua vitiũ quod caſtigari volumus, indicamus, aut agenda neſcienti oſtendimus. Reprehenſionis

acerbitatem laude molliemus. nã contumax, & ſui amãs ingeniũ eſt humanũ: nec vitia diſcit ſua placidè. Multas, & egregias virtutes vitii, vitiorumue probro obſcurari nos nõ pati, nec cõmittere, vt quẽ charũ habemus, in partẽ laudibus ornetur: vitiũ in ætatẽ, imprudentiã, conuictũ non ſatis idoneorũ hominũ cõferemus. Idem vitiũ in excellẽtibus viris fuiſſe: at mutatum aut mutari ſtudio poſſe: quod virtutem exceſſu ſuperet, nullo negotio reprimi poſſe. Hic ſtudium noſtrum in illum oſtendemus præcipuũ. Iis de rebus admonere, quas in aliis tacitas ſineremus: parem dicendi libertatem illius erga nos, prouocabim⁹, niſi fortè minus amet. Eſt enim amicitiæ proprium munus admonitio libera, & ſincera: facere oportere, vt ſuos ſibi obtemperantes habeat: ne permittat quemquã abuti poteſtate ad quæſtũ: & ſordes: vt recte facientes amet familiares: eorũ dicta factaq; obſeruet: male facientes coerceat: cùm rudis eſſet, ab iis deceptũ: nam optimũ quẽque difficillimè alios improbos ſuſpicari: vt in laudata integritate cõſtet, aut cautionẽ ad-

hibeat diligentiorem: habeat aures, in quas nihil fictè nihil ſimulatè, quęſtus cauſa inſuſurretur, ſed veritas infundatur: vt rerum hominumque quibus, præeſt, ſalutis, dignitatis, felitatis curá habere charam demonſtret: vt tanta ſit abſtinentia, vt non minus aduerſum ſe ijs, qui dederint, quàm ijs, qui accepe-rint, ſignificet: non debere eſſe in ſuos durũ, aut ſuſpitioſum: ſua bonis, & ſpectatis credat: improbis, & ſuſpectis neque rem, neque exiſtimationem committat: exploret nouos amicos, priuſquã ijs fidat: curet ex animo amari: qui virtutis, nõ quęſt⁹ cauſa res agũt, aſciſcat in familiaritatẽ: gentis vitia, regioniſq; caueat leuitatem, aſſentationem, ſuperbiam ſeuos fideles & bonos rebus priuatis admittat, non publicis: bonis adiungat auctoritatẽ ſuá: mediocria bona virtuteſque quibuſdam in locis diuinas videri: ęquabilem nõ variatam gratia ſeueritatem, quæ in decernẽdis rebus ad ſimultates vſque addenda ſit, retinendã & conſtantiam grauitatem quæ reſiſtat gratæ, & ſuſpicioni: lenitatem in decernẽdo, facilitatẽ in audiendo, diligẽtiam

in ſatisfaciendo, & diſputando, ſeueritatem comitate temperandam;faciat,vt nemo alterius operam deſideret poteſtatem eo nobiliorem,quo maiorẽ:beatos eſſe, qui ab ijs, qui comes, & graues ſunt reguntur: melius in officio verſari, quàm deceſſores dicamus: ſi quæ beneficia in publicum exſtent, cõmemoranda ſunt: ſi pacem & concordiam induxerit, ſuſtulerit ſeditiones, latrocinia, cædes,ſumptus caſtigatos, repreſsã auaritiã eorũ, qui præſunt ſecuritatem omnium fortunis additam. Humanitas eorum,quibus præeſt, prædicãda: quid ab iis beneficij,aut artium acceptũ: poteſtatis,& ſapientiæ coniũctionem rem eſſe admirandam, & ſalutarem: ſi quæ exigimus etiam fecerit magna ex parte ſine vllis præceptis: indicatum in vitium plenius dicimus ex loco communi,aut exemplis: addimus iudicium publicum, & opinionem de vitio, & deſiderium caſtigandi: in futuro ſermone hominũ nihil culpæ audiendũ,quod gloriam obſcuret: modũ caſtigandi vitij tradimus: atq; ad id ſtudiũ adhibẽdũ aſsiduè docemus: Si ex parte correxe-

tit,gaudere nos oſtendemus atque vt penitus euellat,monebimus.Hortamur vt ſe excitet ad omnes partes benè audiēdi; vt ſecum, non cum aliis certe tvt intelligat conſequentem gloriam ad ſe, & ſuos peruenturam, & lætitiam: ne ſe magnitudine negotij obrui patiatur:vt vltrò rebus difficilibus occurrat: intelligat res eſſe, in quibus non fortuna,ſed ratio dominetur: eas eſſe in eius virtute, & moderatione animi, facilitatem, & difficultatem rerum, quæ vigilantiā, & conſilium requirant, adminiſtraturū commodè, ſi ſui rationem primam ducat: ipſius naturam eſſe, vel cum doctrina,moderatam: habere eam doctrinam, quæ naturam vitioſiſſimam excolere poſſit:quod aliis difficile ſit,ipſi perfacile: nos ſcribere, non vt faciat, ſed vt feciſſe gaudeat: habere ipſum homines ſpectata virtute, honore,ætate, dignitate præſtantes, qui exiſtimationem eius curent: ſplendorem gentilium, & neceſſariorum, & anteactæ ab eo vitæ, intuendum: ex quo non poſſit ſummā vituperationem effugere,niſi ſummam laudem aſſequatur: demonſtrandum

quid fautores, & boni viri ab eo expectent: quid inimici optent probroſum, & turpe: ipſum non de comparanda gloria laborare, ſed de parta dimicare: ex prauis illius actionibus, in egregiam eius gloriam, & noſtrum dedecus recidere: ipſum adiuuiſſe nos in adipiſcenda gloria: proinde in ea retinenda, & augenda per ſuam contendere debere: vtendum iudicio hominum præſentium, & futurorum: ipſum non ſibi ſoli gloriam, querere: id ſi eſſet, tamen non debere negligere, qui æternis monimentis nomen conſecrare vellet: communicata, ſuis tradere liberis, poſteritati: ne videatur ſuis inuidiſſe, cauendum: nos hæc dicere, non vt dormientem excitemus, ſed currentem incitemus: ipſum optime videre quid ex dignitate ſit, & gloria: faciat, quod Poetæ boni, & actores induſtrij, vt in ſuprema contentione muneris, quod laudatiſſimum eſt, agat: ipſum cogitare debere nos ſemper adeſſe præſentes. Si potentes reprehendi oporteat, notabimus eos, à quibus falſa laudatione corrumpantur: horum vitia

proferemus, illorum virtutes, & ſimplicitatem: tum modeſtè hortabimur, vt ea, quæ alienæ culpæ contagio contraxerint, corrigant, & indolem ſuam in libertatem vindicent. In admonitionibus auctoritatem nobis prudenter ſumamus ſine iniuria, & cõtumelia illius, quem reprehendimus. Hæc iure quodam ſuo poſſunt, qui ætate, & rerum vſu, diuturnitate ſtudiorum, ſapientia, innocentia, præcedunt. Polliceri nos hic oportet amantiſſimé, fideliſſimèque ſtudium, operam, conſilium noſtrum. Denique grauiter, & prudenter quid, quomodo fieri cõueniat, oſtendemus. Hic vſus exemplorum, & ſententiarũm, quas pronũtiarunt, aut vſurparunt illuſtres, & ſapientes, & ſancti, grauesque viri: quæ laus, quæ infamia, cuiusque nomini inhæſerit, docebimus. Exempla monitionis luculenta extant, leguntur, habenturque vulgo: at diuinam indico, non edo, non ſupprimo M.T. Ciceronis epiſtolam ad Quintũ Tullium Cic. Aſiæ, prorogato in tertiũ annũ imperio, moderatorem. Aſperitatem ferocis, militariſque inge-

nij paulum lenitam laudat impēſius, & mitigat prorſus ciuilis ſapientiæ præceptis, & conſiliis ſalutaribus. Regendæ prouinciæ, officium diſcere pia cupido fert? animum illuc aduerte. Aliqua te exiſtimo, Maſſaniſſa, intuentem in me bona, & principio in Hiſpaniam, ad iungendam mecum amicitiam, veniſſe: & poſtea in Africa teipſum, ſpeſque omnes tuas in fidē meam cōmiſiſſe. Atqui nulla earum virtus eſt, propter quas appetendus tibi viſus ſim, qua ego æquè, atque temperantia, & continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes, Maſſaniſſa, adieciſſe velim. nam non eſt (crede mihi) tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum circumfuſis vndique voluptatibus. Qui eas ſua temperātia frænauit, ac domuit; multo maius decus, maioremque victoriam ſibi peperit, quàm nos Syphace victo, habemus. Quæ me abſente ſtrenuè, ac fortiter feciſti, libenter, & cōmemoraui, & memini. Cætera teipſū reputare tecū quā dicente me erubeſcere malo.

Oratio Scipionis ad Maſſanyſſaonj. liuius lib. 10. dec. 3.

Syphax P. Rom. auſpicijs captus victuſq;

eſt. Itaque ipſe, coniunx, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani eſt, vt regem, coniugemque eius, etiamſi non ciuis Carthaginenſis eſſet; etiam ſi non patrem eius imperatorem hoſtium videremus, Romã oporteret mitti, ac Senatus, populique Romani de ea iudicium, atque arbitrium eſſe, quæ regem nobis ſocium alienaſſe, atque in arma coegiſſe præcipitem dicatur. Vince animum; caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quam cauſa culpæ eſt, corrumpas.

CONFIRMATIONIS DEMONSTRATIVÆ
CAPVT I.

TRia ſunt Auditorum genera, vt oſtendi: quidam delectationẽ præcipuam animis, auribuſque ſequuntur: alii priuatim, aut publicæ fœlicitatis cupidi, conſilium capiunt: multi ſingu- *Tria genera auditorum.*

lis de cauſis iudicant. Itaque omne oratoris officium, aut in iudiciis conſumitur, quæ aliorũ ſententiæ cõmittuntur, noſtris erepta arbitriis, de quibus lite cõtẽditur: aut extra iudicia verſatur. Eaq;, quæ ad iudicem non veniũt, plerumq; præterita ſunt: nonnũquã præſentia, & certa, quę laudamus, aut culpando vituperamus: aut futura, & incerta, & dubia, quæ liberam habent electionem, & permiſſa sũt noſtris arbitriis, de quibus deliberamus. Hinc cauſſarum tria dantur genera, Demonſtratiuum, cuius materies eſt honeſtorum: Deliberatiuũ, vtilium; Iudiciale, iuſtorum, non ſolorum, ſed potiſſimum. nam mutuis auxiliis cõſtãt omnia. Etenim in laude iuſtitia, vtilitaſq; tractatur, & in conſiliis honeſtas; & rarò Iudicialis cauſſa eſt, cuius in parte honeſti, vtiliſque ratio non audiatur.
Demonſtratiuum genus verſatur in laudibus, & vituperiis, perſonarum, factorum, rerum.
Hoc laudatiuum, & demonſtratiuum parte ſui meliore dictum, non quod demonſtrationis vim habeat laudatio, vituperatioque; ſed, quod quale aliquid ſit, oſtentatione quadam luculenta de-

monſtret. Hæc cauſſa partim ad ſolos auditores pertinnt: vt cùm ad oſtentationem laudantur dii, aut clari homines, quos priora tulerunt tempora; partim miſcetur negotiis; nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico officio, & decreto magiſtratuum ſæpe mandantur. Laudatur & teſtis, aut culpatur, quod ad momenta iudiciorum pertinet: & reis addun-tur non rarò laudatores: eduntur & in competitores libri, vt in Piſonem, Clodium, Curionem, qui vituperium continent, & in Senatu ſententiæ locum habent.

LAus, quæ munus ſuum negotiis impertitur, deſiderat probatio- *Laus varia.* 1.
nem, vt, cùm ambiguę famę hominem, & inter fauentes, & aduerſantes virtuti, & vitiis, ornamus. Marcus Antonius Caium Cæſarem laudauit pro concione factioſa, cùm alii approbarent magni viri acta, vtque patrem patriæ impenſo proſequerentur ſtudio. Quæ oſtentationi componitur, aliquam ſpeciem probationis adhibet, luculenta, plenaque commemoratione

rerum laudabilium. Vt, qui Cyrum regem Perſarum à cane lactatum in argumentum admirandi ortus, & cælitus procurati, cùm expoſitus eſt, laudationibus ornat, & illuſtri virtutum principalium decore. Quædam in defenſionis ſpeciem cadunt: vt, ſi in laude Herculis permutatum cum regina Lydiorum habitum, & imperata penſa excuſet. Commune eſt omnium generum, conciliare, docere, narrare, augere, minuere, concitandis, componendiſque affectibus animos audientium fingere: ſed laudis proprium eſt, res, quæ alicui inſunt, amplificare, & ornare. Nam ex ornatione delectatur auditor, ſuaſione mouetur, actione docetur.

3. Quis demõſtrationis ſtatus.

PORphyrius demonſtratiuum genus Panegyricum appellat, quod ſine aliquo ſtatu ſit, & ſolam rerum amplificationem contineat, quæ nec in controuerſiam veniat, cùm ſtatus omnis controuerſiam habeat. *Ego ſtatum triplicem in hac cauſa pono, an ſit, quid ſit, & quale ſit, quod laudandum eſt.* An ſit laudādus Cæſar, dubium, quippe aliis eſt Tyrannus, aliis pater patriæ. Narratio:

Ante tempus exacti alterius quinquennii Galliarum imperium Cæſari eripitur decreto:ſucceſſor,qui exercitus gallicanos accipiat, deſignatur Domitius: Cæſar iniuriam deprecatur: vt Tribuni, Pompeiuſque promiſſorum fidem liberẽt,flagitat: vt abſentis ſui ratio habeatur in comitiis, & Conſul renuncietur, contendit; id negant inimici: bellum minanti, mouentique celeriter, tranſitu Rubiconis interdicitur: perduellionis damnatus,hoſtis reipub. appellatur:armantur exercitus, fugit Pópeius, fugit Senatus ex Italia: Romam inuadit Cæſar, & ærarium ſacroſanctũ: verſus in Hiſpaniam, M. Petreium, & Afranium,& Varronem ſuperat: compoſitis Italiæ rebus in Epirum traiicit: ad Pharſalum Pompeium, in Ægypto Ptolomæum, in Aſia Pharnacem, in Africa Pompeianos duces,in Hiſpania prope Mũdam iuuenes Pompeios vincit: victor ſummam poteſtatem rerum capit, reipub. ſtatum ſuis vnius conſiliis, nullo iuſſu populi, nulla Senatus auctoritate componit: coniuratórum inimicorum impetu oppreſſus confo-

ditur, funus conciſum, cruentatúmque efferτur. Hæc propitii, infenſique fatentur: at num, vt illaudatus Tyrannus obtruncatus iudicetur; an pater patriæ, & princeps bonus laudetur, non conſentiunt: laudis partẽ approbat Antonius, & culpat interfectores.

4. *Partitio in demonſtratione multiplex.*

Controuerſiæ ſubiungitur partitio, quæ membra confirmationis, capitibus diſtributis, aperit. Hæc alia, & alia erit in multiplici demonſtrationis ſpecie perſonarum, factorum, & rerum. In laudatione Perſonarum, aut ordinem naturæ, & temporis, & ætatis complectimur; aut diſtributis capitibus certã ſummam bonorum animi, corporis, & fortunæ comprehendimus. Prior ratio copiam dicendi vberiorem ſuppeditat oratori, & memoriam promptius adiuuat: qui volent, partiendi argumenti alios prudenter conquirent modos. Cùm de bonis, & laudabilibus dicent, forſan à minoribus ad maiora, volent amplificationem demonſtrationis ſuſceptæ producere: vt, ſi primùm de bonis externis, tũ de corporis muneribus, deinde de virtutibus animi; aut hunc ordinem conuertent, atque in externis bonis deſi-

nent,quæ non dignitate prçcedunt,ſed tempore, quoniam prima animaduertuntur hominibus, & laus ipſa magis ſe in his, quàm in aliis explicat, ſi rectus accedat vſus;aut permiſcebunt variè,vt grauia leuibus,nota ignotis, incredibilia credibilibus,obſcura dilucidis.Sic M. Tullius in Antoniũ præter ordinẽ tẽporis naturalẽ,leuiora, quæ ad ſordes Antonii,& nequitiá pertinẽt, grauioribus, quæ in Senatum,&remp.deſignauerat, flagitiis permiſcet. Obſcura dilucidis miſcẽt ſæpe, qui de rebus diuinis agunt ſacri interpretes pro cõcione.*Prima partitio variam hominũ laudem tribuit in tẽpora tria; id,ꝙ antecedit eorũ ortus, & illud, quod vixerunt,&,ſi fato functi ſunt,in cõſequutũ.* *Philipp. 2.* *Tria tẽpora laudis hominum.*

Confirmationis loci,quæ ſequetur ordinẽ naturæ,tractabũtur;qui hominẽ antecedũt,natio,patria,genus,maiores,parẽtes,miracula,auguria, oraculæ. Natio prouincia eſt natalis, quæ rationib⁹ laudãdæ regionis conſtabit. Patria nationis pars erit, eaq; genialis laudatis,ſi ciuitas,ſi arx,ſi vicus, quæ inſpiciemus ad formulas vrbis, aut domus demóſtrãdæ,aut agri.Gen⁹cõſiderabitur,an maiorũ virtutib⁹clarũ, aut *5. Loci confirmationis.* *Natio.* *Genus*

infame aliquo eorũ ſcelere, au cõditio-
Clarum genus. ne vitæ, quod prætermittendũ eſſet. Si clarum genus propter excellentes maiorum virtutes,& famam,& nomen; dicemus parem, aut excellentiorem fuiſſe
Nobilitas triplex. virtute,& induſtria, & meritorum gloria. Hîc expendemus nobilitatem triplicem, ſi natura ferat argumenti, gentis, vt Hebræorum, Græcorum, Romanorum; ciuitatis, vt Athenarum, Carthaginis, Romæ: Familiæ, Auſtriorum, Croiorum. Quæ familiæ eſt nobilitas, maximè in hoc genus incurrit propter
Familiæ nobilitas. perſonam. Hæc principium, incrementum, & temporis diuturnitatem habere debet. Principium erit à virtute, non à diuitiis, vtcunque partis; vt M. Ciceroni à magiſtratibus præclarè geſtis. Deinde oſtendi debet aucta liberalitate,& conſeruata fœlicitate ſobolis, quę Ciceroni defuit; non defuit Æmiliis, Appiis, Iuliis. Debet in multa ſæcula
Humile genus. duraſſe, vt auctoritas antiquitate comparata demonſtretur. Si humile genus, vel obſcurum, vel inglorium; vel ſupprimemus, ſi nihil ad augendam laudati gloriam ſufficiat; vel tractabimus, &
forſan

forſan bonum oſtendemus virtute domeſtica, & priuatæ vitæ innocentia: hîc dicere poterimus ipſum, qui laudatur, non in maiorum virtutibus habuiſſe præſidium. Non enim ſolum maiorum virtuti reſpondere glorioſum eſt; ſed & preclarum generis ſui eſſe auctorem. Sic Cicero contra Salluſtium. Quoniã omnium maiores Criſpus Salluſtius ad vnum exemplum, & regulam quærit: velim mihi reſpõdeat, nũquid hi, quos protulit, Scipiones, Metellos, Fabios, ante fuerint, aut opinionis, aut gloriæ, quàm eos res geſtæ ſuæ, aut vita innocentiſſimè acta commendauit? quod ſi hoc illis fuit initium nominis, & dignitatis; cur non æquè de nobis exiſtimetur, cuius & res geſtæ illuſtres, & vita integerrimè acta. Quaſi verò, tú, ſis ab illis viris, Salluſti, ortus. quod ſi eſſes, nonnullos iã tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus virtute mea præluxi; vt ſi prius noti non fuerint, à me accipiant initiũ memoriæ ſuæ; tu tuis vita, quàm turpiter egiſti, magnas tenebras offudiſti: vt etiam ſi fuerint egregii ciues, certè venerint in obliuionem. Quare noli

mihi antiquos viros obiectare. Satius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita viuere, vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Maiorum, parentumque genus, maternum paternumque prodeſt intueri: ſi quod magnæ laudis argumentum inde ſuppetat. Horum nobilitati reſpondiſſe pulchrum, aut antecelluiſſe: aut humilius ſuorum, aut aliorum genus illuſtraſſe, vt: Rex Deiotarus veſtram familiam abiectam, & obſcuram è tenebris in lucem vocauit. Quis tuum patrem, Caſtor, qui eſſet, quam cuius gener eſſet, audiuit? *Hoc loco res geſtæ à maioribus, aut parentibus breuiter commemorentur: & affinitates, miracula, auguria, oracula, ſi qua natalem anteceſſerint, ſunt referenda.* Aſtyages inſomnio vidit ex filiæ naturalibus vitem enatam, quæ palmitibus totam Aſiam obumbrabat: Arioli reſponderunt naſcituri nepotis Cyri magnitudinem portendi.

Maiores, parentes.

Cicero pro Deiotaro.

Res geſtæ maiorum.

Iuſtin. lib. 1.

QVæ in vita euenerunt, ſpectantur, ex quibus laudis argumentum ducitur, natiuitas, tempus, proparentes, nomen, infantia,

nutricandi ratio exactior. Galleacius Mathæo Magno genitus nouum id nomẽ, quod poſtea emanauit ad poſteros, primus familiæ intulit, à matre Burra ioco inditum: cum ea fortè in multo Gallorũ cantu puerum apertis oculis altè vagiẽtem enixa Galleaciũ appellaſſet: idque arridentes ancillæ ſæpe repeterent; nec abnueret pater, tanquam ab aue Martia militari augurio iucundè accepto, idque præſertim inſigni euentu contigiſſet; quo felici prælio ad Decimum interfectis, aut captis Turrianæ familiæ proceribus ab Othone parta eſt, ea inſignis victoria, quæ principatus fuit initium. Nec verò ſine vllis delitiis educatus puer augurii fidem fefellit, quũ ſingulari vigilãtia, generoſo ſpiritu, atque indomito vigore pugnacis animi ſuperbum, & ferocem gallum æmularetur, & conſpicua quædã alludentis naturę dona hos mores adornarent; multo quippe rubore ſuffuſa facies, flagrantes oculi, ſubcriſpa, & fulua cæſaries, & lato in pectore elata ceruix, maximi futuri ducis ſpeciem reddebant.

Paulus Iouius in Galeacio.

7. Educatio. E*Ducatio adiungenda, quæ eſt pueritiæ inſtitutio, & prima virtutis exercitatio. In hac pœdagogus, magiſtri, artes, diſciplinæ cõmemorantur.* Si id ætatis, quod alii otio, & luxui, & voluptatibus, & ludicris tribuunt, honeſtè bonis diſciplinis tranſegerit. nam bene, & honeſtè inſtitui laudabile eſt. *Hîc ſpectatur ingenium puerile, & indoles, & docilitas, cura parentum, & præceptorum.* Galleacius plane puer, tanta equorum, & armorum cupiditate erat incenſus, vt aliquanto maturius, quàm ætas ferre poſſet, thoracatus, galeatuſque ludicra certamina, equeſtreſque ludos inter puberes agitaret. Item: Prima litterarum rudimenta ea ætatula hauſit, qua vix cęteri loqui ſolent, nemo totidem annorum non ab illo puer omnibus in rebus prætéritus eſt, nemo non longiſſimè relictus. Itaque puerili- ter illis in ſtudiis, iam non pueriliter ſe gerere, ſpeique multo plus alere, quàm illa ætas daret, videbatur. Indole autem atque facie ea fuit, vt iurares illos Veneris pueros amores, quos poetæ aiunt matri præſto eſſe, atque alludere, aliam oris formam, genárum, oculorum non

Ingenium.

Iouius in Galleacio.

Od. ſpij oratio in Vbaldum.

habere. Hæc cùm ita ſe haberent: Ego Parauio vocor; à patre mihi puer bonis moribus, bonis artibus erudiendus, informanduſque traditur, mihi cura omnis alendi, inſtituendique mandatur. Docere cùm incipio, nihil eorum, quæ in aliis eſſe pueris aſſolent, video in noſtro, non deliciarum vllas illecebras, non prauos ad licentiam mores, non adiutam impunitate audaciam, non denique arrogantis fortunæ vllum in pueri animo impreſſum veſtigium inſpicio: non moleſtiam, ſatietatemque diſcendi, aut commorandi cum ſe natu maioribus tædium, nihil horum in eo fuit. Grata potius expetendaque omnia. Tum me colere, mihi credere, me reſpicere, me imitari, nunquam ſe à ſtudiis litterarum abducere, niſi iuſſus, niſi aliorum ſtudiorum gratia, vel equitandi, vel ludicris armis certandi: æquales non deſpicere, malle autem eorum cõſuetudinem, à quibus ſemper aliquid diſcere poſſet: nulliuſque rei æquè magnam curam habere, quam, ne quis dies elaberetur, quo ſe die nihil addidiciſſe, nihilo præſtantiorem factum poſſet re-

cordari. Sed hæc volūtatis, illa verò ingenij, mira quidē cùm alacritas, tum celeritas in percipiendo: in retinēdo nullus labor: labor autem? immo admirabilis quædam, incredibiliſque naturæ vis, atque præſtantia. Poſſum illud verè dicere, nullam præceptionem meam illi difficilē ad percipiendum viſam, ne lōgam quidem ad ediſcēdam, breuiorem autem, quam vellet, quamque ipſe poſſe ſe aſſequi confideret, ſæpiſſime. Itaque difficilius mihi in mentem veniebat, quid ego illum docerē, quam quid ille diſceret, ſtatuere: ſæpiuſque quantū ei me ad diſcendum proponere; quam ipſi quantum aggredi aut vellet, aut poſſet, quærebam. Quamobrem dum nos ei multa proponimus, & ille conſequitur omnia; eo res venit, vt is non plurium propemodum menſium ſpatio, quam alii annorum, ita Latinas litteras puer calleret: vt patrias cæteri linguas, atque ſuas: ita Græcas, vt noſtrorum hominum doctiſſimi iuuenes Latinas plane, atque Romanas ſolent. Neque ſanè ille Grȩcorum tantum litteras perceperat; vſuram ipſam legendi, atq;

intelligẽdi, ſed ipſas etiam vocum infle xiones, intenſiones, remiſſiones, poſituras multũ à noſtris alienas, atque varias: teneritatẽ denique illam Atticã, & linguæ eorum quoddã quaſi lenociniũ didicerat, hauſerat, expreſſerat. Itaque ille ego, nõ magiſter iã ſtudiorum, ſed adiutor; nõ doctor, ſed ſocius; nõ interpres, ſed teſtis aderã, &, vt verius dicã, admirator. Quæ mecũ reputãs timui, fateor, ſæpiſſime, id quod dicitur, præcocia ingenia celeriter emori: ne præſaga pueri mens, atque prę́ſcia, diu ſe nobiſcum nõ futuram; illos tanquã flores effunderet, quos, ſi ſibi diutius eſſet viuendum, reſeruare in aliud tẽpus debuiſſet. Angebar animo, atq; is ne mihi eriperetur ſingulis horis tacitus pertimeſcebã, maluiſſẽq; illũ ingenii minus aliquanto ad ea ſtudia, minus etiam afferre alacritatis; vt plus vitæ alere, pollicerique quam quod ipſe arbitrabar, videretur. Hæc Odaxius Guido Vbaldo Vrbinatũ duci, ſuo diſcipulo ſuperſtes in funebri laudatione, quam cenſeo exempli cauſam eſſe, vt cuncta, quæ præcepi, exacte in ipſo peruideantur vſu.

I*N adoleſcentia mores laudantur, ſtudium, virtutis, prudentiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, modeſtiæ, artiũ, quibus ſit delectat⁹, vitæ modus, cõuictus, apud quos egerit, quibus præceptoribus vſus, quibus æqualibus.* vt, Ab hac indole pueritiæ nouum quotidie maturæ virtutis ſpecimen præbens, per omnes bellici muneris ordines plurib⁹ aditis, ſuperatiſq; periculis decucurrit; ſic, vt indies ab inſigni aliquo facinore laude cumulatus, patri ac militi charior euaderet. Item: Ille magiſtris ad rei militaris capeſſandas rationes vtebatur optimẽ. nam equitare, haſtam, galeã, ſcutum, loricã geſtare, vibrare enſem, modo peditem, modo equitem agere, modo Italos, modo Parthos imitari, ita breui tempore didicerat; vt illi ipſi, quibus ſe is ad diſcẽdũ tradiderat, cũ nihil aliud in vita egiſſent, tamẽ dicerẽt nõ habere iam ſe, quod eũ vlterius docerẽt. Neq; hæc ille tãtũmodo leuia, bene vt armis, optimè vt equis vteretur: ſed etiã ſæpe pugnę grauioris ſpeciẽ cum æqualibus, cũq; militibus exercuit. Nam & Cataphracto equiti cõcurrebat, & magnis itineribꝰ aliquo in armis, quaſi bellũ gere-

ret cõtendebat. In tentoriis, & nõnũquam ſub dio pernoctare, vim frigorũ, atque hiemis perpeti, locum caſtris capere, eadẽ vallo cingere, è quibus modo hoſtes propulſaret, modo quæ ipſe adoriretur, exercitum inſtruere, ſingula denique imperatoris officia obire.

IN iuuentute commemorantur vitæ genus, conditio, fortunæ bona, dignitas, magiſtratus, amici laudantur facta præclarè, prudenter, iuſtè, fortiter, magnificè, moderatè, clementer, tum publicè, tum priuatim. Dicta memorabilia, ſtudium in patriam, in parentes, in vxorem, liberos, amicos, collegas, peregrinos principes: Enituit in Põpeio Columna ſtatim ingenium acre, viuidum, ſublime, & in perdiſcendo, pangendoque carmine, adeo gloriæ auidum, vt, cũ M. Antonius idem patruelis frater, & in ludo ſocius, aliquid ipſo felicius dictaret, aperto quodam æmulationis dolore, torqueretur. Decimum octauum agens annum, eo ingenium, corporiſq, ſtaturã ad militares artes protulerat: vt quamquã imberbis imperia præceptoris eluderet, nihil tamen de literarũ ſtudio remitteret; ſed cũ M. Antonio æta-

9. Iuuentutis Ingenium.

Iouius in P. Columna.

te paulo maiore de bellicis laudibus, & de maiorum ſuorum præclarè geſtis aſſiduè diſputaret: ita, vt euolare, & arma tractare malle videretur, quàm conſeneſcere in litteris, quæ præſtantiſsimis tantum ingenijs gloriam afferrent, mediocribus autem vix neceſſaria vitæ frugi alimenta præbere conſueſſent. Nec impetum animi tenuit diutius. Conflato aduerſus Fredericum Aragonium bello, Pompeius, quamquam planè imberbis, alam leuis armaturæ equitũ ducẽdã ſumpſit. Euaſerat enim iã & habitus vigore, & animi ſpiritu planè militaris: ita, vt inter Hiſpanos induſtria, atq; vſu clareſceret. Colũniis patriæ reſtitutis, auctiſq; beneficiis Iulij Pontificis, & affinitate, Proſper graui iudicio Põpeium ſacris initiandũ exiſtimauit. Iam enim Ioãnes frater Cardinalis Alexandro (cuius metu profugerat) morte ſublato, è Sicilia redierat: erãtq; illi ſacerdotia perãpli reditus, quæ omnia ſeneſcẽte patruo Põpeius iuuenis ad corroborandã rediuiuis opibus familiæ dignitatẽ excepturus eſſe videretur. Verũ ille ingenio planè militari, vti bellicæ

Conditio.

Vitæ genus.

laudis, quã ſacræ dignitatis auidior, vix auribus patrui cõſiliũ admittebat: quippe qui ſperaret, poſtquã rudimenta, initiaq; ſecundiſſimè proueniſſent, maioribus ſuis ſe pari cum laude ſucceſſurũ, qui familiæ opes armis enitendo amplificaſſe, & militatibus imperijs, atque honoribus virtute partis inſigné gloriá Colũnio nomini quæſiuiſſe videbãtur. Sed eo acrius renuentem vrgebat Proſper, & ſeuerè admodũ caſtigabat, quod Marcellus, & Iulius natu maiores fratres iam vxores duxerant: & Octauius pariter connubio ex vſu Pontificiæ factionis opportunè quæſito, operam liberis eſſet daturus. Per hunc modũ obſtinato animo ſacerdotales honores repudianti, per quietem apparuit Hieronymus pater minaci, & ſeuera fronte acribus itidem caſtigans verbis, & dextra quatiens flagellũ, nudum percuſſurus vehementiſſimè, niſi exemplò propinquorum iuſſis obtẽperaret, atque, vt in fatis eſſet, ſacris initiaretur. Itaq; Põpeius poſt multos æſtus fluctuantis animi, quum oſtẽto paterno, & patruorũ imperiis parendũ foret, valdè mœſtus,

& reluctante quidem genio, Protonotarius creatur, ſuperinductaque lintea ſtriata ſtola apud Ioãnem Cardinalem patruum familiæ magiſter effectus. Itẽ: Non multo poſt Laurẽtius tum animi, tum cõſilij magnitudinem oſtendit, cũ forè Volaterraui occiſo Prætore propter imperij acerbitatem. & ſalinarum cõtrouerſiam à Florentinis defeciſſent. Pleriſque prudentię opinione clariſſimis Senatoribus propoſita venia potius, quàm vi ad officium inducendos eſſe iudicantibus: ipſe contra magnificè diſputando peruicit, vt ciuitates, quæ crudeliter, & ſuperbè rebellaſſent, bello perſequerentur, ne quodam inani, pernitioſoque clementiæ, lenitatiſque nomine, publicam imperij dignitatẽ amitterent, quam omnino, & fœdè quidem apud cæteras eſſent amiſſuri, niſi in reos maieſtatis, & nefaria tenentes arma, vim exercerent. Itaque eius ductu bellum Vollaterranis illatum, qui omni clade belli perdomiti, expugnatiq; tormẽtis, ac admirãdis, ingẽtibuſq; ligneis machinis ad extremũ temeritatis, atque ſæuitiæ ſuæ pœnas dederũt, ſic, vt dupli-

Factum clementer & prudenter.

cemLaurentius cum induſtrię militaris, tũ ciuilis clementiæ laudẽ tulerit, quod ſumma cum dignitate rebellantem vrbem recepiſſet, & hoſtibus quamquam ſanguinariis, & maximè contumacibus, vitam, & libertatem, ac magnam bonorum partem conceſſiſſe videretur. Item: Dicere ſolebat Ferdinandus Daualus neminem vnquam ex his, qui militiam quæſtui habẽdam putarent, magni imperatoris nomen conſequutum fuiſſe: contra vero, eos ſemper euaſiſſe inuictos, & longè clariſſimos, qui nihil ad ſe, ſed ad milites ex præda pertinere exiſtimantes, ad vnam tantum, atque eam immortalem veri decoris laudẽ adſpiraſſent. Item: Leo Pontifex tria dicebat eſſe, quæ magno principi in gerendis rebus, & laudem, & felicitatem pararent: cum amiciſsimis iudicij, & prudentiæ opinione præſtãtibus diffuſè conſultare, ſtatimque ab ipſo animi decreto maturare ad perficiendum: nunquam obliuiſci abſentium amicorum: nullam omnino ſuſpicionem ſuperfluam putare, quæ vitæ, principatuſque ſalutem reſpiceret.

Dictum memorabile.

Iouius Ferd.

Seneɩʋ ct. Iouius in Othe.

IN ſenectute, conſtantia animi, conſilium, & pietas, religio, & ea omnia, quibus humana, perfectaque virtus, maturaque ingenij vis elucet, & eminet ex multo rerum vſu: vt, Otho Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui Vicecomitum fundauit imperium, ingentes, inuictoſque ſpiritus geſſit: neque aduerſis vnquã caſibus ſuccubuit. Iá quinquies bello victus, plurimis propinquis, & clientibus ſæuitia hoſtium amiſsis, ſummaque pecuniæ, & rerum omnium inopia circumuentus, neque ipſe conquieuit, neque hoſtes otio frui, diuque victoriis lætari paſſus, iam planè quinque & ſexaginta natus annos, viridi admodum, viuacique ſenecta, atque aduerſus omnem algoris, æſtuſque contumeliam indomita. Huic fatale erat fortunam, vel improbè ſemper cæptis illudentem, patientia, & magnitudine animi ſuperare: exercere ſe perenni vigilia ijs cogitationibus, atque conſiliis, quibus dignitatem, & patriam recuperaret, & poſteris cum inſigni gloria latè imperium traderet. Item: Simon Locarnas, quem bello ciuili captum Turriani hoſtes patriciorum Mediola-

nenſium ad ignominiam,& cruciatus in cauea feræ beſtiæ more concluſerāt, ſeptimumque iam annum tetro ſqualłore, & illuuie deformem, ac miſerum aſſeruarant, Napum, Turrianorum principem prælio victum cepit; cui mitigatus victoria non inſultans, Non repoſcam à te ſanguinem, & opes, Nape, poſtquam dij me voti compotem fecerunt, ſed æquo iure pœnam talionis. Experieris enim tantum, quale cruciatus, & contumeliæ genus ſit, in cauea ferarum more cuſtodiri. Et vir certè ſapiēs, & egregiè fortis inter paucos numeraberis, ſi ea, quæ ego diu miſer, & non ſemper infelix tuli, pari patientia feres.

IN morte laudatur conſtantia, & fiducia, præſagia, quæ exitum portenderunt, mortis occaſio, & modus plenius deſcribi poteſt. vt, Vixdum paratis remediis permeante ad præcordia feruidæ febris veneno ad quartum Calendas Iulias Pompeius Columna integerrimus ſenſibus è vita diſceſſit: ita, vt in eo feſtinatæ mortis curſu vitæ exitum intrepidus ſentiret, commendaretque animam ſuperis. II. *Mors. Iouius in P.*

12. *Poſt vitam quæ laudāda.* AD *poſtremum, laudes ſumuntur ab ijs, quæ poſt mortem extiterunt.* Sed hoc tempus, quod fidem hominis inſequitur, non ſemper tractare contingit, non ſolum, quod viuentes fere laudamus, ſed, quod rara hæc occaſio ſit, vt referri poſſint diuini honores, & decreta, vt publicæ ſtatuæ. Cæterum *in laudes ſuppetent, pompa funebris, exequiæ, honores, litterarum monumenta, deſiderium populi, luctus reipub. libri, ædificia.* Offerunt laudem parentibus ſuperſtites liberi, qui excellunt virtutum gloria, aut ſpe: vrbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, inſtituta auctoribus. Hic opportuna erunt exempla, comparata, ſimilia, auctoritates, iudicia mortalium, immortaliumque. Vt, Inſigne, atque etiam memorabile populi Romani oculis ſpectaculum exhibuit publicum funus Virginij Rufi maximi, & clariſſimi ciuis, & perindè fœlicis. Triginta annis gloriæ ſuperuixit; legit ſcripta de ſe carmina, legit hiſtorias, & poſteritati ſuæ interfuit. Perfunctus eſt tertio conſulatu, vt ſummum faſtigium hominis priuati impleret, quum principis

Plinij ſecundi epiſt.

cipis

cipis noluiſſet. Cæſares, quibus ſuſpe-
ctus, atq; inuiſus virtutibus fuerat, eua-
ſit. Reliquit incolumem optimũ, atque
amiciſſimum reip. filium, tanquam ad
hunc ipſum honorem publici funeris,
reſeruatum. Annum tertium, & octo-
geſimum exceſſit in altiſſima tranquil-
litate pari veneratione. Aditus mortis
durior, & longior, ſed hoc ipſo, lauda-
bilis. Huius viri exequiæ magnum or-
namentum principi, magnum & foro,
& roſtris attulerũt. Laudatus eſt à Cor-
nelio Tacito Conſule. nam hic ſupre-
mus fœlicitati eius cumulus acceſſit, lau-
dator eloquentiſsimus. Et ille quidem
plenus annis abiit, plenus honoribus,
illis etiam, quos recuſauit, nobis tamen
quærẽdus, ac deſiderãdus eſt, vt exẽplar
æui prioris. Mors vocari nõ debet, quia
tanti viri mortalitas magis finita, quam
vita eſt. Viuit enim, viuetq; ſemper, atq;
etiã latius in memoria hominũ, & ſer-
mone verſabitur, poſtquã ab oculis re- *Paulus Iouĩ*
ceſsit. Item: Qui ab ipſis veræ virtutis *in Leone de*
operibus omni honore digniſsimus ha-
bebatur, tẽporario, & ignobili tumulo
cõditus iacet Leo decimus, Sed melio-

re fortaſſe cōditione ad ſpem diuturnæ laudis, quā ij, qui inanes elegij, celato è marmore ſepulcra propinquorū expedita pietate meruerūt. Nam & poetæ gratiſſimum, & liberrimum hominum genus, per aliquot annos deplorata cōditione temporum, & congeſtis in Leonem laudibus, certatim carminibus affixis tumulum nobilitarunt. Et decedente inuidia præclariſſimè, vt in publica vrbis, & totius Italię calamitate, Leonis virtus enituit. Hæc enim haud dubiè ad ſalutem humani generis auream ætatem cōdiderat, quum nos ſtatim ab optimi principis exceſſu, verè ferā pateremur: adeo vt quū fatali noſtro errore barbara vis, cædes, cruciatus, peſtilentiam, famem, vaſtitatem, & dira malorum omnium incommoda nobis attuliſſet: litteræ in primis, eximiæque artes, & rerum omnium copia, cōmunis item ſalus, & publica hilaritas: & denique bona omnia, tāquam eodem cum Leone ſepulcro condita lugerentur.

13. *Alter ordo confirmationis demōſtratiua.*

ALtera ratio demonſtrationis, & ordo ſtatuit tria capita, primū de bonis animi, quæ conſilio fiunt, & cogitatione, alterū

de bonis corporis, quæ natura tribuit humano corpori commoda, tertium de bonis fortunæ, quæ caſu, aut ſecunda fortuna habentur. Ab his enim laudes perſonarum ducuntur, inter quæ ſola bona animi veram merẽtur laudem, vt indoles, bonitas naturæ, docilitas, celeritas ingenij, memoria, eruditio, probitas, integritas, fides, pietas, humanitas, benignitas, moderatio, prudẽtia, iuſtitia, fortitudo, tẽperãtia, & ſingulis aſſignanda, quæ ſecundũ earum quamq; geſta ſunt. In quibus gratũ erit audiẽtibus, ſi quæ ſolus, aut primus, aut certè cũ paucis feciſſe dicetur: ſi quid ſupra ſpẽ, aut exſpectationem, præcipuè quod aliena potius cauſa, quã ſua, quoniã omnis honeſta laus, & vehemẽs vituperatio ex his, quæ animi ſunt, conficitur. Etiam cætera omnia ad res animi attrahere decebit. *In quibus explicandis ſequemur naturæ ordinem, & ætatis, aut rerum geſtarum,* qui maximè probatur, vt quid puer geſſerit, quid adoleſcẽs, quid iuuenis, quid vir, quid ſenex, *aut virtutum diſtributionem, in qua cõmemorandum, qua prudentia in ciuilibus fuerit,* domeſticiſque rebus, qua ſapientia, inno-

Ordo confirmationis in bonis animi.

centia, benignitate, fide, qua fortitudine in aduerſis, qua moderatione in magiſtratu gerendo, & priuatę vitæ muneribus.

14. Corporis bona.

Pulchritudo quid dignitas, & venuſtas.

CORporis bona ſunt pulchritudo, dignitas, forma, velocitas, vires.* Hæc laudi fuiſſe dicemus, non vt cæteris detrimẽto, atque dedecori. Pulchritudo eſt apta membrorum compoſitio. Dignitas eſt formæ ſpecies liberalis, quę viros decet, vt venuſtas muliebrem ſexum. Hæc coloris bonitate defenſa dicetur: color exercitationibus corporis honeſtis: valetudo, perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum cõſeruata. Pulchritudinem, & robur honore verborum proſequemur, vt Homerus Achillis, & Agamemnonis. Vires, atque velocitas eximia, ab honeſtis exercitationibus, & induſtria, commendabuntur. Infirmitas, & paruitas multũ ad admirationem conferunt. Tydeus breui corpore fuit, ſed bellator. Narſes Eunuchus, & ſtaturæ perbreuis, ingentes ſpiritus, & animum ſupra viros attulit ad bellum contra Gothos, quos armis in Italia debellauit.

Paruitas laudata in quibuſdam.

FOrtunæ bona referentur, genus, liberi, propinqui, amici, honores, auctoritas, opes, diuitiæ, potentia, gratia, quæ valent in vtramque partem plurimum, & faciunt certiſſimum experimentum ingenij, & morum. Aut enim meliores ſumus propter hæc, aut peiores. Ad hæc, quo maiores opes fuerint, eo benignitatem apertius multis patuiſſe. Nã quis ideo laudatur, quod ijs benè, & rectè vſus ſit. Fortuna dignitatem affert, vt in regibus, & principibus, & materiam virtutis oſtentandę vberiorem præbet. In fortuitis bonis, quæ virtutes animi fuerint, & vitia, conſiderabimus: quæ poteſtates, quæ gloria, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, & quid fortiter in inimicitiis gerendjs fecerit: cuius cauſa ſuſceperit inimicitias, qua fide, qua beneuolentia, officio geſſerit amicitias, quibus in diuitiis, aut paupertate: qualem animum in procurandis honoribus habuerit: in ſumma rerum inopia, laboris, & diligentiæ magnitudo extolletur. 15. *Fortuna bona.*

ORatio funebris, defunctorum vita laudes afferet: deinde monebit viuentes officij: tum filios, & con- 16. *Oratio funebris.*

iunctos ad virtutis æmulationẽ excitabit: tandem conſolationem adhibebit parentum, vxorum, & eorum, quos dolore affectos viderimus. Perelegans, & breuis eſt M. T. Cic. in L. Craſſum. Illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus Lucij Craſſi ſubita morte extincta eſt. Vt Romam rediit extremo ſcenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quæ ferebatur habita eſſẽ in cõcione à Philippo, quem dixiſſe conſtabat, Vidẽdũ ſibi aliud eſſe conſilium: ſe illo Senatu remp. gerere non poſſe. Manè idibus Septembris, & ille, & Senatus frequens vocatu Druſi in Curiam venit. Ibi cùm Druſus multa de Philippo queſtus eſſet: retulit ad Senatũ de illo ipſo, quod Cõſul in eum ordinem tam grauiter in cõcione eſſet inuectus. Hic, vt ſæpe inter homines præclariſſimos conſtare vidi, quamquã hoc Craſſo, cũ aliquid dixiſſet accuratius, ſemper ferè cõtigiſſet, vt nunquã dixiſſe melius putaretur: tamẽ omniũ cõſenſu, ſic eſſe tũ iudicatum, cæteros à Craſſo ſemper omnes, illo autẽ die etiam ipſum à ſe ſuperatum. Deplo-

Cic. lib. 3. de orat. ad Q. fratrem.

Narratio.

Eloquentia L. Craßi.

rauit enim caſum, atque orbitatem Senatus, cuius ordinis à Conſule, qui quaſi parens bonus, aut tutor fidelis eſſe deberet, tanquam ab aliquo prædone diriperetur patrimonium dignitatis. Neque verò eſſe mirandum, ſi cum ſuis cõſiliis remp. profligaſſet, conſilium Senatus à rep. repudiaret. Hic cùm homini & vehemẽti, & diſerto, & imprimis forti ad reſiſtendum Philippo, quaſi quaſdam verborum faces admouiſſet: non tulit, & grauiter exarſit, pignoribuſque ablatis Craſſum ſtatuit coercere. Quo quidẽ ipſo in loco multa à Craſſo dicta diuinitus afferebãtur: cùm ſibi illũ Conſulẽ eſſe negaret, cui Senator ipſe nõ eſſet. An tu, cùm omnẽ auctoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putares: eãq; in cõſpectu pop. Rom. cõcideres, mène his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? Nõ tibi illa ſũt cędẽda, ſi Craſsũ vis coercere: excidenda eſt hæc tibi lingua, qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuã libertas mea refutabit. Permulta tũ vehementiſsima cõtẽtione animi ingenij, viriũ, ab eo dicta eſſe, cõſtabat: ſententiãque eã, quàm Senatus frequens ſecutus

Vox Craßi in Philipp.

Senatuſconſultum ex ſententia Craßi.

eſt, ornatiſsimis, & grauiſsimis verbis, vt populo Rom. ſatisfieret, nunquã Senatus, neque conſilium, neque fidem reip. defuiſſe, ab eo dictam: & eundem, id, quod in auctoritatibus perſcriptis extat, ſcribendo affuiſſe. Illa tanquam cycnea fuit diuini hominis vox, & oratio, quàm quaſi expectantes poſt eius interitum veniebamus in Curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremum inſtitiſſet, cõtueremur. Namque tum latus ei condoluiſſe, ſudoréq; multũ conſequutũ eſſe audiebamus, ex quo, cùm cohorruiſſet, cũ febri domũ rediit: dieque ſept. eſt lateris dolore cõſumptus. O fallacẽ hominũ ſpẽ! fragiléque fortunã: & inanes noſtras cõtentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruũt: & ante in ipſo curſu obruũtur, quã portũ cõſpicere potuerũt. Nam quãdiu Craſſi fuit ambitionis labore vita diſtricta, tã diu priuatis magis officiis, & ingenij laude floruit, quã fructu amplitudinis, aut reip. dignitate. Qui autem ei annus primus ad honorũ perfunctionem aditũ omnium cõceſſu, ad ſummã auctoritatẽ dabat: is eius om-

Pleuritide extinctus Craſſus.

Confirmatio

nem ſpem, atque omnia vitæ conſilia morte peruertit. Fuit hoc luctuosũ ſuis; acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Sed ij tamẽ remp. caſus ſequuti ſunt, vt mihi non erepta Craſſo à diis immortalibus vita, ſed donata mors videatur. Nõ vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia Senatum; non ſceleris nefarii, principes ciuitatis reos: non luctum filiæ, non exilium generi: nõ acerbiſſimam C. Marii fugam: non illá poſt reditum eius cædem omnium crudeliſſimam, non denique in omni genere deformatam ciuitatem: in qua ipſe florentiſſima multum omnibus gloria pręſtitiſſet. Tenemus memoria Q. Catulũ virum præſtantem, cùm ſibi non incolumem fortunam, ſed exilium, & fugam deprecaretur, eſſe coactũ, vt vita ſe ipſe priuaret. Iam Marci Antonii in his ipſis Roſtris, in quibus ille remp. conſtantiſſimè Conſul defenderat; quæque cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita conſeruata. Neque verò longè ab eo C. Iulii caput hoſpitis Etruſci ſcelere proditum, cum L.

Iulii fratris capite iacuit. Vt ille, qui hæc non vidit & vixiſſe cum rep. pariter, & cum illa ſimul extinctus eſſe videatur. Neque enim propinquum ſuum maximi animi virũ P. Craſſum ſuapte interfectum manu, neque collegæ ſui Pontificis maximi ſanguine ſimulacrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit: cui mœrori (qua mēte ille in patriam fuit) etiã C. Carbonis inimiciſſimi hominis, eodē illo die mens nefaria fuiſſet. Non vidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſſo ſe dicarãt horribiles, miſerosque caſus, ex quibus C. Cotta, quem ille florentē reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per inuidiam tribunatu non multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt è ciuitate. Sulpitius autē, qui in eadem inuidiæ flãma fuiſſet, quibuscum priuatus conſuētiſſimè vixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. Cui quidē ad ſummam gloriã eloquentiæ floreſcēti, ferro erepta vita eſt: & pœna temeritatis nō ſine magno reip. malo cōſtituta. Ego verò te, Craſſe, cùm vitæ flore, tum mortis opportunitate diuino conſilio, & ortum, & ex-

tinctum eſſe arbitror. Nam tibi, aut pro virtute animi, conſtantiaque tua, ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut, ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicaſſet; eadē te eſſe funerum patriæ ſpectatorē coegiſſet, neque ſolùm tibi improborum dominatus, ſed etiam, propter admiſtam ciuium cædem, bonorũ victoria mœrori fuiſſet.

PAnegyricus olim initium ſumebat à laude eiùs Dei, qui ludo, atque Panegyro præerat. Ea namque Dei laus in ſermonis initiò breuis, & dilucida veluti vultum quendam, ac faciem ſplendidiſſimā apponebat orationi. Laudes deorum ſumebantur ab iis, quæ inuenerant, & tradiderant hominibus, aut quomodocumque commodarant. Pari ratione Diui, Chriſtiano ritu conſecrati, poſſunt laudari: & iis dicatæ vrbes, & templa, & donaria. 17. *Panegyricus.*

GRatiarũ actio, qua verbis amplioribus teſtamur nos alicuius promeritum erga nos agnoſcere, & velle reipſa, & animo rependere. Hîc beneficium amplificabimus modis omnibus. Nam ſæpe gratiam retuliſſe videtur, qui bene gratias egit. 18. *Gratiarum actio.*

Laudabitur virtus meriti effectrix: dignitas benefactoris: magnitudo, & multitudo beneficiorum, vtilitas, iucunditas, neceſſitas, difficultas, qualitas accipientis perſonæ, calamitas, tempus, locus, auxilia, modus accepti beneficii; bona fortunæ, corporis, animi, & forſan incommoda fortunę; ſi illa retinere, aut exercere ſine beneficio nequiſſemus. Conferentis quoque perſona inſpiciẽda ſimul, & liberalitas, ſi voluntaria, ſi non euocata, ſi rogatus, cito, & promptè, ac beneuolè, magnificè, ſi plus dederit; ſi nihil promerenti, aut non expectanti: ſi ab eo, cui libenter debemus, hoc eſt, ab eo, quem amamus ex animo: aut, ſi in eũ ſit collatũ, cui optimè volumus; ſi nos prælati ſimus iis, qui aut affinitate, aut propinquitate præcedunt: Si noſtri ſtudio contempſit ſimultates, & inimicitias potentum: ſi multos vno beneficio adiunxerit, vt beneficii vtilitas non ad vnum, ſed ad multos pertinuiſſe demonſtretur. Comparatio, cum iis, qui beneficium dederunt, aut acceperunt: habet quãtitatẽ, gratias, vota, pollicitationem animi non ingrati, Si nulla refe-

rendæ gratiæ facultas ſit, certè animum gratum, & memorem pollicebimur. nã gratitudinis pars eſt, ſcire quantum debeas, & libenter debere.

O ſola infãdos Troiæ miſerata labores, *Virgil. 1. Æneid.*
Quæ nos, relliquias Danaum, terræque, mariſque,
Omnibus exhauſtos, iam caſibus, omnium egenos
Vrbe domo ſocias: grates perſoluere (dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido; nec quicquid vbique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſperſa per orbem.
Dij tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid (recti;
Vſquam iuſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tãti talem genuere parẽtes?
In freta dum fluuii current: dum montibus vmbræ
Luſtrabunt, conuexa polus, dum ſydera paſcet.
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt,
Quæ me cumque vocant terræ.

Si beneficium non ſit maximum, vota poſſunt omitti. Concluſio pollicebitur gratiæ habendę voluntatem, au effectũ, memoriam fidelem grati animi, perpetuitatem omni in loco, tempore.

19. Gratulatio. *Gratulatio eſt, qua verbis teſtificamur nos gaudere propter fœlicitatẽ alterius, & amici voluptatem noſtra augemus.* Hæc habet rei, quæ bene, & feliciter accidit, & perſonæ, cui gratulamur, laudem, & lætitiæ noſtræ, & aliorum hominum ſignificationem. Rem magnam, honorificam, & vtilẽ eſſe ei, cui accidit, & aliis oſtendemus, neque in alterum melius potuiſſe conuenire; ſimul ab aliis ambitam fruſtra: ſi non petenti, aut expectãti delatam dicemus; ſi bonorum iudicio, non cæco fauore fortunæ, aut principis; ſi induſtriæ, & virtuti acceptũ feremus. Laudabimus & modeſtiá, quod eum honorem non affectarit; vel docebimus eum re maiori dignum fuiſſe; hanc rem eſſe meritis imparem; ſi gratulabimur & honori talem virum, qui ſuis virtutibus ſit multum ſplendoris additurus; & ſpem dabimus gradatim ad maiora, & meliora peruenturũ; opta-

bimus ejus rei, quam adeptus eſt, perpetuam conſeruationem, acceſſionem, vſum ſalutarem, & beatum, gloriam. Gratulatio votum non habet, quia votis, & deſideriis perfectis eſt definita. Et hoc differt ab actione gratiarum. Exemplum gratulationis, quòd coniunctam habet gratiarum actionem, ſit oratio legatorum Saguntinorum. Etſi nihil vltra malorum eſt, P.C. quã, quod paſſi ſumus, vt ad vltimum fidem vobis præſtaremus: tamen ea veſtra merita, imperatorumque veſtrorum erga nos fuerunt; vt nos cladium noſtrarum non pœniteat. Bellum propter nos ſuſcepiſtis: ſuſceptum decimum annum tam pertinaciter geritis: vt ſæpe ad vltimum diſcrimen, & ipſi veneritis, & populum Carthaginienſem adduxeritis. Cùm in Italia tam atrox bellum, & Annibalem hoſtem haberetis, Conſules cum exercitu in Hiſpaniam, velut ad colligendas reliquias naufragii noſtri, miſiſtis. Pub. & Cneus Cornelij, ex quo in prouinciam venerunt, nullo tempore deſtiterunt, quæ nobis ſecunda, quæque aduerſa hoſtibus

eſſent, facere. Iam omnium primũ nobis oppidum reſtituerunt: per omnem Hiſpaniam ciues noſtros venundatos, dimiſſis, qui conquirerent, ex ſeruitute in libertatem reſtituerunt. Cùm iá prope eſſet, vt optabilem ex miſerrima fortunam haberemus: Publius, & Cneus Cornelii imperatores veſtri, luctuoſius nobis prope, quàm vobis perierũt. Tũ verò ad hoc retracti ex diſtantibus locis in ſedem antiquã videbamur, vt iterum periremus, & alterum excidiũ patriæ videremus: nec ad perniciem noſtram Carthaginienſi vtique, aut duce, aut exercitu opus eſſe; ab Turdetanis veterrimis hoſtibus, qui prioris quoq; excidii nobis cauſa fuerant, extingui poſſe: cùm ex inſperato repẽtè miſiſtis nobis hunc Pub. Scipionem, quem fortunatiſſimi omnium Saguntinorum videmur, quia Conſulem declaratum vidimus, ac vidiſſe nos, ciuibus noſtris renuntiaturi ſumus, ſpem, opem ſalutem noſtram; qui cùm plurimas hoſtium veſtrorum cepiſſet in Hiſpania vrbes, vbique ex captorum numero exceptos Saguntinos, in patriam remiſit

remiſit. Poſtremo Turdetaniam adeo infeſtam nobis, vt illa gente incolumi ſtare Saguntum non poſſet, ita bello afflixit, vt non modò nobis (abſit verbo inuidia) ſed ne poſteris quidem noſtris eſſet timenda. Vectigal ex agro eorum capimus, quod nobis non fructu iucundius eſt, quàm vltione. Ob hæc, quibus maiora, neque ſperare, neque optare à diis immortalibus poteramus; gratias actum nos decem Legatos Saguntinus Senatus, populuſque ad vos miſit: ſimul gratulatum, quod ita res per tot annos in Hiſpania, atque Italia geſſiſtis, vt Hiſpaniam non Ibero amne tenus, ſed qua terrarum vltimus finis Oceanus patet, domitam armis habeatis: Italiæ, niſi quatenus vallum caſtrorum cingit, nihil reliqueritis Pœno Ioui optimo M. præſidi Capitolinæ arcis non grates tantùm ob hæc agere iuſſi ſumus; ſed donum etiam hoc, ſi nos permiſeritis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergò ferre. Id vti permittatis, quæſumus: vtique, ſi vobis videtur, quæ nobis imperatores veſtri commoda tribuerint, ea rata, atque

perpetua auctoritate veſtra faciatis.

GRATVLATIO AD PONTIficem Romanum, & maiorum gentium Epiſcopos.

Cap. 10.

IN gratulationibus Pontifici Maximo habendis, exquirantur egregiarū laudum Pontificis ipſius, & principis gratulantis rationes: quas ſuppeditabunt abundè Natio, quæ ſolita ſit crebrò Pōtifices Eccleſiæ Romanæ dare, ſi Italia, Gallia, Hiſpania; aut rarò, ſi Belgia, Anglia, Germania: Patria, genus ſplendidum, ex quo magni viri vtrique reip. Eccleſiaſticę, & ciuili moderatores idonei ſumpti: aut obſcurum, cui lucē virtus, aut Pontificatus dederit: Maiores, parentes, affines: eorum ſtudia, res geſtæ, dignitas, honores, & ii varii: laus in functionibus munerum: efficacia in difficultatibus rerum, conſilium, artes: tutandæ religionis, & amplificādæ perpetua cupiditas: ſanctitas, & conſecratio nonnullorum eius gentis: præſagia, quæ ſummi ſacerdotii, procurationemque Eccleſiæ Principis præſignarunt. Naſcendi tempus, nomen priuati ſta-

tus,& aſſumptum in Pontificatu. Qui, & quot eius nominis Pontifices, quæ piè,& preclarè fecerunt:educatio,inſtitutio, ſtudia vitæ ante Pontificatum actæ:artes, coniuncta cum contemplatione artium, actio, vtriuſque inſignis, & populo ſalutaris vtilitas:grauitas, eloquentia, gratia, conditio priuata, tenuis, illuſtris: patientia paupertatis toleratæ, modeſtia in maiori fortuna, compreſſa ambitio: abſtinentia honorum, & fuga:conſuetudo, & imitatio magnorum virorum: vbi minoribus, maioribuſque diſciplinis impenderit operam: quorum doctorum magiſterio informatus ſit: profeſſio, & vitæ genus, laicæ, Eccleſiaſticæ, monaſticæ, eius origo, & cauſa: quot ex ea Pontifices, qui, quales, quàm excellentes eruditione, quam ſancti, qui in Diuos relati, quæ opera ediderint literaria: quæ fundarint templa, monaſteria, gymnaſia, ſeminaria gentium inſtaurandæ in iis religionis. Qui Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Cardinales, Patriarchæ, Sacerdotia cuiuſque dignitatis,

maiora minoraque: in iis gerendis grauitas, & ſapientia: quibus virtutibus cognitus Pontifici, qui eum in collegium Patrum allegerit: quo titulo inſignitus: ſi ex eo multi ad pontificatum ſunt ſubuecti: quàm culta, quàm caſtigata, quàm honorata, frequenti, electa vſus familia: ſi cardineam perſonam accuratè, magnificè, religiosè geſſerit: quantum decoris, ſapientiæ, maieſtatis, collegio, & Eccleſiæ addiderit: legationes, quas obierit ad principes Chriſtianos, ad concilia œcumenica, prouincialia, conuentus conſultantium: fauor Principum, Eccleſiaſticorum, populi: munia, quibus functus eſt in aula Pontificis, in collegio Cardinalium, in præfecturis Pontificiæ ditionis: imitatio Pontificum, ex quorum rationibus ſe cõformauit: ſeueritas temperata comitate: exacta ratio dicti iuris in Rota, & aliis procurationibus: ſucceſſus rerum: bella, ſi quæ geſſerit, aut eius maiores pro Eccleſia: modeſtia in honoribus, libertas dicendæ ſententiæ in conciliis, auctoritas vultus, & ſermonis: mortui Pontificis obitus, & virtutes, coitio car-

dinalium ad comitia pontificalia, frequentia,conſenſus,diſſenſus,factiones, earum ſuppreſſa, aut incenſa ſimultas: acceſſio iuniorum ad ſeniores, comitiorum expeditio,extractio,difficultas, conciliata cócordia diſſidentium Cardinalium,electio inſperata,aut extraordinaria, manifeſtior SS. inſtinctus, occaſio electionis non ſperantis, non ambientis: fama electionis celeriter prolata in omnes orbis partes etiam longinquas, quæ etiam anteuerterit nunciis demortui Pontificis, quæ incenderit deſideria hominum, & elicuerit gratiarum actiones. Si Schiſma ortum,aut ſublatum,abdicatus Antipapa, vt ſubrogatus Pontifex legitimus concilii œcumenici iudicio,aut Cardinalium ſuffragatione: preces populi,& cleri per interpontificatum, pro eius electione, concordia, ſuffragiorum diuinitus cóſpirantium,laudes Cardinei collegij ab ætate,numero, amplitudine, auctoritate, ſanctitate, gloria ſingulorum Patrũ: præſtantia virtutum extollitur, quarũ gloriæ ſit delatus Pontificatus. Ipſum in omni vita dignum maximis hono-

ribus, & rebus dignitatis amplificatæ decus acceſſione Pontificatus conſummatum. Hìc prædicatur antiqua maieſtas Eccleſiæ principis Eccleſiarum totius orbis: Romam eſſe Religionis ſedem, & imperii æterni, quod alteri populo non traditur: qui maieſtatem ſedis Apoſtolicæ imminuerint, qui eandem vindicarint Pontifices, Principes, Concilia: qui Apoſtoli ad quaſcumquè gentes ab ſede Apoſtolica miſſi, à quo Pontifice: quibus rebus, doctrina, miraculis populum ad fidem adduxerint: hic locus eſt laudationi Apoſtolorum, qui Romanam Eccleſiam condiderũt: amplitudo ſummi Sacerdotii demonſtratur. Ab Apoſtolica ſede peti rerum maximarum auſpicia, qui in ea ſedeat vicariæ procurationis officium Chriſto Seruatori præſtare: S. Petri ſucceſſorem eſſe poſt tot Pontificum per tot ſæcula; ſucceſſionem perpetuam: Eccleſię Catholicę, & orbis Chriſtiani paſtorem eſſe, & cœlo proximam obtinere poteſtatem ligandi, ſoluendique: habere clauem regni cœlorum, ſedere ſupra faſtigium humanæ excellentiæ; Dei perſonam inter homines ſuſtinere;

eſſe exemplũ omnibus, eius vitá, volũtatem, legem, vocẽ, oraculũ, non eſſe obnoxiũ temeritati, non errori: hîc & nomẽ, quod aſſumpſit nouum, & inſignia addantur: gratulabimur tum Pontifici ſupremum inter mortales honorem, tũ Eccleſiæ vniuerſæ Pontificẽ: huic Deũ detuliſſe regimen Eccleſiæ, non principũ fauores, nõ Cardinaliũ, nõ nobilitatẽ maiorũ: dicemus ſerius adeptũ, quod pridẽ erat ꝓmeritus, qui inter Cardinales princeps loco, & exiſtimatione fuerit. Difficultas gerendi Põtificatus non omittatur, poſt prçcellentẽ Põtificẽ, aut Põtifices, qui impoſitæ perſonæ officia implerint omnia: qui põtificiã ſeueritatẽ nulla gratia inflexerint: aſcribantur fœdera cũ Catholicis Principib⁹ aduerſus barbaros noĩs Chriſtiani hoſtes, & perduelles Eccleſię hęreticos: liberalitas in Eccleſiã, & partes Eccleſiæ laborãtes cura: auxilia militũ, pecuniæ, nauiũ data Principib. bella eorũ auſpiciis geſta: recuperatæ prouinciæ de barbaris, aut hęreticis: redditæ patrimonio D. Petri antiquæ poſſeſſiones, ꝓpagata ditio, munitæ vrbes, ſublata latrocinia: redditum

ius omnibus: æquitas in omnes par, nulla propenſio in factiones principum: adiutæ partes bonæ. Docebimus muneri pontificio præter omnes parem: nihil difficile, aut arduum eius ſapientiæ, efficaciæque: eſſe gentium diſſidẽtium concordiæ conciliandæ idoneũ: ſtatum rei Chriſtianæ, iniquitatem tẽporum, & tempeſtatem formidoloſam poſtulaſſe hunc Pontificem, qui nauim Eccleſiæ naufragio propinquam gubernaret: Eccleſiarum in gentibus diſcrimen, ſpem pacandi tumultus, extinguendæ diſcordiæ, ſchiſmatis abolendi, mala, quibus laborarat Eccleſia, vnde orta: iis hunc mederi poſſe, qui omnium hominum pernorit ingenia, qui ad Eccleſiam gentem, aut gentes priuatus reduxerit: bellum Eccleſiæ intentum repreſſerit, aut repreſſurus diuinetur: contumaciæ hæreticorum molliendæ commodum: alios frangere fruſtra voluiſſe, id hunc facere, aut facturũ, quibus in locis, per quos, quo modo, qua lenitate, qua ſapientia, paterna indulgentia: Id deceſſores præclarè præſtitiſſe, ad eorum æmulationem aſſur-

gere oportere: poſteris præripere gloriam ſummæ rei: opportunitatem gloriæ conſequendæ: ſuperioribus temporibus inceſſiſſe diſſidium Chriſtianis principibus, id iam ſublatum dare facultatem pontificiæ prudentię reſtituēdi Chriſtianiſmi: impios id temporis impunè inſultaſſe Eccleſiæ, ràpuiſſe occaſiones hæreſis inuehendæ; qui hoc tempore ſunt perterrendi, coercendi, aut fulminibus eccleſiaſticis percellendi, aut plectendi ſeueritate principum, qui turbidis temporibus innaſcēs prouinciis malum non potuerint euellere: pium eorum ſtudium laudabitur. Hortabimur ad poſtremum ad clauum nauis eccleſiaſticæ regendum ſapienter: motus Eccleſiæ ſedandos: adminiſtros proponemus, & modum, quo maiores fœliciter ſunt vſi; docebimus, quæ mala, quæ hæreſes occupent animos hominum, vt ea ſint corrigenda: oſtendemus, ſi ſpes Pontificis genus hominum fallat, omnia miſera viſum iri: ipſum erexiſſe omnium animos in ſpem ſummi boni, & cultus vnius Dei: proponemus imaginem futuri temporis, & beati

hoc Pontifice: Illi auxilium Chriſtianorum ſpondebimus ad eam rem, quã velit eſſe optimam.

Perſona gratulantis.

Lætitia Chriſtianorum Principum, & præcipuè gratulantis de Pontificis electione: gratiæ Deo actæ, qui eam mentẽ Cardinalibus electoribus immiſerit, vt hunc renunciarẽt: Si Imperator, ſi Rex, Reſp. Dux, Princeps: celeritas expeditę legationis, vt nouitatis voluptatem cõciperet: tarditas excuſatur, propter auctoritatis, & fidei, & negotiorum cum Pontifice expediendorum rationem, & abſentiam idoneorum legatorum: per nuptias, vt cum vxore gratularetur: ſeriam gratulationem ſumptã ex iis, quæ in Pontificatu geſſit: per reditum ab hæreſi, per oblata ab hęreticis, à Turcis, ne gratularetur maturè, impedimenta: nihil prius habuiſſe Pontificis ſalutatione, vel in ſummis rerum difficultatibus, & in periculo ſalutis: ſi veniat ipſemet, venturuſque eſt, aut venturum excuſet. Hîc eandem laudationis rationem ingredimur, & commendamus genus, maiores, parentes, eorum clarita-

tem, ſi ſuperet omnes omnium gentium principes, nouis meritis in Eccleſiam, & proinde anteferatur: ditionem, res geſtas pro Eccleſia: reuerẽtiam perpetuã erga ſedem Apoſtolicam, ſtudium Eccleſiæ defendendę, præ cęteris excellẽs, & promptum, antiquum, aut nouum, ſi aliquot annis ad Eccleſiam acceſſerit, quando, & quomodo acceſſerit, quantum populum adiunxerit, quos progreſſus fecerit per eum Eccleſia: æquaſſe aut ſuperaſſe maiorum, per quorum veſtigia incedat, gloriam, ætatem, victorias de hoſtibus Eccleſiæ: ſi præliis interfuerit ipſe: vitam poſt fidem habuiſſe, & Apoſtolicam ſedem: lenitatem, & clementiam in victoriis: merita in Eccleſiam: quotus inter magnæ Matris filios. Addemus cum aliis principibus comparationem, antiquitatem, receptæ religionis, & incorruptæ conſtantiam: ſi coegerit multos deponere errorem, atque Eccleſiæ reddiderit, ſi opibus, terris, ornamentis auxerit Eccleſiam Apoſtolicam Romanam, ſi templa donariis, aut congiaria pauperibus impertita ex victoriis: ſanguinem,

vitã, opes ſedi Apoſtolicę(prędertim ſi cliens Eccleſię Romanæ) deuouere: fortitudinem, ſi hoſtem, & quidẽ principem ceperit, aut occiderit, ſi eius ditiones expoſitę hoſtibus, quibus obſtét velut propugnaculum, ſi bella geſſerit in longinquis, in propinquis regionibus, ſi quod meruerit, & habuerit decus iudicio magnorum principum, & Pótificis: monumenta ad gloriam fixa, & inſcripta honorificè, picta inſignia, iudicia Pontificum de eo, & eius maioribus. Eius dicta memorabilia de Apoſtolica ſede, & Religione, difficultates, & impenſas in hoſtes Eccleſię: ſeueritatem in hęreticos, & edicta: vindicatam Eccleſię auctoritatem, quam alii neglexerint, contempſerint, imminuerint: cognomen inſigne Religionis, vt Catholici: qui primi id tulerint, qui ſucceſſores defenderint: Si cognatio, aut affinitas cum Pontifice intercedat, laudetur: ſi clientela, qua iure feudi Eccleſiaſtici obſtringatur Pontifici, aut ſi Pontifex eius fuerit cliens. Votũ eius, vt ſuę clientelę, affinitatis, cognationis,

& is legeretur Pontifex. Si ſuſpectus ſit hęreſeos, dicemus non abſiſtere à veſtigiis maiorum, qui frangendis hoſtibus ſedis Apoſtolicę ſint ſummam gloriam conſecuti. Hic erit laudibus Regis locus. Ad poſtremum ſpondet ſe filium, ſe clientem Eccleſię, promittit ſummã obedientiam: profitetur omnium, qui in Eccleſia ſunt, Principum, Apoſtolicæ ſedis obſeruantiſſimũ: dat fidem, & fidei teſtimonium, principales literas, & obſides oratores: conſtantiam promittit, gaudet clientela pontificia, & ſumptis titulis à concilio, aut collegio Cardinalium: ſe, ditionem, ditionesve, ſi plura regna obtineat (vt ea ſit adeptus commemorabit) vt amplectatur, atque vt pater amet, rogabit: id debere facere propter munus Pontificum, propter ardẽtiſſimum ſtudium, tum ſuum, tum maiorum in Eccleſiam Romanam, qui res ſuas, & ditiones prę Eccleſia neglexerint, populos in officio patri debito futuros: ſe in clientelam Pontificis cõmittit.

Legatus. Legationis deſignatio in concilio Principum; Legati dignitas, ętas, ordo, qui aut ſacer eſt, vt ſacerdos, monachus, profeſſionis inſtitutor Benedictinus, Franciſcanus, Dominicanus, Ieſuites; ſi Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut laicus, ſi Eques, Spiritus ſancti in Galliis, Aurei velleris in Belgio, Sancti Iacobi in Hiſpania, Sancti Dionyſii in Luſitania, S. Ioannis Melitę, S. Marię in Teutonibus; Patritii, Senatorii, ſtirpis maiorum gẽtium, aut minorum: genus, ſanctitas, eruditio ſumma, & multiplex, & quarum artium, fides & obſeruantia in Põtificem: ſi pręter Legatum, qui Romæ ſedẽ habeat, alius admiſſus ſit, ad ſignificationem volũtatis maiorem, arcanorum cõſiliorum particeps, propinquus ſanguine, cuius conſilio Princeps vtatur in maximis rebus gubernandis. Vnde veniat, an ex propinquo, Italia, Gallia, Germania, Hiſpania: an ex longinquo, terra, mari, Africa, India, Antipodibus: quos ſecum comites adduxerit, quàm multos, quàm nobiles, quàm Religionis amantes, quos labores exhauſerit, quibus iactatus periculis, quantũ tempus exegerit.

Interpres.

Interpres legatorum gratulantium, (qui Latinę, aut Italicę linguę vim non calleant) dicat, quæ pręcepta ſunt de perſona Oratoris in exordiis. Cęterum hic eſt, qui amplè laudare poteſt legatum, ab iis omnibus, quæ propria ſunt laudis perſonarũm. Sed breuis ſit hæc vicarii hominis laudatio, ne argumentum gratulationis alienum videatur.

IN vituperiis eadem diſpoſitio confirmationis partium eſſe poteſt, quæ in laudibus. Nam turpitudo generis multis opprobrio fuit, & quoſdam claritas notiores vitiis fecit, & inuiſos magis. Itaque ſi bono genere ſit natus, dedecori maioribus fuiſſe dicetur; ſi malo, tamen ipſis detrimento fuiſſe. In quibuſdam bona corporis forma, detrimentum, & dedecus, vt in Helena, Alcibiade, Laide: in quibuſdam mala, contemptum, vt Therſitæ: in quibuſdam bona vitiis corrupta, odium attulit, vt Nireo. In deformi corpore animam deformem incluſam: ſi bonam formam, & cætera naturæ egregia munera, culpa, & intemperantia dicemus

vitiata. Educatio in vituperio eſſe po- *Educatio.* teſt; ſi recta, & à bonis inſtitutus, in praua deflexit: vel, ſi malè educatus eſt, & à malis: ſi ſe diſciplinis, & artibus honeſtis non adiunxit. Odimus & malorum parentes. Quibuſdam poſt mortem impreſſa infamia, vt: Aurelio Commodo, cùm Senatus fœda omnia in mortuum dixit: Spurio Melio, cùm domus eſt æquata ſolo: M. Manlio Capitolino. *Flori lib. 1. cap. 26.* cùm familiæ poſteritatique, Marci nomen eſt interdictum. Eſt & conditoribus vrbium infamię, contraxiſſe aliquã gentem cęteris pernicioſam: & leges Gracchorum inuiſę; & fœdum exemplum poſteris traditum. In viuentibus *Iudicium publicum.* iudicia hominum ſunt argumenta morum. Honos, & ignominia veram eſſe laudem, aut probat vituperium. Vituperabimus nãque, ſi aliud iniuſtè, aliud ignauè, aliud ſtultè factum dicemus. In animi malis totidem ſunt, aut plura mala, quot in bonis virtutes. In his, quoniam non omnia cadunt in laudem, aut vituperium, firmiſſima deligere oportebit. Dicta etiam obſeruare decet pręter facta. Nam quia vera demonſtratio

habetur

habetur ex animo, animum tam à corporis rebus, & fortuitis, quàm à factis, & dictis, & nonnunquam (animi enim ſimulacrum eſt oratio) à dictis facilius æſtimamus. Neceſſe eſt, quod in omnibus his vitium animi, aut virtus appareat, non parua cura perſpicere, quæ, ſi eiuſmodi erunt, vt quiuis cōcedere poſſit ita eſſe, operam dabimus, vt quam maximè ampla, & magna oratione efferantur. Nihil enim eſt magis propriū demonſtrationi, quam ampla oratio, à qua nunquam eſt recedendum. Nam, qui genus, educationē, cæteraque exponit oratione exangui, cenſetur hiſtoricè narrare, non oratoriè dicere. Prorſus enim à natura ſui excidit, niſi crebris amplificationibus abſoluatur. Magni refert vbi quis laudetur, aut vitupere- tur. Nā plurimū intereſt, qui ſint audiētium mores, quæ publicè recepta perſuaſio, vt illa maximè, quæ probant eſſe in eo, qui laudatur, credant: aut in eo, contra quem dicitur, ea, quæ oderunt. Ita non dubium erit iudicium, quod orationem præceſſerit. Minus ſtudia litterarum Lacedæmone, quam Athe-

Dictio demonſtrationis qualis eſſe debeat.

Auditorum mores obſeruandi.

nis honoris merebantur: plus patientia, & fortitudo, quàm eruditio. Et quia vir tutibus, & vitiis vicinitas intercedit; vtendum proxima deriuatione verborum, vt liberalem pro prodigo; pro auaro parcum dicamus. Quod orator, id eſt vir bonus, nunquam faciet, niſi communi vtilitate ducatur. In exemplis vituperiorum eſſe poſſunt orationes, Philippica ſecunda in Antonium, gratiarũ actiones, poſt reditum in Senatu, & Roſtris, atque ad Pontifices pro domo ſua. Addam breue. Vidiſtine quemquã Regulo timidiorem, & humiliorem poſt mortem Domitiani, ſub quo non minora flagitia commiſerat, quam ſub Nerone, ſed tectiora? Metii Modeſti iudicio omnium bipedum nequiſſimus eſt, locuples, & factioſus eſt: curatur à multis: timetur à pluribus. nam metus fortior eſt amore. Quippe gratia malorum tam infida eſt, quam ipſi. Habet ſtudiis honorem, timet, pallet, ſcribit: quamuis dediſcere non poteſt illud ipſum, quod oculum modo dextrum, modo ſiniſtrũ circumlinit: dextrum, ſi à petitore: alterum, ſi à poſſeſſore dicturus eſt; quod

Ex Plinii Secũdi epiſt exemplũ vituperij in M. Regulũ.

candidum ſplenium in hoc, aut illud ſupercilium, transferr. Tam eſt mobile ingenium Regulo, vt plurimum audeat; plurimum metuat. Ex paupere, & tenui ad tantas opes per flagitia proceſſit; vt millies, & ducenties ſeſtertium impleuerit alienis teſtamentis, quod improbiſſimum falſi genus eſt, dictatis. Filium amiſit hoc vno indignus malo. Erat puer acris ingenii, ſed ambigui; qui tamen poſſet recta ſectari, ſi patrem nõ referret. Hunc emanciparat, vt matris hæres eſſet. Mancipatum fœda, & inſolita parentibus indulgentiæ ſimulatione captabat. Amiſſum luget inſanè. Habebat puer mannulos multos, & iunctos, & ſolutos: habebat canes maiores, minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, merulas; omnes Regulus circa rogũ trucidauit. Nec dolor ille erat, ſed oſtentatio doloris. Conuenitur ad eum mira celebritate: cũcti deteſtantur, oderunt, & quaſi probẽt, quaquaſi diligant, curſant, frequentant. In Regulo demerendo, Regulum imitantur. Tenet ſe trans Tybrim in hortis, in

quibus latiſſimũ ſolum porticibus immenſis, ripam ſtatuis ſuis occupauit: vt eſt in ſumma auaritia ſumptuoſus; in ſumma infamia glorioſus. Vexat ciuitatem in ſaluberrimo tempore; & quod vexat, ſolatium putat. Dicit ſe velle vxorem ducere, hoc quoque, vt alia, peruersè. Audies breui nuptias lugentis, nuptias ſenis; quorum alterum immaturum eſt, alterum ſerum. Vnde hoc augurer, quæris? nõ quia affirmat ipſe, quo nihil mendacius; ſed quia certũ eſt Regulum eſſe facturum, quod non oportet. Ea in eo vis ineſt, qua effigiat omnia, in quæ incubuit. Placuit ei lugere filium? luget, vt nemo. Placuit ſtatuas ei⁹, & imagines quamplurimas facere. Hæc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, illum ebore, marmore effingit. Ipſe nuper adhibito ingenti auditorio, librum de vita filii recitauit, qui tam ineptus eſt, vt riſum magis, quàm gemitum poſſit exprimere. Credas non de puero ſcriptum, ſed à puero. Eundẽ in exemplaria tranſcriptum, mille per totam Italiam, prouinciaſque dimiſit:

ſcripſit publicè, vt à decurionibus eligeretur vocaliſſimus ex ipſis, qui legeret eum populo. Et illi, qui quidquid velis, obtinet, atque perficit, latus imbecillũ, os confuſum, hæſitans lingua, tardiſſima inuentio, nulla memoria, nihil denique præter inſanum ingenium, & tamen eò impudentia, eoque illo furore peruenit: vt à plurimis orator habeatur. Herennius Senecio mirificè illud Catonis de Oratore in hunc è contrario vertit, Orator eſt vir malus dicendi imperitus. Non me herclè Cato ipſe tam bene verum oratorem, quàm Senecio Regulum expreſſit.

Laudatio facti coniuncta eſt demõſtrationi perſonarum. Nam hîc nõ tam factum, quàm auctor facti laudatur, locorum honeſti, & vtilis, & poſſibilis tractatione. Narratio habet expoſitionem rerum antecedentium, & facinoris laudationem. Confirmatio honeſtatem amplificat virtutum, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ demonſtratione. Adiungit decorũ, fas, æquum, glorioſum, magnum. Vtilitatem quoque exaggerat, & rationes 21. *Laudatio facti.*

tuti, & neceſſarii exponit.

12\. *Confirmatio demonſtrationis rerum.*

CONfirmatio demonſtrationis rerum conficitur tractatu locorum honeſtatis, & vtilitatis. *Honeſtas antiquitatem, originem, inuentores; ſi recens, nouitatem, dignitatem, præſtantiam, complectitur. Vtilitas vſum, qui demonſtrat, cur, quibus, quando vtilis ſit res. Res, quæ laudantur crebrò ſunt regiones, vrbes, domus, agri, flumina, montes, fontes.*

Laudatio regionis.

Regiones ab antiquitate, primis cultoribus, principibus, conſeruatoribus, magiſtratibus, amplitudine, ſitu, amœnitate, aeris clementia, ſalubritate, fluminibus, pontibus, lacubus, mari, montibus, vallibus, ſyluis, arborum generibus, herbarumq; mercatu, metallis, lapidibus, & iis, quæ ex terra oriuntur, vrbium frequentia, celebritate, fertilitate, frugibus, animalibus, tuto itinere, virtute bellica, humanitate, ſtudiis ſublimium diſciplinarum, liberalium artium, principalium, regiarum, illiberalium, quæ vtiles ſunt, & honeſtæ, linguarum elegantia, à rebus geſtis, antiqua gloria, imperio, libertate, religione, legibus, reip. inſtitutis: bonis corporis, animi, & fortunæ incolarum. Cum aliis regionibus comparatio multum laudis affert, vt: Omnium nó modò Italia, ſed toto orbe terrarum pul-

cherrima Cãpaniæ plaga eſt; nihil mollius cœlo, denique bis floribus vernat; nihil vberius ſolo: ideoque Liberi, Cererisque certamen dicitur: nihil hoſpitalius mari: hic nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus, & Auernus, quædam maris otia. Hîc amicti vitibus mõtes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuuius Ætnęi ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipſa caput vrbium Capua, quondã inter maximas tres Romam, & Carthaginem numerata.

Vrbes laudantur, ab antiquitate, origine, conditoribus, qui parentum loco ſunt, ſitu, amplitudine, munitionibus, cœli temperie, amœnitate, ab aquis, domorum elegantia, vicorum latitudine, & munditie, variarũ rerum copia, principibus, reip. legibus, & inſtitutis, religione, tẽplis, & donariis, cultu, ſacris, diuis, & reliquiis diuorum, epiſcopis, monaſteriis, auctoribus religionis, ſcholis, populi frequentia, ingeniis, ſtudiis, ſcientia militari, & virtute, fortitudine, vrbanitate, mercatu, opibus, imperiis: ædificiis publicis, & priuatis, 23. *Vrbis laudatio.*

reip. forma, eccleſiaſtico magiſtratu, & ciuili, iudiciis, conſuetudinibus, plebis ingenio, multitudine, pietate, conſtantia, concordia, ordinibus ſacris, & profanis, eccleſiaſticorum, nobilium, equitum, ignobilium, factionibus, & inter ciues, & æquales, ſimplicitate, aut acrimonia ingeniorum, rebus geſtis, victoriis, ſcriptis præclaris, dictisque præſtantium virorũ, qui in ea nati, cultíque ſunt; quid fecerint, quid faciant, & quales ciues vrbis futuri ſperentur. Præter hæc à ſociis exteris, & fœderatis principibus, amicis, ludis, theatris, & ſpectaculis, portu, auctoritate, fœlicitate, circũiectique agri magnitudine, & bonitate, tranquillitate, & carentia malorum, peſtis, famis, belli, inundationum, terræ motuum, iudiciis clarorum hominum de eius vrbis ingenio. vt:

Flo.l.1.c.18. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, atque Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, tum magnitudine, & muris, portuque nobili, tum memorabili ſitu, quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſita, in omnes Italiæ, Iſtriã, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam vela dimittit, imminet portui ad proſpectum maris, poſitum vrbis theatrum.

Domus ab amplitudine, figura, materia, ſitu, proſpectu, horto, puteo, fontibus, atriis, cubiculis, penetralibus, & cæteris rerũ familiarium commodis præſentibus. vt: Laurentum me delectat meum. Cognoſce gratiam villæ, opportunitatem loci, littoris ſpatium. Decem, & ſeptem millibus paſſuum ab vrbe ſecedit, vt peractis, quæ agenda ſunt, ſaluo iam, & compoſito die poſſis ibi manere. Aditur non vna via. nam & Laurentina, & Oſtienſis ab vndecimo lapide relinquẽda. Vtraq; eo dẽ ferũt: L. quarto decimo lapide Oſtiẽſis excipit iter aliqua ex parte arenoſũ, iumẽtis paulo grauiꝰ, & lõgius, equo breue, & molle. Varia hinc, atque inde facies. nam modo ſyluis occurrentibus coarctatur via, modo latiſſimis pratis diffunditur, & pateſcit; multi greges ouium, multa ibi equorum, boumque armenta, quæ montibus hyeme depulſa, herbis, & tepore verno niteſcunt. Villa vſibus capax, non ſumptuoſa, cuius in prima parte atrium frugi, nec ſordidum tamen: deinde porticus circumactæ, quibus paruula, ſed feſtiua area includitur. Egregium hæc aduerſum tempeſtates receptaculum, nam ſpecularibus

24. *Laudatio domus.*

ac multo magis imminẽtibus tectis imminuuntur: eſt contra medias cauædium hilare: mox triclinium ſatis pulchrum, quod in littus excurrit: ac ſi quando Africo mare impulſum eſt, fractis iam, & nouiſſimis fluctibus leniter alluitur. Vndique valuas, aut feneſtras, non minores valuis habet: atque à lateribus, à fronte, quaſi tria maria proſpectat. A tergo cauædium, porticum, aream; porticum rurſus, mox atrium, ſyluas, & longinquos reſpicit montes. Huius à læua retractius paulo cubiculũ eſt, amplum; deinde aliud minus, quod altera feneſtra admittit Orientem, Occidẽtem altera retinet. Hæc, & ſubiacens mare longius quidem, ſed ſecurius intuetur. Huius cubiculi, & triclinij obiectu, includitur angulus, qui puriſsimum ſolem continet, & accendit. Hoc hybernaculum, hoc etiam Gymnaſium meorum eſt. Ibi ſilent omnes venti, exceptis, qui nubilum inducunt, & ſerenum, antequam viſum loci eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in apſida curuatum, quod ambitum ſolis feneſtris omnibus ſequitur. Parieti eius,

in Bibliothecæ ſpeciem, armarium in-ſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos præbet. Adhæret dormitorium membrum tranſitu interiacente, qui ſuſpenſus, & tabulatus conceptum vaporem ſalubri temperamento huc, illuc digerit, & adminiſtrat. Reliqua pars huius lateris ſeruorum, libertorumque vſibus detinetur: pleriſque tam mundis, vt accipere hoſpites poſsint. Ex alio latere cubiculum eſt politiſſimum, vel cubiculum grande, vel modica cænatio, quæ plurimo ſole, plurimo mari lucet: poſt hanc cubiculum cum procetone altitudine æſtiuum, munimentis hybernum, eſt enim ſubductum omnibus ventis: huic cubiculo aliud, & procceton communi pariete iunguntur, inde balinei cella frigidaria, ſpatioſa, & effuſa, cuius in contrariis parietibus duo baptiſteria, velut erecta ſinnuãtur, abundè capacia, ſi innare in proximo cogites. Adiacet vnctoriũ hypocauſtũ, adiacet progigeõ balinei, mox duæ cellæ, magis elegãtes quã sũptuoſę, cohęret calida piſcina mirificę, ex qua natãtes mare aſpiciũt, nec

procul ſpheriſterium, quod calidiſſimo ſoli inclinato iam die occurrit. Hic turris erigitur, ſub quà dietæ duæ, totidem in ipſa, præterea cœnatio, quæ latiſsimum mare, longiſsimum littus, amæniſſimas villas proſpicit. Eſt & alia turris, in hac cubiculum, in quo ſol naſcitur, conditurque, lata poſt apotheca, & horreũ. Sub hoc triclinium, quod turbati maris non niſi fragorẽ, & ſonum patitur, eumque iam languidum, & deſinentem, hortum, & geſtationem videt, qua hortus includitur: geſtatio buxo, & roremarino, vbi deficit buxus, ambitur. Nã buxus, qua parte defenditur tectis, abũdè viret aperto cœlo: apertoq; vento, & quãquã lõgĩqua aſpergine maris inareſcit. Adiacet geſtationi interiore circuitu vinea tenera, & vmbroſa, nudis etiam pedibus mollis, & cedens. Hortum morus, & ficus frequens veſtit, quarum arborum illa vel maximè ferax eſt terra, malignior cæteris. Hac non deteriore, quam maris facie, cœnatio à mari remota fruitur. Cingitur duabus dietis à tergo, quarum feneſtris ſubiacent veſtibulum villæ, & hortus alius pinguis, & ru-

ſticus. Hæc vtilitas, hæc amænitas, deficitur aqua ſalienti: ſed puteos, & potius fontes habet. Sunt enim in ſummo, & omnino littoris illius natura, quocũque loco moueris humum, obuius, & paratus humor occurrit, iſque ſincerus, ac ne leuiter tanta maris vicinitate corruptus. Suggerunt affatim ligna proximæ inſulæ. Cæteras copias Oſtienſis colonia miniſtrat, frugi quidem homini ſufficit, etiam vicus, quem vna villa diſcernit. Littus exornant varietate gratiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum vrbium faciem, ſiue ipſo mari, ſiue littore vtare: quod nonnunquam longa tranquillitas mollit; ſæpius frequens, & contrarius fluctus indurat. Mare non ſanè pretioſis piſcibus abundat: tamen ſoleas, & ſquillas optimas egerit. Villa verò noſtra etiam mediterraneas copias præſtat, lac in primis: nam è paſcuis pecora conueniunt, ſi quando aquam, vmbramque ſectantur.

AGer commendatur amænitate, fertilitate, & vbertate frugum, & fructuum, pomorum varietate, arborum, & 25. Laudatio agri.

herbarum generibus, cultura, prædiis, ſitu.

Laudatio montis. *Mons à magnitudine, radicibus, vallibus, vitibus, miraculis, prodigiis, rebus memorabilibus, fontibus, frugum vbertate, & copia.*

Fluminis. *Flumina laudantur ab ortu, ſcaturigine copioſa, velocitate, colore, piſcatu, piſcium generibus, & multitudine, & aliis fluuiis, quos recipiunt, & locis, per quæ fluunt, à nauium frequentia.*

Ex Plinij ſecũdi epiſt. Fons oritur in mõte: per ſaxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manu facta. Ibi paulum retentus in Lariũ lacũ decidit. Terinde die ſtatis auctibus, & diminutionibus creſcit, decreſcitque. Cernitur id palam, & cũ ſumma voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis; & veſceris, atq; etiá ex ipſo fronte (nã frigidiſsimus eſt) potas. Interim ille certis, dimenſiſq; momentis vel ſubtrahitur, vel adſurgit. Annulum, ſeu quid aliud ponis in ſicco, alluitur ſenſim, ac nouiſſime operitur; detegitur rurſus, paulatimq; deſeritur: ſi diuti⁹ obſerues vtrũq; iterum, & tertio videas. Modicus collis àſſurgit antiqua cupreſſu nemoroſus, & opacus. Hinc ſubter fons exiſtit, atque exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui

lato gremio pateſcit purus, & vitreus, vt numerare iactas ſtipes, & relucentes calculos poſsis. Inde non loci deuexitate, ſed ipſa ſui copia, & quaſi pondere impellitur. Fons adhuc, & iam ampliſsimum flumen, atque etiam nauiũ patiens, quas obuias quoq;, & cõtrario niſu in aduerſa tendentes trãſmittit, & perfert adeo validꝰ, vt illa qua properat, ipſe tanquã per ſolũ planũ, remis nõ adiuuetur, idẽ ægerrimè remis, cõtiſq; ſuperetur aduerſus. Iucundũ vtrũque per iocum, ludũque fluitãtibus, vt flexerint curſum, laborem otio, otium labore variare. Ripæ fraxino multa, multa populo veſtiũtur, quas perſpicuus amnis veluti merſas in viridi imagine adnumerat. Rigor aquæ certauerit niuibus, nec color cedit. Adiacet templum priſcum, & religioſum. Stat Clitumnus ipſe amictus, ornatuſque prætexta. Præſens numen, atque fatidicum indicant ſortes. Sſparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque Dei, ſua cuique veneratio, ſuum nomen, quibuſdam etiam fontes. Nam præter illum, quaſi parentem

cæterorum, ſunt minores capite diſcreti, ſed flumini miſcentur, quod ponte tranſmittitur. Non deſunt villæ, quæ ſequutæ fluminis amænitatem margini inſiſtunt.

CONFIRMATIO IVDICIALIS.

CAPVT I.

Tres ſtatus iudiciales. *IVdiciale genus tres pertractat ſtatus, an ſit, coniecturalem, quid ſit, finitiuum, quale ſit, iuridicialem. Coniecturalis, quo quæritur de facto, aut de facti auctore, tribus temporibus continetur, præterito*, An Sextus Roſcius patrem occiderit? *præſenti*, An venienti in colloquium nepoti Mitradates inſidias paret? *futuro*, An Pœni ſint reparaturi bellum? His exquirimus, quo tēpore, quo loco, qua cauſa, quo modo, quo auctore, quid factum ſit, aut fieri poſſit. In diſceptatione ciuili, & cōſultatione cōiecturis volūtas tractatur: quo animo legiſlator, quo inimicus, quo

Coniectura varia.

Pro ſexto Roſcio.

Iuſt. lib. 38.

Coniectura quibus conueniat.

quo hoſtis:tractatur & facultas,& vires: vt, cùm expendimus in conſiliis hoſtiū facultates, æſtimatis adiunctis perſonæ, genere,educatione,diuitijs, ſtudijs, robore, opibus. Inueſtigatur & ſententia mentis, an hic, an ille ſenſus, & ſententia facti, vt Quid portendunt ciuium diſcordiæ? Huc pertinent ſigna naturæ 1578.
antecedētia, & conſequentia. An Valencenis natus infans bifrons aſſentatores, & in conſiliis publicis, & priuatis cōgreſſibus bilingues prętęr ſimplicitatem Belgicam ſignificarit. Vaticinia, & vatum obſeruationes, & diuinationes, & coniectationes eorum,quæ ſunt euentura,niſi occurratur, quod accidāt crebrò, cùm incommodum inſequens denuntiamus, exitus rerum, hominum facies, ſermo, veſtes & alia. An Gregorius decimus tertius Pontifex credat facetius mulierculæ Bononienſi, quæ interpretanti Pontificios canones promiſerat quatuordecim annorum Eccleſiæ Romanæ principatum: quam Aſtrologis, qui ex Cometæ terrifici ardoribus mortem portendebant? Item, An Gal- *Paulus Io.*
licanæ veſtis affectatio,Franciſci Valeſij

vẽturi in Italiam fuerit præſagium? His plures addi poſſunt coniecturæ præter criminũ iudicia, quæ inſimulantium, & inficiantium litigio, & diſceptantium iudicum ſententiis peraguntur, in quibus ſunt voluntas, & facultas firmiſſimæ, & neceſſariæ probationes coniecturarum. Coniectura ducitur à coniectu, & directione quadam rationis ad veritatem, eſt argumentum dubiæ rei, quod a manifeſto ſigno, aut ſuſpicione perſonæ procedit.

2\. *Status coniecturalis duo loci.*

STatus igitur coniecturalis duos ſtatuo locos, voluntatem, & facultatem: qui ſuſpicionem probant, docentque, & voluiſſe, & potuiſſe eum, qui occuſatur argumentis à circunſtantiis rerum, & perſonarum ductis. Si namque demonſtret accuſator in reo voluntatem, & facultatem facinoris peragendi, conuincit criminis. Sunt enim rei faciendæ primæ, & neceſſariæ cauſæ. Nam volens, & potens neceſſariò cenſetur operari. An, A iuuene, & cupido credatur reddita virgo? Etenim ab his argumẽta coniecturæ proueníunt, quæ ſunt ſigna, & ſuſpiciónes.

VOluntas qualitatem perſonæ ſpectat, quæ vitæ genus, & ſtudium, & mores, & cauſam inducentem ad deſignandum facinus complectitur. *Hæc probabile*, quod ferè fieri ſolet, & in opinione poſitum eſt, aut ad hoc quandam habet ſimilitudinem, ſiue verum id ſit, ſiue falſum, *continet, per quòd probatur reo expediſſe peccare, & à ſimili turpitudine hominem nunquam abſuiſſe.* Duo capita voluntas, & facultas, quibus accuſatoris actio continetur, quoniam in coniectura primas obtinent, ſic ſunt examinanda, vt non ea modo, quæ palam, & dilucidè fidem faciunt: ſed, quæ leuem etiam exiſtimationis cauſam præbent, omnia exquirantur diligenter. Defenſor contra accuſatorem, ſe quatuor rebus tuetur, requiſitione teſtium idoneorum, & probationis apertæ, & deriuatione cauſæ in perſonam aliam, aut rem quamcunque & veriſimili defenſione criminis intentati.

5. Voluntas.

4. Loci tractandæ voluntatis. Impulſio quid Ratiocinatio quid.

VOluntatis loci ſunt duo, impulſio, & ratiocinatio: Impulſio, cauſa eſt, quæ homine nec cogitatò, nec decretò, ſubito animi

motu cōcitatū agit, neq; quid ſuſcipiat conſilio, & ratione intueri ſinit. Ratiocinatio cauſa eſt volūtaria, agitatiſque freta cōſiliis, ad faciendum, aut non faciendum aliquid, vel ſpe commodorum, vel metu conſequentium incommodorum inducta.

Impulſio quibus demonſtretur.

Impulſio demonſtratur per affectus temerario impetu ad maleficium excitantes, iram, odium, amorem, dolorem, ægritudinem vinolentiam, inuidiam, iracundiam, metum, gloriam, vltionem, inimicitias, temeritatem, vtilitatem, ſpem cœlandi acribus & multis verbis & ſententijs vim affectus cuiuſque impetūq; amplificare decet, & exēpla adhibere.

Impulſionis loci.

Conſilium.

In impulſione ſpectari, atque explicari oportet, perſonam, nationem, vitam integram, vitam corruptam, ſtudia, genus, naturam, affectionem animi, habitum corporis, fortunam, cupiditatem, educationem, res geſtas. In perſona expenduntur antefacta, dictaque. Ex præteritis enim ſolent præ-

Perſona.

ſentia, & futura æſtimari. Hic expendūtur quæ ante negotium cum negotio,

Natio.

poſt negotium geſta ſunt. Natio admonet, quod ſit peculiare genti ingenium, aut mores proprij. Nec enim eadem eſt natura Hiſpani, & Belgæ, Galli, & An-

gli Græci & Schytæ: Neque cuique ciuitati eædem leges ſunt, & conſuetudines, ingenium, mores; Plurimum intereſt inter Athenienſes, & Thebanos: Gandauenſes in Belgis, & Brugenſes. *In vita integra, & corrupta, antefacta perpendimus, ex quibus accuſator conſiderabit, num ſimile quid fecerit: ſi id non reperiet, quæret an in ſimilem ſuſpicionem venerit, & ad cauſam peccati vitam hominis adiunget.* *Vi* His vita hominis, & præterita voluntas inſpicitur, nam cauſa parum pollet hîc, niſi vita conueniat: vt in Sexto Roſcio ruſticanæ vitæ dedito paricidij ſcelus, neque enim mores feri, neque audacia, neque natura immanis, neque vita flagitiis, & vitiis dedita, neque ad perniciem profligatum ingenium ineſt. Si non reperiat animi vitium par cum cauſa; reperiat diſpar. Si non poſſit auarum demonſtrare: demonſtret corruptorem, vel perfidioſum, ſi poſſit. Denique aliquo, aut quamplurimis vitiis contaminabit perſonam. Deinde, qui illud tam nequiter fecerit, eundem hoc perperam feciſſe, non eſſe mirandum. Si vehementer ca-

ſtus, & integer exiſtimabitur aduerſarius, dicet facta, non famam ſpectari oportere: illum prius occultaſſe ſua flagitia: ſe palam facturum, non ab eo abeſſe maleficium. Ex ſtudiis cupiditatem pecuniæ accuſabit, ſi ſit auarus; voluptatis, ſi luxurioſus; honoris, ſi ambitioſus. Studia ſunt vitæ inſtituta aſſidua, quibus ſe magna cum voluntate quis addixit, ex quibus mores ruſticorum alij, alij vrbanorum, militum, nautarum, negotiatorum. Affectatio hic locũ habet, refert enim qualis quiſq; videri velit, ſine ſit, ſiue non ſit, vt locuples, an diſertus: iuſtus, an potens, pius, an aulicus, feſtiuus, an grauis, popularis, an principum fautor. Genus admonet, vt conſideremus, quibus quis ſit natus maioribus. Decet enim, & ferè fit, vt filij maiorum ſuorum ſint ſimiles, quod hinc interdum ad honeſtè, turpiterque viuendum cauſæ proficiſcantur. Turpè eſt à progenitorum laudatis moribus receſſiſſe: ſicut eos gloria ſuperaſſe, pulchrum. Natura animi multiplicem in hominibus habet vim: alij fortes, vehementes, le-

Studia.

Affectatio.

Genus.

Natura.

nes, caſti, libidinoſi, ſuperbi, modeſti, induſtrij, hebetes. Affectio, quæ animi, aut corporis commutatio temporaria eſt, ſicut natura permanens, varias commotiones ciet timoris, iræ, odij, & lætitiæ cupiditatis & cæterarum perturbationum morbi moleſtiæ, quibus humanæ mentes agitantur, ex quibus argumenta ſuſpicioneſque ducuntur. Habitus animi, & qui conſtitutam & abſolutum virtutis artis, aut cuiuſque rei perfectionem continet, corporis complectitur ſpeciem abſolutiorem, aut deformitatem, robur, aut imbecilitatem, proceritatem, breuitatem, velocitatem, aut commoditatem ſtudio, non natura quæſitam, tarditatem. vt, Oro, atque obſecro vos, qui vtrumque noſtis, vitam inter ſe vtriuſque cõferte: qui nõ noſtis, faciẽ vtriuſq; cõſiderate. Nõne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiã, & clamitare calliditatẽ vidẽtur? nõne ab imis vnguibus vſq; ad verticẽ ſummũ, ſi quã coniecturã affert hominib⁹ tacita hominis figura, ex fraude, & fallacijs cõſtare totus videtur? qui idcirco capite, &

Affectio animi.

Habitus corporis.

ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. In formoſa credibilius adulterii crimen, quã in deformi: & in robuſto ſimilius eſt veri violentum facinus, quam in imbecilli.
Fortuna. Fortuna pertinet ad opes, propinquos, amicos, clientelas, dignitatem, honorem, & his contraria. *Conditio.* Conditio multa complectitur, an clarus ſit, an obſcurus, fœlix, magiſtratus, & iure, an iniuria poteſtatem obtineat, an priuatus, pater, an filius, ciuis, an peregrinus, liber, an ſeru⁹: maritus, an celebs: parens liberorum, & qualiũ, an orbus, ſacer, an profanus, ſi obierit, qua morte ſit affectus. *Nomen.* Nomen ex cauſa datum, non hîc negligetur. Verum ne exactum diſcrimen in his ſtatuiſſe videar, iudico nonnullos facultati propriè conuenire: quoſdam vtrique locorũ. *Educatio.* Vidẽda eſt & educatio. Magis enim refert, à quibus & quibus rationibus inſtituantur homines, quã à quibus progenerentur. Hic dici poteſt, quo modo educatus, apud quos, & quibuſcum vixerit, aut viuat, quos præceptores habuerit: quibus amicis vtatur, qua arte, quo quæſtu viuat, quo modo

rem familiarem adminiſtret. Sexus, & ætas mouent ſuſpiciones: alia enim aliis conueniunt annis, & maribus, & fœminis. Iuuentus luxurioſæ vitæ argumentum eſt: quod augent diuitiæ; infirmat paupertas, diſciplina, religionis metus. Conſilium eſt excogitata ratio faciendi aliquid, aut non faciendi. Sexus, ætas.

AD ratiocinationem referũtur quæſtus, præmium, ſpes commodorum adipiſcendorum, retinendorum, augendorum, quæ maleficio quæſitum ierit, pecuniæ, dominationis, cupiditatis, aut amoris explendi: euitatio incommodorum, infamiæ, doloris, inimicitiarum, ſupplicij, impenſæ. Si doceatur illud alij nemini bono fuiſſe, præterquam reo: aut alium neminem æquè perficere potuiſſe. In ſpe commodorum accuſator cupiditatem rei augebit: *in vitatione* incommodorum, formidinem, gratiam, ſimultatem, affinitatem, ambitum. 5. Ratiocinationis loci.

FAcultatis ſunt ſigna, & circumſtantiæ rerum, & perſonarum, quibus probatur ſuſpicio. Signum, quod ſub aliquem ſenſum cadit, eſt dictum, aut factum antecedens, conſequens, cum ipſa re cohærens, quod nocentes ſequi fere ſolet: ſed teſtimonio indiget: vt minæ, 6. Facultatis loci. Signum.

ſica, gladius, trepidatio, titubatio, pallor, rubor, notæ ſanguinis, mutatus habitus, pactio, fuga, ſermo intempeſtiuus, & ſimilia, quæ reos produnt: At non tam probant coniecturam, quam conſtituunt, & generant, quoniam ex iis ſit prima intẽtio. Quod ſi ad probationem adducantur, & ſi ex facto, & reipſa ſint ſumpta, volunt confirmari voluntate, & facultate: nam ſigna, & argumenta voluntatis in facinus propenſæ ex dictis, & factis accipiuntur, quibus incertæ rei ſignificatio proditur, & idonea facultas rei faciendæ quæſita oſtenditur. Etenim facultas, quæ demonſtratur ex viribus animi, corporis, & fortunæ, habet ſigna, quæ ſic negotium ſpectant, vt res facilè ex iis probetur, tanquam cauſa ex effectis.

7. *Circũſtãtiæ* *Locus.* C*Ircumſtantiæ ſunt, locus, tempus, occaſio, ſpatium, ſpes perficiendi, aut cælãdi, modus, inſtrumenta, vires. Locus* in quo res geſta ex opportunitate conſideratur, an celebris, an deſertus; & ſemper ne deſertus, an tum ſolitudo in loco, cùm factum, maleficium; ſacer, an profanus; publicus, an priuatus; qui loci proximi, an qui paſſus, perſpectus, aut exauditus

eſſe poſſit: maritimus, an mediterraneꝰ: planus, montoſus, lenis, aſper: amplus, anguſtus, editus, imus, apricus, opacus, ſalubris, peſtilens: cultus, incultus: obſcurus, nobilis: in publico ſcelerum minus admitti poteſt: natura loci occaſionem offert crimini. *Tempus* expenditur, ſi quæſita facinoris perpetrandi facultas videatur, ex temporis oportunitate; idonea faciendi, aut non faciendi; qua, & quota diei hora, noctu, interdiu, quo die, qua parte anni, vere, æſtate, autumno, hyeme, menſe Aprili, ſextili, feſto die, nefaſto, ſtato, incerto, nuptiali. Huc accedit occaſio, quæ loci, & temporis commoditatem comprehendit. Non enim ſuo fluxu tantùm, & ſucceſſu: ſed & hominum occupationibus conſideratur. Sic enim accuſator intuetur ſpatium, & dimēſionem temporis, perquā res perfici potuit, vt idoneā occaſionē datā facinori dicat, & opportunā magis offerri nōn potuiſſe. Defenſor inficiabitur, aut meliorē habere potuiſſe dicet. Tripártitum tēpus examinat prçteritū, inſtās, & cōſequēs. Prçteritū, quod cōtinuatū eſt cū actione rei. in quo cōſiderantur locꝰ, tēpus, oratio, teſtes, inſtrumēta,

Tempus. *Occaſio.* *Tempus triplex.*

vbi viſus ſit, qui cùm viſus ſit: num quid apparârit, num quem conuenerit, num quid dixerit, num quem habuerit de conſciis, de adiutoribus, num quid in loco præter conſuetudinem fecerit, aut alieno tempore. *In inſtanti*, quæritur, an viſus ſit, cùm faciebat: num quis ſtrepitus, aut clamor exauditus, num quid aliquo ſenſu perceptum ſit aſpectu, auditu, tactu, odoratu, guſtu. Nam quiuis horum poteſt conflare ſuſpicionem. *In* conſequenti ſpectabitur, num quid re tranſacta relictum ſit, quod indicet, aut factum eſſe maleficium, aut à quo factũ ſit, vt tumor, & liuor decolorato in corpore mortuo, veneno necem conſcitã eſſe ſignificant. Telum relictum, aut veſtimentum, aut veſtigium facti, cruor in veſtibus, ſi in eo loco depræhenſus, aut viſus tranſacto negotio, quo res geſta dicitur. *Conſecuta ſigna ſimul arguuntur maleficij, & innocentiæ indicia; accuſator dicet reum appellatum de crimine erubuiſſe, expalluiſſe, titubaſſe, inconſtanter locutum eſſe, concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid. Sunt hæc* conſcientiæ perturbatæ ſigna. Si reus nullo horum ſignorum ſit notatus: di-

Præſens.

Futurum.

Signa conſecuta.

cetur præmeditatus, quid ſibi eſſet vſu venturum, vt confidentiſſimè conſiſteret, reſponderet, iuraret, ſuperos, inferoſq; teſtaretur, & homines. Hæc enim ſigna eſſe confidentiæ, non innocentię. Defenſor, ſi pertimuerit; magnitudine periculi, non peccati conſcientia commotum ſe dicet. Si non pertimuerit; fretum innocentia negabit eſſe commotum. Vrget interrogatio cur fecerit, & cui bono? nam ſi factum ipſum ſit honeſtum; cauſam iniuſtam ſæpe inuehemus: ſi turpe, etiam turpiorē addemus.

Patet & facultas, ſi demonſtretur, quod potuerit, quod facile, & promptum fuerit his opibus, eo ingenio, illis lateribus. Ex rei circumſtantiis in deſerto loco, in tempore, tāto ſpatio, ea occaſione, eo modo, vnde ſit ſpes cælādi, ſpes quoq; perficiēdi, ſpes impunitatis. Adiuuat nāq; facultatē ſpes perficiēdi, & cælādi. In illa ſpectentur vires, conſilium, ſcientia, pecunia, apparatio; quæ adfuiſſe accuſator demonſtrabit: Defenſor imbecillitatem, inopiā, ſtultitiam, imprudentiam, fiduciam oſtendet, defuiſſe & apparatum. In ſpe cęlandi, quęritur de locis, temporibus, perſonis, cōſciis, arbitris, adiutoribus, liberis, ſeruis, 8. In facultate quæ ſpectāda.

vel vtriſque. Ex his ſciri poteſt an ſperarit crimen cælari potuiſſe.

9. *Cōparatio perſonarum.* *ACcuſator, aut defenſor comparabit perſonas, & conferet inter ſe: vt ad quem pertineat maleficium, aut ſuſpicio per examen conſtet. Docebit, quod aduerſarium criminabitur feciſſe, alij nemini, niſi reo bonum fuiſſe: huic cupiditati ſuſpectæ, & voluntati adiunget facultatem, alium neminem perficere potuiſſe: aut eum ipſum aliis rationibus, aut non potuiſſe, aut non æquè commodè potuiſſe: aut eum fugiſſe alias rationes commodiores. Defenſor refellet aliis bono fuiſſe, alios id quoque, cuius inſimuletur, facere potuiſſe, aut melius potuiſſe.* vt, Reſtat iudices, vt hoc dubitemus, vter potius Sextū Roſciū occiderit: is, ad quē morte eius diuitiæ venerint: an is, ad quē mendicitas, is qui antea tenuis fuerit: an, is, qui poſtea factus ſit egētiſſimus: is, qui ardēs auaritia feratur infeſtus in ſuos: an is, qui ſemper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullum, fructū; autem eum ſolum, quem labore peperiſſet: is, qui omnium ſectorum ſit audaciſſimus: an is, qui propter fori, iudiciorumque inſolentiam, non modo ſubſellia, verumetiam vrbem ipſam reformidat. Poſtremo, id quod ad rem mea ſententia maxime pertinet, vtrum ini-

Pro Sexto Roſcio.

micus potius, an filius?

ACcuſator in perſonam rei prorſus intueatur: & quot, & quæ reo inſint, ex iis, quæ appetiuit; & iniuriæ, qua cæteros afficit, exquirat, atque expromat cauſas, improbitatem, aut plura deprehendat, in quo improbum eſſe, & in eo etiam iniuſtum arguat: veluti prodigum in pecuniis: in voluptatibus luxurioſum, mollem in deſidia, timidum in periculis, ambitioſum in honoribus: iracundum in ira: contentioſum propter victoriæ cupiditatem: acerbum, propter vltionem, ſtultum circa bonum, & iuſtum. Defenſor viciſſim demonſtrare debet quot, & quæ ineſſe in ſe negat.

MAgnitudo iniuriæ penditur ex maiore iniquitate: quæ minima ſunt crimina maxima interdum videntur: vt ſacrilegium minimi vaſculi è templo ſublati. Interdum magna iniuria ex magnitudine damni; vt illa, cui nullum ſupplicium poteſt æquari, aut cui remedium afferri non poteſt, & eſt magna iniuria, quam, qui paſſus eſt, non poteſt vlciſci, & turpitudinem, & dedecus ferre nequit; vt Lucretia ſtupri, quo maiore ſupplicio

dignus putatur reus: quæ fecit, vt ſolus, aut primus fecit: aut ſi pauci admodum crimen admiſerint. Sic Didius Iulianus Helium Pertinacem principem optimum occidit, & paucorum prętorianorum nundinatione venditum cepit imperium. Grauiorem faciunt iniuriam, & qui ſæpius peccant: & quorum cauſa quærantur, atque excogitentur, quæ prohibeát, vt ſupplicia, carcer: qui, quod beluarum magis eſt, & quod ex præmeditatione, & quod, qui audiunt, timent magis, quàm miſerentur: qui multa cõtemnit, & iuſta, iuſiurandum, datã dexteram, hoſpitium, fidem, affinitatem. Magnum eſt, & eo in loco peccare, in quo puniuntur ſontes: aut conſilium capitur de iuſtitia, & ſalute, vt teſtes falſi ad aram, ad tribunal: in quibus turpitudo maior. Summa iniuria lædere bene meritum. nam & non bene facere, & male facere, peccare eſt. Iniurius eſt, & qui iuſtitiam tantum ſecundùm leges ſcriptas ſeruat. Melior enim, qui ſtudio iuſtus eſt. Et, qui præter præcepta legũ facit.

Afferunt

AFferunt aliis iniuriam, qui arbitrantur rem factu poſſibilem, ſiue cælare poſſint: ſiue deprehenſos non daturos pœnas, aut daturos leuiores, quàm facinoris emolumentum, aut voluptatem: qui ſine damno putant iniuriam inferre poſſe, ſi orationis copiam habeant: qui efficaces ſunt, & ad agendum prompti, qui multis certaminibus experti; qui amicis abundant; qui diuites ſunt ipſi, aut tales amicos, miniſtros habent, aut ſocios: qui amici ſunt iis, qui iniuriam patiuntur, aut iudicibus: nam amici nec obſeruant iniuriãtes amicos, & reconciliari malunt, quàm accuſare, aut punire; & iudices gratificantur iis, quos amant, & aut omnino abſoluunt, aut parui condemnant: vt ij, qui ad iniuriam inepti vidẽtur. vt imbellis Vlyſſes Aiacem occidiſſe; inops, & deformis vitium obtuliſſe opulentæ virgini accuſatur. Nam, quæ nemo putat, nemo ſeruat, & quæ tot, & tanta ſunt, vt minimè obſeruentur, omnes enim, quibus vſitatiſſimæ ſunt iniuriæ, cauent, vt quiſq; morbos, qui ſolent inuadere, non eum, quo nondum quis laborauit: quibus 11. *Qui affecerunt iniurias*

inimic⁹ nullus eſt, aut plurimi:alii enim cælaturos ſe putant,quod non obſeruẽtur:quoniam non videantur aggreſſuri in multorum cuſtodia; quos mores vel affectio,vel locus cælat cõmodè:qui, ſi cęlare nõ poſſint,poſſunt præpedire iudicium,aut in longum tempus extrahere,aut iudices corrumpere: qui,ſi pecunia damnabuntur,ſolutione ſuperſedere poſſunt, aut producere; qui ob inopiam nihil habent,quod perdant; quibus emolumenta vel apertè adueniunt, vel magna, vel ex propinquo: damna vero vel occulta,vel parua, vel ſera:quibus eſt maior vtilitas, quam vt par ſupplicium excogitari queat: vt quod tyrannis conſecuta videtur: quibuſcunq; iniuriæ lucra quidem ſunt, & condẽnationes opprobria tantùm: quibus iniuriæ laudi ſunt quodammodo;vt Zenoni, qui in cruciatu prodebat tyranni quæſitoris amicos, vt coniurationis ſocios:qui ſæpe cælarunt, aut condemnati non ſunt;quibus ſæpius aggreſſis non ſucceſſit.qui voluptatem, aut lucrũ ſtatim aſſequũtur, dolorem, aut damnum poſtea; quales ſunt incontinentes. Vt

ille apud Iuuenalem. Si cunctos curant punire nocentes dii, quando ad me venient? qui ſtatim damnum aut dolorem perferunt, voluptatem, & emolumẽtũ tardius: ſunt enim hi ſolertes: qui videri poſſunt, vel fortuna, vel neceſſitate, vel natura, vel conſuetudine feciſſe, aut errore; qui præclari, aut infames ſunt; alii quia non videntur, alii quod magis audere non videntur.

INiuriæ ſunt obnoxii, habẽtes ea, qui- 13. *Qui afficiũtur iniuriis.*
bus ipſi egeant, vel, vt neceſſitatẽ expleant; vel, vt abundent, vel fruãtur: qui lõgè, vel prope abſunt. ab aliis enim aufertur cito; alii tardius vlciſcuntur: qui nec obſeruãt, nec cauẽt, & creduli ſunt, indiligentes, verecũdi, qui à multis ſunt affecti iniuria, neque vlti ſunt: qui vlti ſæpe ſunt: qui aduerſis rumoribus opprimuntur, vel facilè poſſunt opprimi. Nam ii nec volunt, cùm timeant iudices, nec perſuadere queant, quales ſunt, quos multi oderunt, & quibus multi inuident: aduerſus quos cauſam habuerunt, vel ipſi, vel ex parentibus, vel amicis: qui malè aut fecerunt, aut facturi erant, vel ſibi, vel parentibus, vel aliis,

nã improbitas cauſam quærit: qui amici ſint,aut inimici:nam illi facilè, qui nō cauent:hi iucundè puniuntur:qui amicos non habent, qui nec ad dicendum, neque ad faciendum multùm valent. Etenim ij, aut vlciſci negligunt, aut reconciliantur, aut non ad finem proſeſequuntur:quibus inutile eſt,dum iudicia, & compenſationem expectant, tēpus conſumere: quales ſunt aduenæ, & opifices, qui iniurios paruo abſoluunt, & facilè ceſſant: qui aut ipſi aliis ſæpe iniuriam intulerunt, aut talia fecerunt iniuriâ, qualia patiuntur. Nam id non videtur iniuria fore,cùm tale quidpiam perpeſſus ſit, quale ipſe eſt ſolitus facere: qui malè aut fecerunt, aut voluerũt, aut facturi ſunt. nam id laudem habet, & voluptatem,nec ferè iniuria videtur: quorum iniuria vel amicis, vel dominis, vel in ſumma quibuſcum ipſi viuunt, grata videtur: qui veniam daturi videntur: iï, de quibus conqueſti ſunt: ii qui, ſi ab his dimitterentur, ab aliis tamen opprimerentur: vt miles mercatorem ſpoliat non hoſtem iam in hoſtes incidentem: quorum iniu-

ria reſarciri paulo poſt poſſit. Ea facilè committuntur, quæ multi factitant: quæ cælari commodius vbique poſſunt, aut omnino poſſunt; vt ea, quæ cito conſumuntur, vel facilè figura, colore, complexione immutantur: quæ facilè portantur, & paruis reconduntur locis: quorum ſimilia multa poſſidebat iniurius, & quæ perpeſſum pudet dicere: vt coniugis adulterium: contumeliã ſui, vel ſuorum liberorum: ea, quorum cauſa, qui accuſat litium ſtudioſus videtur, qualia ſunt parua, & quorum venia dari ſolet. Hæc accuſator, hæc defenſor, quiſque examinet, coniecturam probaturus, aut inficiaturus.

Sparſim multa, quibus defenſor cauſam tueri ſuam poſſit, demonſtraui: quæ in pauca, & velut vnum in locum contraham. Negabit non ea orationis vehementia accuſator voluntatem, & facultatem, quibus capitibus criminationis ſuæ accuſator actionem inſtituerat. *Atque in voluntate inficianda cauſam nullam ſubfuiſſe docebit, ſi potuerit; ſin minus, eam vehementer extenuabit; dicet deinde iniquum eſſe eòs, ad quos emolumenti aliquid* 14. *Qualis oratio actoris et defenſoris.*

peruenire potuerit, in ſuſpicionem maleficij vocari. Demonſtrabit vitam integram, ſi poterit: ſin minus confugiet ad præſidium imprudentiæ, ſtultitiæ, adoleſcentiæ, vim, perſuaſionem. Si reus ſuam ipſius agat cauſam, cautè dicat: neque nimia laudatione ſui offendat, aut modica prædicatione defenſionem peruertat. Patronus liberius laudat clientem. *Facultatem quoque inficiatus, refellet, aut infirmabit omnia accuſatoris argumenta: & perſonam intuitus, in ea, vt aduerſarium redarguat, tripartitas facultates ſumet ingenij, corporis, fortunæ, quas ſuppetiſſe negabit: quod obiectum ſit inutile, difficile, aut impoßibile ſibi, oſtendet. Rem non negliget, in qua locum, occaſionem, rei naturam inſpiciet: &, ſi prorſus non remoueat ſuſpicionē, declarabit emolumentū ad alios perueniſſe, aut alios æquè facere potuiſſe.*

15. *Loci proprij*

CONfirmatæ ſuſpicioni ſubiunguntur loci, tum proprij, tum communes. Proprij rerum ſingularum, quibus niſi accuſator, aut defenſor vti poteſt nemo. Communes, qui alia in cauſa ab reo; alia ab accuſatore tractantur. *Loci cōmunes.* *Defenſor duos habet proprios locos, abſolutionem, qua voluntatem purgat, & inuerſionem, quæ facultati, & ſignis opponitur.* *Abſolutio.* *Abſolu-*

tio eſt, per quam defenſor, licuiſſe ſibi eam rem facere oſtendit, quam pro ſigno maleficij vſurparat aduerſarius, & longè aliter interpretatur. In regia Philippi Hiſpaniarum regis iuuenis apprimè nobilis, & prudens, & modeſtus extraxit colloquium cum Maria Caſtria virgine, cuius nuptias ambiebat. Illi dum intenti animis in ſermones amatorios, & oculis in amœnitates regiorum hortorũ, qui in aſpectu erant, hærent: recipit ſe, & gregem heroidum, & virginum Anna Auſtria regina. Attonita virgo, quæ diſceſſum nõ ſenſerat, Gynæcii liminibus excluſa, foribus inſtrepere nõ audet: operitur fruſtra egreſſum cuiuſpiam è familia. Interim properè domum receſſerat ſuſpenſus animi iuuenis. Puella inops conſilii æſtuat inter metũ ſanctioris diſciplinæ, & pudoris, & verecundiæ curas. nã Hiſpanica regia pudoris, & ſanctimonię officina eſt. Intendentium ſe tenebrarum vſa beneficio ad Iuuenẽ domum prouolat. Hic, quantum vtrique periculum eſſet, non neſcius, puellã excipit domo, & iubet comiter parentis, ſororumque officiis accurari: nec mora ſe proripit, *Belforet. 7. tom. Hiſt. Tragic.*

vt finibus Hiſpanię maturius, quàm nũtii aſſequantur, excedat. Fruſtra. Interceptus retrahitur. Actor regius ſtupri inſimulat reum, qui, quam amabat, domum induxerit. Reus inficiatus crimẽ, & ſignum improbans, pium, & fas fuiſſe dicit amicam virginem domum accipere: vt ab ſola hibernę noctis iniuriam, & forſan iuuenum procacium intemperantiam propulſaret. *Inuerſio ſignum inuertit, & quod ſumit cõtra nos aduerſarius, id retorquet, & pro nobis facere docet.* Fugiſti; inquit actor regius, & tecum violati pudoris conſcientiam extuliſti. Defenſor: Si pudicitiam virginis contaminaſſem, aut non profugiſſem, aut iter fugæ tantum nox vna non dediſſet. *Sunt & loci proprij accuſatoris quidam alij, cùm dicit malorum miſereri non oportere, & auget peccati atrocitatem: Defenſoris verò, cùm miſericordiam captat, & accuſatorem calumniari criminatur.*

Inuerſio.

10. *Probatio duplex. Artificialis.*

DE locis propriis actoris, atque defenſoris docui, de communibus præcipiã, cũ de duplici probationũ genere ſtrictim, & breuiter docuero. *Probatio eſt bipartita, vna eſt artificialis, quæ tota*

conſtat Rhætoricæ artis præceptis, ad quorum normam, & modos eam accuratè exigit induſtria Oratoris. Hanc artem tradidi locis multò plurimis, quos attribui cuique confirmationum generi, deliberatiuo, demonſtratiuo, & parti coniecturæ. *Inartificialis fides propria eſt iudicialium cauſarum, ad quam faciendam probationes extra dicendi rationem ſumit Orator.* In his maxima pars forenſium contentionum conſumitur, quæ, ſicut carent arte per ſe; ita ſummis eloquentiæ viribus alleuanda pleraque, & refellenda. *Quæ fidem faciunt inartificialem, ſunt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, & teſtes, ex quibus loci communes panduntur actoribus, & defendentibus, à præiudicijs contra præiudicia: à rumoribus, contra rumores: à quæſtionibus, contra quæſtiones: à teſtibus contra teſtes: ab argumentis, & ſignis, contra argumenta, & ſigna: Huc pacta, oracula, auguria referuntur.* Hic de ijs, quæ coniecturæ probandæ ſeruiunt, dicamus.

Inartificialis.

Loci communes quot.

16. *Teſtes.*

Sanctitas teſtium.

IN teſtibus laudamus autoritatem, & vitam honeſtè actam, & fidem, & religionem, & conſtantiam teſtimoniorum. nam ſanctiſſimum putatur

eius ſacramentum, cuius vita, & mores ſanctiſſimi ſunt, & fuerunt. Hinc enim eſt autoritas, bona hominis exiſtimatio ab excellenti virtute, vel publica, vel occulta: vt artibus, & ſcientiis. Optimorum proinde hominum fidem dicimus non eſſe negligendam; bonum virum, ne contra hoſtes quidem, dicturum mendacium: Credendum boni viri religioni, niſi iuramenta omnia, & pacta tollere velimus: magnam eſſe vim ſacramenti. Teſtimonia, circa quæ patronis maximus eſt labor, dicuntur aut per tabulas, aut à præſentibus. Simplicior circa tabulas pugna. Nam minus obſtat pudor inter paucos ſignatores, & pro diffidentia premitur abſentia. Si perſona culpari nequit, ſignatores infamandi ſunt. Doceri poteſt neminem teſtimonium, niſi ſua voluntate, dicere, hunc fateri non eſſe amicum illi, contra quem dicit. Actionibus, & interrogationibus contra præſentes, aut pro præſentibus vtendum. Cõmunis locus eſt, cum pars altera nullam firmiorem probationem eſſe contendit, quam, quæ ſit hominum conſcientia nixa: altera ad

detrahendam illis fidem, ea enumerat, quibus fieri ſolent falſa teſtimonia. Eleuatur, & laudatur generatim fides gentis vniuerſæ, vt, Hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam: non adimo ſermonis leporem, ingeniorũ acumen, dicendi copiam: Denique ſi qua ſua ſumunt alia, non repugno: teſtimoniorum religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit: totius huiuſce, rei quę ſit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorat. Vnde illud eſt, da mihi teſtimonium mutuum? num Gallorum? nũ Hiſpanorũ putatur? Totum iſtud Græcorum eſt; vt etiã, qui Græcè neſciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant. Itaque videte, quo vultu, qua cõfidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicãt. Tota genera teſtimoniorum nonnunquam repræhenduntur: vt de auditionibus. Non enim ipſos eſſe teſtes; ſed iuratorũ voces oportere afferri dicim⁹. Excutiũtur & ſinguli teſtes. Eorũ duo ſunt genera, aut volũtarij ſũt, aut accerſuntur lege, & Iudicis imperio. Qui voluntarium producit teſtem, quid dicturus ſit, ſcire poteſt. Sed pro-

Cicero pro Flacco.

Voluntarii teſtes & accerſiti.

uidere debet, ne inconſtans, ne imprudens, ſit. nam deprehenſi plus nocent, quam firmi, & interriti profuiſſent. Explorandi ſunt ante domi variis percontationibus. Videndum, quas afferant cauſas, vt aduerſarium lædant: an inimici fuerint, an eſſe deſierint, an per hoc reconciliari velint, num corrupti ſint, num pœnitentia propoſitum mutarint. Eorum, qui euocantur, alij ſunt, qui lædere aduerſarium volunt, alii nolunt. Si teſtis eſt lædendi cupidus, cauere debet, ne cupiditas appareat. Huic inſtandum non eſt, ne ad omnia reſpondendo fidem minuat. In eo, qui inuitus eſt verum dicturus, prima fælicitas eſt interrogantis, extorquere, quod is noluerit. Id fit longius interrogatione repetita. Patroni partim expeditius, partim difficilius interrogant: Difficilius, quod rarò ante iudicium poſſint ſcire, quid dicturus ſit teſtis: Expeditius, quod cùm interrogandus ſit, ſciant quid dixerit. In eo, quod incertum eſt, cura, & inquiſitione opus eſt; quis reum premat, quas, & quibus ex cauſis inimicitias habeat, eaque in ora-

tione prædicanda, & amolienda ſunt, ſiue odio, ſiue inuidia, ſiue gratia, ſiue pecunia inductum videri volumus. Si deficiet partem alteram numerus, paucitatem: ſi abundabit, conſpirationem: ſi humiles producet, vilitatem: ſi potentes, gratiam inceſſet, & cauſas proferet, quibus reum lædat accuſator: in paucis, & humilibus, gloriabitur ſimplicitate: quod neminē adſciuerit præter eos, quibus rem apprimè conſtare noſſet. Teſtes alij veteres, alij iuniores, & horum cum alijs commune periculum, alij omnino extra periculum ſunt. Veteres, poëtæ, oratores, philoſophi, & clari homines, qui probantur. Sunt ij teſtes præteritorum. Alij ſunt futurorum, oracula, & eorum autores, & interpretes, prouerbia. Iuniorum, qui celebres ſunt, ſententiæ litigantibus conferunt, vt ſunt Vlpianus, Paulus, Baldus: qui citantur teſtes in viuis, factum ne ſit, an non: &, an hoc ſit, an illud, confirmant, iuſtum, an iniuſtū: vtile, an inutile. Priſci corrumpi non poſſunt, eoque ſunt fide digniſſimi.

Paucitas teſtium & multitudo.

Teſtes veteres et noui.

IN teſtes, ne cauſæ officiant, obijciet, quod ſumi poteſt, ex eorum perſonis, vitæ probroſæ turpitudinē, teſtimoniorum varietatem, & inconſtantiam: aut non potuiſſe dicet, aut non factū eſſe, quod iureiurando confirment: aut ſcire illos non potuiſſe, aut cupidè dicere. Si aliquid, eorū, quæ dicūt, cū ſignis, & argumētis, nō cōueniat, ſi vnus alteri cōtradicit, aut idē ſibi, vt aliud pri⁹ aliud poſterius dicere videatur: aut, ſi rationibus, & argumentis, quod dicat aſſeuerare nititur. Hæc enim cupiditatem teſtis arguunt, vel gratia, vel odio vehementer incenſam voluntatem, eorum ſiniſterius æſtimabit, aut gratia, aut ſimultate, aut affinitate, aut pretio, aut metu, aut ambitu (hæc ad ratiocinationem pertinent, aut impulſionem) aut ira, aut ſubita perturbatione, in teſtimonio dicendo mentitos. Hæc vitæ moribus comprobantur. nam cauſa non multum prodeſt, niſi cum vita hominis conſentire dicatur. Et fides non eſt habenda eius hominis religioni, cuius vita ſceleribus eſt con-

taminata. Voluntas arguitur, ſi in ſua cauſa velit pronũtiare: vel ſi offerat inuidiã velle alteri creare. Si teſtẽtur de iis, quæ audierũt, dicemus multũ intereſſe, an nota tibi loquaris, an coniuratorum voces afferas; vel, ſi ipſos attingit negotium, multum intereſſe inter accuſatorem, & teſtem: Ipſos actores potius eſſe, quam teſtes: vel, ſi inimici ſunt, hoſtes eſſe, non teſtes: hac ratione velle ſe vlciſci: non eſſe credendum hoſti: paupertatem multa cogere: potentes non tam veritatis, quàm Græciæ teſtes videri. Non quia plures, eò veriores, veritatem paucis teſtibus contentam eſſe: Iuſiurandum multis rem leuiſsimam videri, & contemni ſolere. Si alter teſtibus fidit, alter argumentis nititur: ille dicet firmiſſimam probationem eſſe, quæ non leuibus coniecturis, ſed ſcientia, & religione roboratur: hic fieri fidei periculum; in argumentis ingenij ſolam oſtentationem. Adde tantum ſcelus ſine teſtibus, credi nõ oportere, præſertim, ſi probitatem, aut modeſtiam, aut prudentiam poſſit reo tribuere, teſtibus indignum.

opus fore, ſi ratione ſatis cognoſci res poſſet. Alter non eſſe temere credendum hominum quibuſuis ſermonibus, quos gratia, odium, ira, metus, pecunia, ambitus, extorquet: ſed potius argumentis, quæ ex natura ducuntur, in quibus iudex non aliis credat, ſed ſibiipſi. Qui enim fidem aliis adhibeat, eum relinquere alijs ſuum ſacramentum: dicemus propter periuria quorundam hominum, virum de republica probè meritum, & optimum, non eſſe perdendum. Pręſtare virum bonum bonis probationibus fidem facere, quam iureiurando cum ſuſpicione periurij: argumenta exponi, vt geſta ſint; teſtes corrumpi poſſe. Iuſiurandum alterius ſicut reprehendimus: ita noſtrum nõnunquam probamus, & laudamus. Interdum ab aduerſario exigimus, aut offerimus noſtrum, ſi velimus in ſua cauſa iudicem eſſe aduerſarium: Tum quæratur vter maiore dignus fide: vtrũ vero ſimilius, & comparetur numero, religione, ſanctitate vitæ. Si teſtes inter ſe, & cæteris perſonarum adiunctis cõparentur; Defenſor vitam ſui clientis,
quàm

quam poterit ſanctiſſimam, & à crimine alieniſſimam oſtendet. In teſtes, quę putabit ex vſu proferet: in iuriſiurandi oblatione, & poſtulatione, dicet non eſſe parem prouocationem impio ad probum, ſed ſimilem, aut parem eſſe, ſi impius offerat, & probus ſuſcipiat. Graue eſſe repellere iuratos, cùm iudex eadem de re velit ſententiam ferre. Qui offert, pium affirmabit eſſe, vt diis velis committere: ad hæc non eſſe opus aliis iudicibus, cùm ſibi ipſi iudicium permittatur. Ad hæc eſſe iniquum iuſiurandum repudiare, cùm de re velit iurare.

19. *Ratio interrogandi teſtes.*

PArtes interrogandi optimè is obſeruabit, qui teſtem exactè norit. nam timidus terreri, ſtultus decipi, iracundus concitari, ambitioſus inflari, longus protrahi poteſt. Prudens, & conſtans tanquam inimicus, & peruicax dimittendus ſtatim, vel breui interlocutione patroni refutandus, aut vrbano dicto refrigerandus: aut, ſi quid in eius vitam dici poteſt, infamia criminum deſtruendus. Prodeſt aliquandò probos non inceſſere. Extra cauſam multa vtiliter quæruntur, vita teſtium,

turpitudo, humilitas, amicitia accuſatoris, inimicitiæ cum reo, vt dicant aliquid, quod proſit, aut mendaces, & lædēdi cupidi deprehendātur. Sed interrogatio ſit circumſpecta. Nam multa contra patronos poſſunt venuſtè dicere teſtes, & fauorem merentur. Hic peſſimæ artis, teſtem ſubornatum ab reo abducere, vt plus noceat dicendo contra reum: vel, cùm adiuuiſſe teſtimonio videbitur, facere multa immodeſtè, & intemperanter, per quæ & dictis ſuis fidem detrahat, & aliorum teſtimonia ſpoliet authoritate. Sed quid hæc ego? Quidquid hic artium, induſtriæ, acuminis, ſanctimoniæ eſt, Iuſtitiæ, iuriſque moderatoribus, & adminiſtris reſigno.

20. *Quæſtiones.* *EST modus alius teſtimonij, & veritatis exprimendæ ratio per quæſtiones, & cruciatum, quibus quæſitores orationem inuitis extorquent, & confeſſionem incertæ rei.* Docebit accuſator cauſas inſtitutę quęſtionis, & torturæ: demonſtrabit maiores veri inueniendi cauſa, tormentis, & cruciatu voluiſſe quæri, & ſummo dolore homines cogi, vt quidquid

ſciant, dicant. Confimatior erit hæc diſputatio, ſi quæ dicta erunt, iiſdem viis, quibus omnis coniectura tractatur, trahemus ad veriſimilem ſuſpicionē: idemque in teſtimoniis facere oportebit. Dicemus non afferri ſuſpicionem, ſed propriam confeſſionem, ſic locutum eſſe, veniſſe illi in mentem, quod iam alias in eadem quæſtione dixerat: non obſcurum, non incertum, non improbabile, non aduerſum ſibi, non aliis. Comparatio rerum, & perſonarum hic primas obtinet, vt qualis ſit ipſe reus, quis præfuerit tormentis quæſitor? qualis, & quam acerbus torturæ cruciatus? Credendum quæſtioni, quæ neceſſitatem facit vera dicendi, & confitendi. Hic extorquendæ veritatis laudabitur mos.

CONtra quæſtiones defenſor cōfirmabit maiores voluiſſe certis in rebus interponi quæſtiones, cũ quæ verè dicerentur ſciri, quæ falsò in queſtione pronunciarentur, refelli poſſent. Cauſas mendacij efficientes proferet, pretiũ, metum, gratiam, ſimultatē, dolorē, quibus impulſi multi falsũ iureiurando 21. *Contra quæſtiones.*

aſſeuerarunt. Quo in loco quid poſitum ſit, & ſi quid eſſet ſimile, aut aliquo ſimili ſigno percipi poſſet. Deinde dolori credi non oportere, quod alius alio ſit recentior in dolore, quod ingenioſior ad cōminiſcendum, quod denique ſcire, aut ſuſpicari poſſit, quid quæſitor velit audire, quod cùm dixerit, finem doloris intelligat futurum: non credibilia, non dixiſſe conſtantia, non conſtitiſſe in cōfeſſis, quædam dolore mutaſſe principio quæſtionis, & præcedente cruciatu. Hæc ratio comprobabitur, ſi refellentur, quæ in quæſtionibus dicta ſunt probabili argumentatione, quod partibus coniecturæ facere oportebit. Dici poterit nefas fuiſſe per leges virum nobilem, aut ſacratum torqueri: de huiuſmodi hominibus nullam eſſe ſumptam quæſtionem: non magni duci dicta ab eo, quem dolor ab omni iudicio abſtraxit: non decere credi verbis à dolore extortis, adhibendū iudicium. Tam enim mentiri, qui poſſit ferre tormenti cruciatum, quàm, qui non poſſit. Ná, qui perferre poteſt, facit patientia, vt facilè mentiatur; qui non

poteſt, mentiri cogitur. Ligur in coniugem confert crimen ſtupri. Iuuenem adulterij, & ſceleris ſuſpectum producit vnà. Vterque præfecti Conſularis imperio horrendum in carcerem deprimitur: liuidas carnes crimen inficiantibus cruentæ pulſant vngulæ: ſulcatis lateribus dolore quærit veritatem. Iuuenis infelix compendio mortis, longos cruciatus vt vitet, in ſuum mentitur ſanguinem, & accuſat alienum. Solus omnium miſerrimus meritò iuſſus eſt feriri, qui non reliquit innoxiæ, vnde poſſit negare. At mulier ſexu infirmior, virtute fortior, ſuum cùm eculeus corpus extendit, & ſordidas putore carceris manus poſt tergum vincula cohibent: oculis, quos tortor alligare non poteſt, cælum ſuſpicit, & euolutis per ora lachrymis: Tu, inquit, Chriſte Ieſu, cui occultum nihil eſt: qui es ſcrutator renum, & cordis, non ideo me negare velle intelligis, ne peream: ſed ideo mentiri nolle, ne peccem: mortem non deprecor, ſi adulterij infamia liberor, præſto iugulum, intrepida micantem excipio mucronem: innocentiã tamen me-

Ex diui Hieronimi epiſt. de muliere ſepties percuſſa.

cūferā. Cōſularis inſtaurat cruciatū: ſimilem carnifici minatur pœnam. ni cōfiteatur ſexus infirmior, quod robur virilis animi reticere nō poterat. Crines ligantur ad ſtipitem, & toto corpore fortius ad eculeū alligato, vicinus pedibus ignis apponitur: vtrumque latus carnifex fodit: nec papillis dātur induciæ. Immota mulier manet; dolorem corporis ſpiritu ſuperat: & innocētię gaudio perfruitur: ſoluuntur membra compaginibus. Ad poſtremū admirātem cōcionē allocutus, non mirum eſſe oſtendit, ſi mulier torqueri malit, quā perire. Adulterium ſine duobus nō committi: credibilius noxiā ream ſcelus negare, quā innocentem iuuenem confiteri. Pari vtrumque damnatum ſententia trahit carnifex. Effuſa in ſpectaculū ciuitate, miſerrimi iuuenis ad primū ſtatim ictū amputatur caput. Exin producitur mulier, flexis in terrā poplitibus, ſuper trementem ceruicem micans eleuatur gladius, & exertam carnifex dextram totis cōcitat viribus: ad primū corporis tactū ſtat mucro lethalis, & leuiter perſtingēs cutem, ſanguinem raſuræ modicæ aſpergit. Sine bello imbellem manū per-

cuſſor expauet: & victam dexterã gladio marceſcente miratur: in ſecundos impetus connititur. Languidus iterum in fœminam mucro delabitur: & quaſi fœminam ferrum ream metuat attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Furens, & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, totas exerit vires. Fruſtra. Tum exterritus tertio ictu fruſtrato, non credit ferro: mucronem aptat in iugulum, vt qui ſecare non poteſt, premente manu corpore condatur. Sed ad capulum gladius reflectitur: Tum ad fœminam vindicandam populus armatur, fugat carnificem, vix credit, quod videt. In exemplum compara, quæ præcepi vtramque in partem.

AB argumentis, & ſignis, & cæteris locis, quibus augetur ſuſpicio, dicere hoc modo cõuenit. Multa cõcurrere argumẽta & ſigna, quę inter ſe cõſentiãt: rẽ perſpicuã, nõ ſuſpicioſam videri oportere. Itẽ plus ſignis, & argumẽtis credi, quã teſtibus. Hæc eo modo exponi, quo geſta ſunt: teſtes ab vero abduci ſtudio gratię, pretio, metu, inimicitijs. Auarũ pecunia impelli poſſe propter inſitã, & flagrantẽ

cupiditatem: pauperem propter egeſtatem, & gratia apud eũ, qui plus poteſt, moueri: metu erga diuites, & nobiles, & magiſtratu præditos, à quibus bonũ ſperari, aut timeri malum poteſt, ſimultate priuatorum odiorum, & inuidiæ. Sicut enim gratia eſt beneuolentia erga eum, qui plus poteſt, quàm nos: ita metus erga ſuperiores, & potentiores. Illa beneuolentiam, hic potentiam reſpicit; ſimultas priuatum odium inuidia, indignatio, offenſio.

Gratia, & metus, ſimultas.

23. *Contra, argumenta.*

C*Ontra argumenta, & ſigna, & cæteras ſuſpiciones, demonſtrabimus nullam rem eſſe, quæ non ſuſpectari poßit*: ſigna, & argumenta eſſe ſuſpicionis, & falſitatis, non indicia veritatis: Deinde vnamquamque ſuſpicionem extenuabimus, & dabimus operam, vt oſtendamus, nihilo magis in nos eam, quàm in alium quempiam conuenire. Indignum facinus eſſe, ſine teſtibus coniecturam, & ſuſpicionem firmamẽti aliquid habere,

24. *Rumores.*

A *Rumoribus dicem⁹*, ſi negabimus temerè famam naſci ſolere, quin ſubſit aliquid: & ſi dicemus cauſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret,

& comminiſceretur. Et præterea, ſi cæteri falſi eſſe ſoleant, argumentabimur hunc eſſe verum, certum eſſe, apertum eſſe, facilē, eſſe. Famam publicam non eſſe contemnēdam: vix fieri poſſe, quin veritatis aliquid habeat. Rumorem eſſe conſenſum ciuitatis publicum, & teſtimonium commune rei compertæ.

CONtra rumores dicemus multos eſſe falſos, & exemplis vtemur, de quibus falſa fuerit fama: aut inimicos noſtros, aut homines natura maleuolos, & maledicos confinxiſſe. Aliquam aut fictam fabulam in aduerſarios afferemus, eam omnibus in ore eſſe, aut verum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat: neque tamen, ei rumori nos fidem habere, ideo quod quiuis homo poſſit, quemuis turpem de quolibet rumorem proferre, & confictam fabulam diſſipare: malignitatem falſis rumoribus initium dare, credulitatem incrementum. Verùm, ſi rumor vehementer probabilis eſſe videatur, argumentando fidem facilè famæ poterimus abrogare: conſtanter contemnēda, quæ iactata ſunt, etiamſi grauia vi- 25. *Contra rumores.*

deantur: non decere incertis ſermonibus fidem dari, qui ſine auctore diſſipátur. Sæpe ab hoſtibus, & à credulitate, vanitateque populi, & timore ſæpius augeri contra dignitatem, atque exiſtimationẽ optimi cuiuſq;. Claudia virgo
Plin. c. 46. de vir. illuſt. 69. Veſtalis falſo inceſtu ſuſpecta, Berecynthiã Deûm matrem Peſſinunte accerſitam reſponſo Sibyllarum aduerſo Tybri inuectam & repentè, in alto ſtantem orauit, vt ſua manu tanquã caſtiſſima, ſi pudicam ſciret, ſequeretur, facta prece zonam naui illigauit, & deã perfacilè protraxit in vrbem.

26. Tabulæ. NOnnunquam ſignatorum ignorantiam, aliquãdo nequitiam accuſamus. Si incredibile, aut impoſſibile, tam negotium ipſum, quàm, quod ſcriptum ſit. Si non potuerit conſignari, aut non abſente ſignatore, aut eo, in quem ſignatum eſt. An oporteat ſpeciem ſcripturæ agnoſcere. Hac enim ſanciuntur iura omnia, pacta, teſtamenta, publica, priuata, omnia monumenta, & fidẽ obtinent. Infirmam eſſe ſcripturæ ſpeciẽ, niſi teſtium iuratorum fide confirmetur, quàm praui facilè imitantur, quàm

ætas, calamus, atramentum, imitari ſolent. Pro tabulis, magnũ reipublicæ vinculum eſſe in monumentis litterarum, nec tantum id eſſe, quod petimus, vt propterea vir bonus deprauare ſcripturam ſuam velit.

STatus finitiuus eſt, cùm quæritur, quid factum ſit, & quo nomine appellandum. 27. *Status finitiuus.* Hunc ſtatum, quo rei nomen, & naturã quærimus, finitionem, finem, proprietatem, quid ſit, de eodem, & alio, ex multorum mente dicimus. Nã quoties, quid ſit, de quo diſceptatio eſt, quæritur; partim idem, partim diuerſum eſſe, cum re aliqua nota magis demonſtrandum eſt, nunc definitione, nũc proprietatum notatione. Variam finitionem ſumimus; vel, cùm rei & perſonæ nomẽ imponimus propter negotium: vt, Marcus Brutus, & Caius Caſſius, qui Caium Cæſarem patrem patriæ in Curia confoderunt, ſunt parricidæ; Vel cùm alter diſceptatam definitionem facit ab iis, quæ in negotio non reperiuntur, & eſſe negat in re, quod ab aduerſario ponitur in verbo: an Sextus Roſcius ſit peculator? vel alter ab iis, quæ facta sũt,

verbum ſumit, atque explicat, quæ ſufficiunt ad eius nominis rationem, vt illa finis ſit, hæc oppoſita definitio. Et finis ſeparat, ac diſtinguit, cùm differre dicimus ab alio, cui nomen competit, aut ratio, vt multum intereſt, vt quis ſacrilegus dicatur, rem ſacram, an priuatam ſurripuerit? Huius conſtitutionis propria eſt cognitio, & ſcientia.

Finis diſceptationis finitiuæ.

In ſumma hic accuſator auget factum, & grauiori appellat nomine, & peccati genere, vt acerbius definitum lege ſupplicium irrogetur reo. Defenſor extenuat factum leniori vocabulo, vt abſoluatur, aut minus atrociter plectatur. In hoc enim ſtatu de nomine quæritur, vt pœna præceptis, aut legum interdictis ſancita, feratur. Definitionis argumentum partibus orationis omnibus tractatur exordio, narratione facti, ex qua diſceptatum diſſenſus exiſtit, propoſitione, confirmatione definitionis noſtræ, quæ, honeſta, quæ vtilis, & commoda, & vera ſit, confutatione alienæ ſententiæ, quæ falſa, turpis, iniurioſa ſit, concluſione.

Partes orationis finitiuæ.

28. *Iuridicialis ſtatus.*

I*Vridicialis ſtatus eſt, quo cùm factum conſtet, & facti nomen extra controuerſiam*

ſit, & notus auctor, quæritur qualitas facti, iuſtumne ſit, an iniuſtum. vt, Titus Milo Cic. pro Milone. Appium Clodium occidit. Non inficiatus crimen reus, iure occidi, inquit, vim vi repellens. Sic enim qualitate facti expreſſa intentionem aduerſarii vitat, oſtenditque iure permiſſum, vim afferẽti vim afferre. Ratio enim, quæ reprimit, ac refellit aduerſariam obiectionem, ſumitur ex capitibus iuſto, vtili, probabili. Propterea ſtatus hic rationis dicitur, & iuris, & qualitatis, & generis, & caput generale. Quippe in hac concertatione de rationis vi, atque adiunctione dubitatur: & aſſumitur aliquid contra propoſitionem aduerſarii. *Eſt enim duplex* Conſtitutio iuridicialis duplex. *conſtitutionis iuridicialis genus, vnum abſolutæ qualitatis, alterum aſſumptiuæ, ſiue comparatæ.* Abſoluta. *Abſoluta de iuris partibus ſumitur, & dicitur abſolutio, quod reum prorſus liberet, & abſoluat crimine. Huius duæ ſunt partes, natura, & iuris ratiocinatio.* Abſolutæ duæ partes. Natura. Natura facti qualitatem, & vim quatenus rationi conſentaneum eſt, notat. Vt, ſi dicamus pernicioſum non eſſe, vtile eſſe, decorũ eſſe, pium eſſe, ſiue Diuorum, ſiue hominum ducatur ratio, magni nominis Iuris ratiocinatio.

eſſe,& gloriæ. Iuris ratiocinatio eſt legitimum; quod lege, aut more continetur. Vt hac lege præcipi, hac interdici, hac permitti, conſuetudine ciuitatis, patriæ, regni. *Aſſumptiua eſt repræhenſio, & refutatio argumenti, & rationis obiectæ, quæ commutat aut infirmat actionem.*

Aſſumptiua.

29. *Abſoluti ſtatus cõfirmatio ſex partes habet.*

ABſoluti ſtatus confirmatio partes ſex habet, naturam, legem, conſuetudinem, iudicatum, æquitatem, pactum. Quod enim factum oſtendimus conſentaneum naturæ, legi, conſuetudini, iuſtum eſſe dicimus. Iuris naturæ partes, quibus argumentum huius conſtitutionis explicari poteſt, cùm de honeſta vtilitate præciperem, expoſui. vt: Macrinus prætorianarum cohortium præfectus inſidiantem vitæ ſuæ Antoninum Caracallam Cæſarem interfecit iure: nam hoſtem religionum, & hominum, impiumque parricidam; vt ſe, vitamque tueretur, & orbem terræ metu exolueret, Remp. liberaret infamia; doceretque principes ſancta eſſe, quæ in paternæ maieſtatis contemptu, imminutæ libertatis ciuium contumelia, in nefaria Getæ fratris cęde, in incœſto nouercæ connubio

Ex Herodiano.

violaſſet. Paucis verbis facinus Macrini iuſtum aſſeritut, quod naturæ, & partibus iuris naturalis, religioni, pietati, gratiæ, vindicationi, obſeruantiæ, veritati congruat. Item: Si vllum tempus eſt iure hominis necandi, quæ multa ſunt, certè illud eſt, non modò iuſtum, verumetiam neceſſarium, cum vis vi illata defenditur. Hic vindicationis, qua vim aut propulſamus, aut vindicamus, & æquitatis locus eſt; vt ea faciamus aliis, quæ fieri nobis vellemus, & abſtineamus iniuriam iis, à quibus accipere nollemus. Item: Inſidiatori, & latroni, quæ poteſt afferri iniuſta nex? Quid comitatus noſtri? Quid gladii volunt? quos habere certè non liceret, ſi iis vti non liceret vllo pacto. Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias: ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

Pro Milone.

Pro Mil.

Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniuſta pœna luenda ſit, quam iuſta repetenda. Item: An L. Cornelius Balbus ſit ciuis Romanus? L. Gellius, & Cn. Cornelius ex Senatus ſententia legem tulerunt: qua lege videmus ſatis eſſe ſancti, vt ciues Romani ſint ij, quos Cneus Pompeius de conſilij ſententia ſigillatim ciuitate donauerit: donatum eſſe L. Cornelium præſens Pompeius dicit, indicant publicæ tabulę, accuſator fatetur. Item: Illud ſine vlla dubitatione, maximè noſtrum fundauit imperiũ, & P. Romani nomen auxit, quod princeps ille creator huius vrbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hãc ciuitatem oportere. Cuius auctoritate, & exemplo (exempla conſuetudinem, & morem faciunt) nunquam eſt intermiſſa à maioribus noſtris largitio, & communicatio ciuitatis. Itaque ex Latio multi, & Tuſculani, & Lanuuini, & ex cæteris generibus gentes vniuerſæ in ciuitatem ſunt receptæ; vt Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum; quibus ex ci[illegible]atibus nec coacti

Legis exemplum.
Ex orat. pro Cor. Balbo.
Conſuetudinis.

coacti eſſent ciuitatem mutare, qui noluiſſent: nec, ſi qui eſſent ciuitatem noſtram beneficio Pop. Romani conſequuti, violatum fœdus eorũ videretur.

30. Iudicatum.

Iudicatum eſt, id de quò ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. Præiudicia cõfirmantur auctoritate eorum, qui ea pronuntiarunt, & ſimilitudine rerum, de quibus quæritur. non facilè refelluntur, propter contumeliam iudicum. Nam quiſque cognoſcentum optat ratam eſſe ſententiam alterius, ne ſi quid in alios ſtatuat, in ſe exemplum faciat. Ea ſæpe diuerſa ſunt. Nam aliis, & aliis iudicibus alia, & alia probãtur. Et poſſunt res ſimili de cauſa, diſſimiliter iudicatæ proferri; iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum conferemus, & meliora cõprobabimus. Si ille minus prudens, qui errare potuerit: ſi certior ſit prudentia, & integritas præſentis, ſi conciliũ frequẽtius, & auguſtius. Litigantium imperitia, negligentia, infirmitas, gratia obtẽdi poteſt. Dicemus decere rem inſpici potius; non eſſe fas iudicem ſuum ſacramẽtũ alieno dare: nõ eſſe potius præiudiciis, quã legibus obtemperãdũ: multą

eſſe, quæ poſſint iudiciũ peruertere, vel ſine diſcrimine, vel culpa iudicis. Qui ea defendit, & tuetur; amplam, & ornatã iudicis laudem affert. Ex his formulis expẽdi oportet, quod iure factũ, aut iniuria dicimus. Contẽdimus præiudicia, ſententias eſſe, quæ cùm ſtatutæ ſint, afferãnt iudicaturis exemplum, quod ſequantur; aut, quod factum ſit, præiudiciis, & exẽplis factum, & iuſtũ eſſe. Cõfirmantur enim hæc, vel, quod cauſę aliquid acciderit, propter quod ſententia prior non teneatur: vel, contra ſentẽtiá lex alia ſit lata contraria. An L. Cor. Balbus ſit iure ciuis Roman. beneficio Põpeij, & legis Gelliæ, & Corneliæ. Cneus Pompeius pater rebus Italico bello maximis geſtis, P. Ceſiũ equitẽ Rom. virũ bonum, qui viuit Rauẽnæ, fœderato ex populo, nonne ciuitate donauit? quid? Cohortes duas vniuerſas Camertium? quid? Heracleinſium legionẽ P. Craſſus vir ampliſſimus ex ea ciuitate, qua cùm prope ſingulare fœdus Pyrrhi temporibus C. Fabricio Coſ. ictũ putatur? quid? Maſſiliẽſem Ariſtonẽ Sylla? quid? Quoniá de Gaditanis agimus, idẽ heros ſe-

Pro Corn. Balbo.

xaginta Gaditanos? Quid vir ſanctiſſimus, & ſumma religione, atq; modeſtia Q. Metellus Pius, Quintũ Fabiũ Saguntinum. Quid? hic, qui adeſt, à quo hæc, quæ nunc percurro, ſubtiliſſimè ſunt omnia perpolita, M. Craſſus, nõ Aletriẽſem fœderatũ ciuitate donauit, homo tum grauitate & prudentia præſtans, tũ vel nimirum parcus in largiẽda ciuitate Hic Cnei Pompeii beneficium, vel potiꝰ iudicium, & factũ infirmare conaris? qui fecit, quod Caium Marium Saturnino feciſſe audierat: fecit; quod P. Craſſum, quod L. Syllam, quod Q. Metellũ; quod denique domeſticum auctorẽ patrem ſuum feciſſe viderat. His exemplis præiudiciorum, iure donatum ciuitate Romana Cornelium Balbum conficit.

ÆQuitas ius eſt, quod ad veritatem, & vtilitatem communem pertinere videtur: & emendat legem, conſuetudinem, iudicatum, pactum, vtilitatis; & perſonarum dignitatis habita ratione. Etenim cum legibus innixa iuſtitia ſummum ius exigat, & ſummam faciat aliquando iniuriam; æquitas mollit rigorem, & velut arbitri leges, & conſuetudinis ius inter- 31. *Æquum et bonum.*

pretatur clementius. vt: Depoſuit quis apud amicũ frumenti modios bis mille ſingulis æſtimatos aureis coronatis; is per annonæ carioris tempus triplo vendidit pluris. Ille ſummo iure frumẽtum repetit: hic æſtimationis rationes repręſentat: hic fides mercatorum, amicorũ interuenit, vt ſuo vterque iure fruatur æquitatis iudicio. Æquum enim, & bonũ nõ ſunt iuris moderatio; ſed rei qualitas propria, iuſtæ, vtilis, iucundæ, quæ lege non eſt definita. Corn. Balbus ius ciuitatis meritò adeptus eſt. Cũ cæteris præmiis digni ſunt, qui ſuo labore, & periculo, Remp. noſtram defendunt: tũ certè digniſſimi ſunt, qui ciuitate ea donẽtur, pro qua pericula, ac tela ſubierũt. Docemus ęquum, & bonum, iuſtũ eſſe, partim volẽtibus, partim inuitis legiſlatoribus: Inuitis, quod effugerit: volentibus, quod cuncta definire nequeãt: neceſſariò generatim ſcribere, quod non ita, ſed vt plurimum. Cũ æquo, & bono vtemur, nunc contẽdemus non legem, ſed legis auctorem: nunc non verba, ſed ſententiam ſpectari oportere: nunc nõ factum, ſed voluntatem; nec partem,

Pro Corn. Balbo.

ſed totum, nec quis nunc, ſed quis ſemper, aut fere ſemper fuerit: & meminiſſe bonorum magis, quàm malorum, & eorum bonorum magis, quæ receperit, quàm, quæ fecerit: & non iniquo animo iniuriam ferre, & oratione diſceptare magis velle, quàm re: & in arbitrium magis, quàm in forum deſcendere. Nam arbiter æquum, & bonum ſpectat, iudex legem. Et propterea eligitur arbiter æquitatis auctor: vt æquũ, & bonum præualeat legi.

SI lex ſcripta aduerſus nos ſit, communi vtendum lege, & æquo, & bono, tanquam iuſtioribus: &, quod optima ſententia vti, hoc eſt, ne vtaris ſcriptis in omnibus: &, quod æquum, & bonum idem permaneat ſemper, & nunquam immutetur: ſed nec communis lex cùm ſecundùm naturam ſit: Ius verò ſcriptum ſæpius vertatur. L. Torquatus fecit contra paternam legem, cum Genutio congreſſus duello: ſed non præter ſcriptam. Dicimus legem naturæ, non hominis, magnopere curandam. Et quod, iuſtum, verum quid eſt, atque vtile: ſed non id, quod

32. *Lex ſcripta oppoſita æquitati.*

videtur. Quæ ſcripta ſit, legem non eſſe, cùm legis opus non faciat. Et quod iudex, quaſi argenti, & auri cognitor eſt, vt verè iuſtum ab adulterato diſcernat. Et, quod melioris eſt viri non ſcriptis potius, quàm ſcriptis vti, & in eis permanere. Et, ſi quæ alteri probetur legi, aut ſibi ipſi contraria eſt, veluti ſi altera eſſe iubeat firma, quæcunque inter ſe pacti ſunt, cum altera vetet, ne aduerſus leges pangant. Et, ſi res, de quibus lata lex eſt, non ſimiliter ſe habeant, lex autem ita; tunc id ſignificandum, & oſtendendum ſibi ipſi eam repugnare: ſin verò ſcripta rebus conueniat, tunc optima ſententia dicendum non eſſe legem poſitam, vt præter leges iudices: ſed ne ignorando, quod leges volunt, peieres. Et, quod nemo eligat, quod ſimpliciter bonum eſt, ſed quod ſibi: & non ſit diſcrimen nullas eſſe leges, vel non vti. Et, quod etiam in morbis non conducat aduerſus medicum cauillari; quamuis non tantùm medici error officiat; quantum ſi obedire principibus aſſueſcimus. Et, quod proba-

tæ leges, id maximè vetant, ne quis ſe legibus prudentiorem velit profiteri.

PActum ius eſt, quod ſine legibus conuentu hominum plerumque priuatorum ſtipulatione, & ſponſione ſancitur. Pactorum is in oratione vſus eſt, vt augeas, aut extenues; &, vel credibilia, vel incredibilia oſtendas. Nam ſi pro nobis ſunt, credibilia, & vera: ſi pro aduerſariis, ſecus. Qui probabilia, vel contra vult oſtendere, ea dicat, quæ de teſtibus præcepta ſunt. Nam ex adiunctis eorum, qui pactis ſunt adſcripti, aut qui ea ſeruare debent, credibilia fiunt, aut incredibilia. Pactum lex eſt quædam de particulari. Id cùm legitimum ſit, à legibus comprobatur, & qui pactum euertit, leges violat, & commutationes rerum, quæ vltro fiunt, & citro, & vſum hominum inter ſe tollit. Si pro aduerſariis ſunt, primum omnia, quæ in legem contrariam quiſpiã dicet, accommodari poſſunt. Eſt enim abſurdũ, ſi legibus, cũ nõ rectè, ſed iniuſtè, ac dolo malo latoris poſitas cognouerimus, nõ ſtabim⁹: & pactis neceſſariò 33. Pactum.

ſtabimus. Deinde ſi iudex iuſti diſtributor eſt, non conſiderandum, quod iuſtum eſt, ſed quod iuſtius. Et iuſtum quidem, nec deceptione, nec neceſſitate, verti poteſt, quoniam innatum ſit. Pacta verò, & à deceptis, & à coactis fiunt. Ad hæc perſpiciendum, ſi pacta vni, aut pluribus legum ſcriptarum, aut nõ ſcriptarum, ſi iuſtis, ſi honeſtis, ac demum de aliis pacto priori, vel poſteriori contradicunt. Nam aut priora vera ſunt, & poſteriora falſa: aut rectè ſe habent poſteriora, ſed priora fefellerunt. Itaque altero iſtorum ex re noſtra vtemur. Denique altius prouidendum, ſi quomodo iudicibus inutilia ſint. Pacti ſunt Numantini cum Caio Mancino, vt niſi populus, Senatuſque Romanus ſponſione pactum fœdus iuſſu, & auctoritate ſanctum faceret: in eas locorum anguſtias, in quibus ſalutem deſperaſſent, legiones ordinumque duces redderet.

Plutarch. in Gracchu.

34. *Status aſſumptiui.*

STatus aſſumptiuus, cum per ſe infirma eſt defenſio; & factum, ſi per ſe conſideres, iniuſtum: ſed aſſumpto ex locis cõparationis, relationis, remotionis, aut conceſſionis argumento, defenditur, iuuatur, aut extenuatur

crimen. Huius ſtatus ſunt quatuor capita, Cõceſsio, Relatio ſiue translatio, Remotio, Comparatio. Conceſsio, cum fatemur nos deliquiſſe, neque defenſionem adhibemus, ſed petimus nobis ignoſci, pœnamque deprecamur, vel ob ſpem vitæ melioris, vel propter merita anteactæ, vel amicorum gratiam teſtamur, vel noſtram miſeriam. Marcus Horatius filij Horatij, quem Duumuiri perduellionis damnauerant, ſupplicium deprecatur, & orat: Ne ſe, quem paulò antè cum egregia ſtirpe conſpexiſſent, orbum liberis facerent.

Partes ſtatus aſſumptiui.

Conceſsio.

Liuius lib. 1. dec.

Conceſsionis duæ ſũt partes, Purgatio, & Deprecatio. Purgatio cũ reus cõſultò, aut dolo ſe feciſſe negat, factũque cõcedens, culpã remouet. Lirana virgo cędis agitur: fatetur procacẽ generis Hiſpanici militẽ ſua confoſſum manu: ſed animum culpa vacuum eſſe purgat. Quippe cui pudoris iniuriam accipere, fuit neceſſe: aut violento ſtupratori necem inferre. *Purgatio diuiditur in neceſsitatem, fortunam, imprudentiam, quibus aliqua honeſta facti excuſatio continetur. Neceſsitas, cui nulla vi obſiſti poteſt.* Veturius, & Poſthumius, pudendum fædus cum Pontio Heren-

35.

Partes conceſsionis.

Purgatio.

Purgationis partes.

Neceſsitas.

Liuius lib. 9. dec. 1.

nio fecerunt in Caudio, accuſantur violatæ maieſtatis, crimen fatentur, ſed culpam excuſant neceſſitate ſeruãdi exercitus. *In hac conſiderari oportet, num per culpam in eam neceſsitatem vẽtum ſit: num quo modo vis illa vitari potuerit: cum, ſi maximè neceſsitas fuerit, conueniatne eam ſatis idoneã cauſam putari.*

Fortuna. *Fortuna, ſeu caſus, eſt eum demonſtratur aliqua fortunæ vis voluntati obſtitiſſe.* Accuſatus Ligarius, quod in Africa fuerit temporibus belli ciuilis, fortunam excuſat. *Pro Ligu.* Quippe legatum ſe cum Conſidio profectum: ciuium, & ſociorum rogatu præfuiſſe prouinciæ, vel inuitum: bellum inter ciues ſubitò exarſiſſe: id eos, qui in Africa erant, prius audiſſe geri, quam parari: ſe, qui ſpectabat domum, atque ad ſuos redire cupiebat, in prouincia reſediſſe ortu belli oppreſſum. Eadem conſideranda, quæ neceſſitatẽ excuſabãt.

Imprudẽtia *Imprudẽtia, cũ ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negatur.* An Lamechus ſit cæde Caini homicida. *Geneſis c.* Imprudẽtiã excuſat, qui ferã ratus, hominẽ ſagitta cõfecerit. *In hac quæritur, utrũ potuerit ſcire, an non potuerit? Deinde, an data ſit opera, ut ſciretur, an nõ: utrũ caſu neſcierit, an*

culpa. nam, qui amore, ira, vincitur, aut vino, ſuo vitio videtur neſciſſe, non imprudentia. Quæritur an ſatis præſidij habeat imprudẽtia, cũ factũ eſſe conſtet. Hæ tres purgationis partes ſũt inter ſe finitimæ: vt in omnes eadẽ fere poſſint accõmodari. Accuſator eũ, qui peccaſſe cõfiteatur, oratione iudices demorari dicet. Defẽſor de humanitate, miſericordia, volũtatẽ in omnibus rebus ſpectari conuenire, &, quæ cõſultò facta nõ ſint, ea fraudi eſſe non oportere, dicet. *Deprecatio eſt, cũ fatemur nos peccaſſe, neq; id imprudẽter, neq; fortuitò, aut neceſſariò, tamẽ ignoſci nobis poſtulamus.* Vitellij, & Iunij iuuenes reſtituẽdorum regũ cõperti, cõſultò, & deliberatò fatẽtur prodẽdæ patriæ cõſilia ſuſcepiſſe: ſed euocãt pietatem Iunij Bruti patriæ liberatoris, & miſericordiã populi. *Ignoſcendi ratio ex his petitur locis: ſi plura, aut maiora officia, quàm maleficia conſtare videbuntur: ſi qua virtus aut nobilitas erit in ſupplice: ſi qua ſpes erit vſui futurum, ſi expers ſupplicij dimittatur: ſi ipſe ille ſupplex, mãſuetus, & miſericors in poteſtatibus fuiſſe oſtẽdetur: ſi ea, quæ peccauit, nõ odio, neq; crudelitate; ſed officio, & recto ſtudio cõmotus fecerit;*

Deprecatio.

Liuius lib. 2. dec. 1.

Ignoſcendi rationes.

ſi tali de cauſa, aliis quoque venia data ſit: ſi nihil ab eo periculi nobis futurum videbitur, ſi eum miſſum fecerimus: ſi nulla, aut à noſtris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate vituperatio ab ea clementia ſuſcipietur. Hic dici poteſt, vt locis cõmunibus de humanitate, miſericordia, fortuna, rerum commutatione. Qui contra dicet, contrarijs vtetur, & amplificabit, & enumerabit peccata, propter quæ ignoſci non oporteat: & pericula, quæ conſequi poſſunt, ſi dimittatur.

36. Relatio. Inſtit. lib. 3.

RElatio, ſiue translatio, cùm reus confitetur crimen vt iure admiſſum, cuius accuſatur, ſed culpam confert in alicuius peccatum, & anteriorem iniuriam. Mitradates ſororem, & cõiugem venenum inſidioſè propinantem, & infamia ſtuprorum flagrantem, occidit: Iuris defenſionem, & cauſam facinoris ſui affert, noxiæ reginæ flagitium, & ſcelus. Hic quæritur, an verè crimen in alium transferatur. Deinde ſpectandum, an æquè magnum ſit illud delictum, quod in alium transfertur, atque illud, quod reus ſuſcepiſſe dicatur. Ad hæc, an oportuerit peccare propterea, quod alius antepeccarit. Pre-

tcrea potueritne iudiciũ antè fieri. Denique cùm factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium tráſferatur, oporteatne ea de re iudicium fieri, quæ res in iudicium non venerit. Accuſator reum increpabit, qui vim plus, quàm iudicia valere dicat oportere: & ab aduerſariis percontabitur, quid futurum ſit, ſi idem faciant cæteri: addet quoque ſe eadem potuiſſe facere. Defenſor atrocitatem peccati in quos facti ſui cauſam transfert, exaggerabit: rem, locum, tẽpus, ante oculos ponet: vt ij, qui audiẽt, exiſtiment, aut non potuiſſe, aut inutile fuiſſe, rem in iudiciũ venire. Deniq; ita crimen in aduerſarium reijcit, & retorquet: vti, qui dignus fuerit ea pati, & cauſam dederit ſuo peccato. Vt percuſſi, ſed conuitiantem. Trucidaui, ſed cõtumelioſum, deſertorem religionis.

37. *Remotio.*

R*Emotio, cùm à nobis non crimen, ſed culpam amouemus, & peccati cauſam, vel in rem quãpiam, vt legem, aut hominem, cuius iuſſu, vi, & poteſtate, fatemur eſſe factum, conferimus.* Marcus Tullius læſæ maieſtatis accerſitur, quod coniuratos ſtrangularit: ſed Senatus iudicium, &

auctoritatem opponit, & ſi qua eſt, culpam deriuat. Si cauſa in hominem conferetur, quærendum erit, potueritne tãtum, quantum reus demonſtrauit, is, in quem cauſa trãſmouebitur: & quo pacto, an ſine periculo potuerit obſiſti. Si ita ſit, num ea re concedi reo cõueniat, quod alieno inductu fecerit. Deinde trahetur in cõiecturalẽ cõtrouerſiam, & quæretur, num cõſultò factũ ſit. Si cauſa in rem cõferetur, hæc eadem ferè, & quæ de neceſſitate præcepta ſunt, cõſiderabuntur. Remotio hoc à relatione diſtat, quòd illa totũ crimẽ penitus tollat: Relatio minuit dumtaxat culpã rei aliorũ peccatis laceſſiti. Ad hæc in relatione culpã in eũ, qui à nobis violatus eſt, referimus: in remotione in aliã perſonam, aut rem extra litem. vt, Accuſatur dux, quod delectum militũ non habuerit neceſſario Reip. tẽpore: purgat ſe, quod pecuniã à Quæſtoribus, & præfectis ærariis nullam impetrarit. Eodem modo remouemus, aut trãſponimus in rem, cùm in cauſam cogentem, in neceſſitatem, in fortunam, ignorantiam, legem. Vt lex. Noctu portæ, dum infe-

ſtus hoſtis circumſedet, ne panduntor. Cleon cum expedita manu aduenit: introduci flagitat: negat Nicias per legis interdictũ licere. Hoſtes Cleonem opprimunt, & ſubſidiariũ militem. In crimen vocatur Nicias: in legem facti culpam remouet.

Comparatio eſt, cũ dicimus neceſſe fuiſſe alterutrum facere, & quod à nobis factũ ſit, ſatius fuiſſe fieri tanquam rectũ aut vtile. 38. *Cõparatio* In criminis excuſationem cómodũ aliquid obiicimus, & quod modo ſecutũ ſit, maius ipſo crimine. vt, Perduellibus, & hæreticorum concionibus conciliabulum, vt in ſuburbano cõderent agro, dedi, ne vrbanas ædes diuis ſacras pollui ſinerẽ: quod & peregi. Vtile eſt quod petis, ſed turpe. Salutare eſt patriã liberare, ſed vtilius ſine tumultu. Quatuor ſpecies aſſumptiuæ conſtitutionis, poſſũt eſſe ſinguli ſtatus principales, & ſuis capitibus tractari, quæ conueniunt hac ratione inter ſe, quod in omnibus rem quodámodo, atq; argumentũ fatemur, ſed ex aduerſo aliquid opponimus.

Conſtitutio legalis, quæ cõtrouerſiã habet ex ſcripti ambiguitate. Huius ſtatus 39. *Conſtitutio legalis.*

quinque ſunt formæ, Ambiguum, Scriptum, & ſententia, Scripta contraria, Ratiocinatio, Translatio: quæ ad ſtatum qualitatis referuntur. nam iuris, & iniuriæ partibus, qui ſunt loci qualitatis, continentur. Legales, & legitimæ dicuntur non quod de legibus tantum diſceptent, aut plebiſcitis: ſed, quod adducant in controuerſiã ſemper alicuius dicti ſenſum, ſicut fieri ſolet in lege. Sunt enim hoc nomen in foro ſortitæ, propter ſummã legum inter omnia pronuntiata vim, & auctoritatem.

Partes.

40. Ambiguũ.

EX ambiguo naſcitur diſceptatio, cùm ſcriptum duas, aut plures ſententias accipit, quæ vel ex verbi, vel orationis ambiguitate colligitur. Hoc fit aut vnius verbi obſcuro, & dubio ſenſu, aut vitio compoſitionis. Compoſitio vitiatur, vel cum verbum ita collocatur, vt quò referendum ſit, non ſatis ſtatuas. vt, Ponat hæres ſtatuam auream haſtam tenentem. Vel verbum diuiditur in partes ſignificantes: & diuiſæ poſſunt coniungi, vt Leon, Pantaleon: vel additum, vel ſubtractum aliquid idemtidem efficit. vt, Hæres meus vaſorũ argenteorũ põdo

centum

centum nouercæ, quæ volet, dato: Petit mater vaſa magnifica, & ſcitè cælata: eadem filius. Addendum enim tollendæ ambiguitatis ergò, quæ volet illa, aut ille. Exordium hic, recitatio ſcripti in modum narrationis ſequitur: deinde interpretabimur, & docebimus, quod noſtræ eſt ſententiæ, perſpicuum eſſe, & minimè abſurdum, ac fieri poſſe honeſtè, rectè, lege, more, natura, bono, & æquo. Sententiam aduerſarij ex contrariis refellemus.

Partes orationis de ambigue.

41. *Scriptum & ſententia.*

Scriptum, & ſententia controuerſiam faciunt, cùm ſcriptoris voluntas, a ſcripto diſsidere videtur: & pars altera litigantium ſcripto nititur, altera voluntate. Voluntas ſcriptoris eſt æquitas, & ratio, & cauſa, propter quam, is legem condidit: quod ex circunſtantiis quæri ſolet, quo tempore, quo loco, propter quem. Hic poſſumus leges ſimiles conferre, ex quibus hanc mentem fuiſſe conſtet. Fecit teſtamentũ, qui poſteritati princeps virtutis, & auctor nobilitatis fuit: annulum, & illuſtrem gemmam, argumentum regiæ dignationis erga ſe, legauit primo genito. Quinta hinc ſoboles fœmina hæres

X

regij muneris, & primo partu fœminam enititur: altero puerum. Certamen inceſſit legationis minus diſertæ. Puella naſcendi priuilegiũ præfert: puer ſexus dignitatẽ opponit. Vtraq; pars interdũ de voluntate contendit. Sæpè cõſtat de ſentẽtia, ſed verba non liquent ſatis: poteſt & vtrũq; eſſe. Sed proprium huius loci eſt, vt verba legis clara ſint. de voluntate ſcriptoris ſenſim diſceptatur, & æquitatis ratio cũ ſummo iure cõfligit. Exordio, ſcripti recitatio ſubiungitur, quæ narrationis, & propoſitionis ſpeciẽ habet. In cõfirmatione argumẽta ſumũtur à ſcriptoris laudatione, deinde ſcripti lectione, tum collatione, quid iudicem ſequi cõueniat, vtrũ id, quod diligenter per ſcriptum ſit, an quod acutè excogitatũ. Quærendum cur eam ſententiam, quę falsò ab aduerſariis ſcripto attribuatur, homo diligentiſsimus exprimendam verbis non putarit. Poſtremò exẽpla proferentur, & res iudicatæ: oſtendendum, quam ſit periculoſum à ſcripto recedere, præſertim cùm dilucidè, breuiter, commodè, perfectè ſcriptum ſit. Sententiam probaturus ſcri-

Partes orationis de ſcripto & ſententia.

ptum recitabit: deinde cōmodam breuitatem ſcriptoris laudabit: qui tantum ſcripſerit, quantū neceſſe fuit: ſcribendū nō putarit: Dicet calūniatoris eſſe verba & litteras id quod intelligi ſine ſcripto potuerit, ſequi, neglecta volūtate: tum id, quod ſcriptum eſt, non poſſe fieri, lege, natura, more, aut æquo, & bono, quæ tamen omnia ſcriptorem voluiſſe, quam rectiſſimè fieri, neminem dubitare: contrariam ſententiam iniquam eſſe dicet, & ſtultam, & cum ſuperioribus, & inferioribus comparatam non conſtare, aut cum iure, legibus, & natura pugnare. Ad vltimum conquiret exempla, quibus ſententia magis, & voluntas ſcriptoris, quàm verba, valuerunt. Æquitas ex cauſis, & effectis, & circunſtantiis colligitur. Si quod verbum ſit in lege, quod ſuæ ſignificationis vi aliam mentem legiſlatoris fuiſſe declarare poſſit, quam dicit aduerſarius: aut ſi ea ponerentur in lege verba, quæ nequirent obſeruari in ſua vi, & proprietate ſermonis accepta; commodior ſenſus verborum ſequendus eſt. vt, Filij pa-

rentes alant, aut exhæredentur. Infans filius, id nequit. Definitione hic contenditur: alter eam legiſlatoris mentem fuiſſe aſſerit, quæ verbis exprimitur, nō aliam, quod ſimpliciter locutus ſit. Si aliud ſenſiſſet, aliquid verbis additum voluiſſet. Contra dicet aduerſarius, perinde referre hoc, aut illo modo ſcribatur, cùm de rei æquitate palam conſtet. Contra hoc accuſator ſi poteſt, id etiam conſequetur, verba ipſa æquitate niti, vti ſcripta ſunt, aſſeret, nec aliter potuiſſe rē accuratius dici. Hic vtrique litigantium occaſio legiſlatoris laudandi dabitur. Factum hic cum eo conferimus, quod ſcriptum eſt, quod prohibitum, vel permiſſum lege: vt, Pericles exul patriam ſeruauit. Dicimus non eſſe legem tollere, ſed conſtituere: non prævaricari, ſed ſeruare; non ſemper verbis inhærendum, cùm ſint complures leges iniquæ, ſi ex vi verborum interpreteris. Aduerſarius dicet ſecus, ſanctas leges eſſe, eas ſemper certam habuiſſe interpretationem: non eſſe, mutandas, niſi viam aperiamus interpre-

tamentis infinitis, & fallaciis: non omnium, quæ à maioribus ſint occultata aliqua ratione, aut pro tempore iuſſa ſint, cauſam quæri oportere. Aler leges benignius eſſe interpretandas in ambiguis, & calumniatores dicet malignos iuris interpretes, qui verba verborūque apices venentur omiſſa æquitate: nihil aliud eſſe fraudē legi facere, quam, quæ ad hominum vtilitatem inuenta ſunt, ad eorum interitum, & perniciem conuertere. Nam, niſi ex vſu, & æquitate reip. ſcriptum æſtimes, legiſlatorem facere iniuſtum, aut ſtultum, quem conſtet iniqua ſcripſiſſe, aut incommoda, & inutilia. Æquitatis eſſe maiorem rationem, quam verborum: quandoquidem, qui ſcriptum legis, quæ ad ſalutem hominum inuenta eſt, ad ſeueritatem detorqueant, perinde facere, ac qui bonis, & ſalubribus medicamentis ad perniciem ęgrotantium abutuntur. Ex quo ſummum ius, ſumma iniuria, & crux.

42. *Contraria ſcripta.* *Contrariorum ſcriptorum, aut legum ſtatus eſt, cùm duæ ſententiæ, aut leges, teſtamenta, pacta, ſtipulationes, voces, pugnare inter ſe videntur, aut caſu aliquo colliduntur.* Hic & accuſator, & defenſor vterque legem habet, qua cauſam tuetur ſuam. Cõtrarietas eſt, aut cùm duę leges ſunt; aut vnius legis duæ ſunt partes: aut vna, & eadem lex ſecum confligit. Si quid à legiſlatore imprudenter cautum ſit. vt, vir fortis, quod volet poſtulato. Tyrannicida, quod volet poſcito. Et fit, vt ambo petant eandem puellam. Id poſſet eadem lege, vt, ſi duo viri fortes connubiũ eiuſdem puellæ petant. Duarum partium. Rapta raptoris mortem eligito, aut nuptias. Et rapta eſt puella à duobus, quorum illa vnius mortem, alterius nuptias optat. Committemus leges contrarias, ſi dicamus iure ciuili, aut ſacro, noua lege veterem antiquatam: vel, aliquid de ea derogari: ſicut & lege ſpeciali, de generali. Scriptum ius interdum conſuetudini poſtponi. Poſteriora deſinent pugnare, ſi dicamus humanas leges diuinis cedere. Idem modus, qui in ſcripto, & ſen-

tentia: ſed grauiora hic omnia, vt duo verba, duas ſententias, duos fines habeant. nam quemadmodum in ſcripto contra verbum pro ſententia dicitur: vel contra ſententiam pro verbo: ſic & hic contra verbum vnius legis, pro ſententia alterius: & contra ſententiam pro verbo alterius. Committi leges inter ſe oportet, vtra antiquior, vſitatior, vtrius ſapientior, ſit auctor, vel ſimpliciter, vel ea in re, quam iubet, aut vetat. Hippocrates decem menſes vtero definit. Legiſlator non minus ſapiens hæreditatem decernit poſthumo vndecimi menſis. Deinde vtra ad remp. aut ad priuatas vtilitates pertineat. Sic lex reipublicę præfertur legi, quæ ex hominis priuati teſtamento pendet. Vtra de rebus maioribus caueat: vt, magis expedit ſeruari nauigantes, quam vnius hominis voluntati reſpondere. Vtra de præmio, & de pœna. Prorſus inſpiciendum vtra prohibeat, permittat, aut iubeat. Eſt enim maior auctoritas eius legis, quæ præcipit facere, quàm quæ permittit. nam quidquid imperatur eſt neceſſariũ:

quod permittitur, voluntarium. Maior, quæ prohibet, quàm quæ iubet. nam, quę vetat, quaſi exceptione quadam corrigere videtur eam, quæ iubet, & quod iubetur, cum bonum ſit, male fieri tamen poteſt: quod prohibetur, ideo prohibetur, quia malũ eſt. vt, Tyrannicidæ ſtatua ponatur in Gymnaſio: mulieri ne ponatur ſtatua in Gymnaſio. Vtra honeſtior, & magis neceſſaria patriæ: vtra generalior: nam, quæ definita magis, & particularis, & in parte loquens; eam decet magis obſeruari, quod ad cauſam, & iudicium magis accedere videatur. Furta nocturna de ſuo vigiles luant: Furta nocturna ciues prę-ſtent. Comparantur, vt vtri minus derogetur ſeruata altera. Vtrum humanius, & vtilius: vel vtrum oporteat magis humanitatem præſtare, quam vindictam. Comparantur & perſonæ ex coniectura eorũ, quæ futura ſunt. Perfecto exordio, recitantur ſcripta contraria narrationis, & propoſitionis loco. Confirmatio, ſiqua ſit abrogatio, & derogatio, docebit, tũ legis noſtræ proferet expoſitionẽ, & perſpecta tẽporis, cauſarum,

Partes orationis cõtrariorum ſcriptorum.

perſonarum,rerum ratione, ſi fieri poſ-ſit, conciliabit: ſi non poſſit, altera prorſus reiicienda, vt inhoneſta, vt inutilis, vt iniqua.

RAtiocinationis ſtatus eſt, cùm res, quæ propria lege comprehenſa non eſt, ex alijs legibus propter ſimilitudinem iudicatur. 43. *Ratiocinationis ſtatus*
Comparatur enim res non ſcripta cum ſcripto: & colligitur ex ſcripto, quod ſcriptum nullo modo eſt: &, id quod incertum eſt, ex eo, quod certum eſt; vt, Qui patrem necarit, inſutus in culeum cum ſimia in flumen deiiciatur: igitur, & qui matrem necarit: nihil enim intereſt patrem, an matrem violet, aut occidat. Latini ratiocinationem hunc ſtatum dicunt, & par.: & Iuriſconſulti Inductionem legis. Ea namque, quæ coniunctione rationis, & ſocietate coniunguntur, etiamſi in negotio, quod verbis legis ſcriptum eſt, non habentur: omnia tamen ratiocinatione ad illud induci poſſunt: & tanquam ſcripta eſſent, eadem lege cenſentur. Comparatio capitum ſumitur, vel à ſimili, vel à contrario, vel comparato, & fit, vt aliud ſit æquale, aliud maius, aliud minus. Exulē

proſcriptum occidere licet. Verberauit quis exulem proſcriptum, & dicit licuiſſe: quod minus ſit verberare, quàm occidere. Hîc videndum eſt, num ea res ſimilis ſit ei, de qua quæritur, an diſſimilis: & quæ ſint eius diſſimilitudinis cauſę: nũ ex alio aliud neceſſariò colligatur

44. *Translatio.* *TRanslationis, ſiue commutationis ſtatus eſt, cùm reus litem defugiendo, aut tempus, aut accuſatorem, aut iudices mutandos dicit: negatque ſe accuſari oportere apud eos iudices, hoc tempore, hac lege, hoc crimine, hoc modo, hoc loco, hoc accuſatore, hac pœna.* Prudentes iuris exceptionem dicunt, quoniam reus nõ reſpõdet ad id, quod obiicitur, ſed opponit exceptionem, & accuſationẽ aliò reiicit, & transfert. Eſt enim actionis quęſtio ſiue de inducẽdo iudicio. Hęc aut refellit totam actiõnẽ, aut intentionem aduerſarii: aut reſponſionem, atque rationem. Vtrumuis horum faciat, ſemper conditionem, qua ipſa aduerſarii cauſa infirmatur, pręfert. Partim namque, quod dicitur, fatetur. partim negat; & propter aliquam cauſam, & quaſi ſeparat à communi ratione, & quæſtionẽ aliò tranſponit. Eques

aurei velleris accuſatus maieſtatis, iudicium Ferdinandi Toletani excipit, & defugit: legitimosque ordinis iudices collegas, & Cæſarem dicit. Ne plura tradam, auctoribus Iuriſconſultis hunc ſtatum reſigno: conſulentibus quippe reis definiunt quando reſpondendum ad rem ſit, vel ex arte fugiendum iudicii periculum.

Iudicis adſcribuntur expoſtulatio, purgatio, exprobratio, comminatio. Expoſtulatio cum neglecti officij, aut rei perperam actæ quempiam, aut amicum, aut, qui inimicus eſſe non debet, incuſamus. Hæc ne amicitiam violet, atque exaſperet, eius quem, ſanare volumus, animum mitiganda eſt laude, ioco, diſſimulatione; niſi is ſit, apud quem, nihil non nobis liceat. Rem damnabimus, ſed quantum in nobis erit voluntatem excuſabimus: quippe nos mirari dicemus cauſam officii intermiſſi, & culpæ admiſſæ. Sic Veturia in Marcium Coriolanum filium agit. Sine, priuſquam complexum accipio, ſciam ad hoſtem, an ad filium venerim? captiua, materne tuis in caſtris ſim? In hoc me

45. *Species generis iudicialis.* *Expoſtulatio.*

longa vita, & infelix ſenecta traxit, vt exulem te, deinde hoſtem viderem? Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? non tibi, quamuis infeſto animo, & minaci huc perueneris, ingredienti fines ira decidit? non cú in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit, intra mœnia dómus, ac penates mei ſunt: mater, coniux, liberique? Ergo, ego niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur: niſi filium haberem, in libera patria mortua eſſem. Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius, quàm mihi miſerius, poſſem: nec, vt ſim miſerrima, diu futura ſum. De his videris, quos, ſi pergis, aut matura mors, aut longa ſeruitus manet. *Purgatio diluit expoſtulationis argumẽta.* Nonnunquam oſtendimus non modo non offenſos acri expoſtulatione, ſed vehementer delectatos: ſuſpicionẽ cócitatam grauiter damnamus, & eam, quibus poſſumus modis eleuamus, aut extinguimus: nonnunquam animoſius factum, & conſilium defendemus. Ita Valerius Publicola vocatus in ſuſpicionem appetiti principatus. Nunquãne ergo, inquit, vlla adeo vobis ſpecta-

Purgatio.

ta virtus erit, vt ſuſpicione violari nequeat? Ego me illum acerrimum regũ hoſtem, ipſum cupiditatis imperii crimẽ ſubiturum putarem? Ego, ſi in ipſa arce, Capitolioque habitarem, metui me crederem poſſe à ciuibus meis? Tam leui momento apud vos fama mea pendet? Adeone eſt leuiter fundata fides, vt vbi ſim, quàm qui ſim, potius referat? Non obſtabunt P. Valerii ædes libertati veſtræ, Quirites: tuta erit vobis Velia. Deferam non in planum modo ædes: ſed colli etiam ſubiiciam, vt vos ſupra ſuſpectum me ciuem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius, quàm P. Valerio creditur libertas. *Exprobratio, qua inimicis, & ingratis atrociter noxam obiectamus.* Hæc exaggerationibus exaſperari debet. Et quoniam ab humanitate recedere videtur: dicimus nos facere inuitos, & coactos ob inſignem ingratitudinem, ſtoliditatem, maledicta, contumelias, iniurias: teſtamur & conſcientiam inimici: beneficentiam, & fidem noſtrã, & ſtudium in illum prædicamus. Hoc orationis genere Himilco fautor Annibalis adoritur Hannonem aduerſariæ

Liu. l. 2. d. 1

Exprobratio.

factionis principem. Quid eſt Hanno, inquit, etiam nunc pœnitet belli ſuſcepti aduerſus Romanos? Iube dedi Annibalem: veta in tam proſperis rebus gratias diis immortalibus agi: audiamus Senatorem Romanum in Carthaginienſium curia. Et M. Horatius in concione populi Rom. pro filio. Hunccine, quem modo decoratum, ouantem victori a incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera, & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorũ oculi, tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I, lictor, colliga manus, quæ paulò ante armatæ, imperiũ pop. Rom. pepererunt. I, caput obnube liberatoris huius vrbis: arbori infelici, ſuſpende: verbera, vel intra pomærium, modò inter illa pila, & ſpolia hoſtium: vel extra pomærium, modò inter ſepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere iuuenem hunc poteſtis, vbi non ſua decora, eum à tanta fœditate ſupplicii vindicent?

Liu. lib. 1. Dec. 1.

Inuectiua. *His affinis eſt Inuectiua*, quæ partim generis demonſtratiui rationem adhibet in vituperiis; partim criminatur ad formulas iudiciarias. Sic Pontius Heren-

nius in Romanos, qui Caudini fœderis auctores dediderant Conſules, bellumque indixerant. Nunquamne cauſa deſiet, cur victi, pacto non ſtetis? Obſides Porſenæ dediſtis: furto eos ſubduxiſtis. Auro ciuitatem à Gallis redemiſtis: inter accipiendum aurum cæſi ſunt. Pacem nobiſcum pepigiſtis: vt legiones vobis captas reſtitueremus: eam pacem irritam facitis, & ſemper aliquam fraudi ſpeciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominioſa pace ſeruatas legiones? Pacem ſibi habeat, legiones captas victori reſtituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fæcialibus ceremoniis dignum erit, vt tu quidem, quod petiſti per pactionem habeas, tot ciues incolumes: ego pacẽ, quam hoſti tibi remittẽdo pactus ſum, nõ habeam? Hoc, tu Aule Corneli, hoc vos fæciales, iuris gentibus dicitis? Ego verò iſtos, quos dedi ſimulatis, nec accipio, nec dedi arbitror. Nec moror, quo modo in ciuitatem obligatam ſponſione commiſſa iratis omnibus diis, quorũ eluditur numen, redeat. Gerite bellum, quando Spurius Poſthumius modo

Liuius lib. 2 Dec.

legatum fæcialem genu percuſit: ita dii credent Samnitem ciuem Poſthumiũ, non ciuem Rom. eſſe: & à Samnite legatum Romanum violatum: eo vobis iuſtum in nos factum eſſe bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? & vix pueris dignas ambages, ſenes, ac conſulares fallendę fidei exquirere? *Comminatio eſt, qua male merẽtibus, & iniuriis vim, pœnamque denuntiamus.* Icilius Appio Claudio Decemuiro minatur, cùm Virginiam ſponſam aſſerere conatur. Huic, inquit, ſi vis afferetur; ego præſentium Quiritium pro ſponſa; Virginius militum pro vnica filia, omnes hominumque, deorumque implorabimus fidem: neque, tu iſtud vnquam decretum ſine cæde noſtra feres. Et P. Scipio deſerere parãtibus Italiam iuuenibus. In hæc verba L. Cæcili iures expoſtulo, cæterique, qui adeſtis: qui non iurauerit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſciat.

Cõminatio. *Liu. lib. 2. dec. 1.* *Liu. lib. 2. Dec. 3.*

46. *Argumentationes oratoriæ.*

CONfirmationum tum modos, tum locos aperui: reſtat, vt ea, quibus formulis pertractet orator, oſtendam. Et quoniam agit ſæpe apud indoctum vul-

vulgus imperitæ multitudinis, quæ per multa ratiocinari nequit, aliud quàm Philoſophi argumentationis genus, velut proprium, vſurpat. Exercitatis enim, & promptè, & acutè cuncta peruidentibus ſeruit Syllogiſmus: Oratori autẽ Enthymema, Exemplum, Inductio. *Syllogiſmus oratorius conſtat propoſitione, cum qua eius ratio iungitur: deinde Aſſumptione, & eius Probatione. Complexione, ſiue concluſione. Propoſitio eſt id, quod ad probandum aſſumitur, ex quo omnis vis ratiocinationis emanat. Ratio eſt, per quam breuiter probatur id, quod propoſitio cõplectitur. Aſſumptio, per quam id, quod breuiter, & præcipuè diſceptandum eſt, aſſumitur. Probatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, velut caput cõtrouerſiæ, probatur exactè explicatis omnibus rationibus, quæ ſumuntur ex locis cuiuſque ſtatus, pro natura cuiuſque argumenti. Complexio, per quam, id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur, atque concluditur.* vt, Cui voluntas, facultaſque adeſt, perfectæ rei argui iure, meritoq; poteſt. Propoſitio. Sunt enim rei faciũdæ tum primæ, tum neceſſariæ cauſæ. Ratio eſt. Tito Roſcio Magno, neque

Syllogiſmus oratorius.

Exemplum iudicij.

voluntas, neque facultas cædis Sexti Roſcii peragendæ defuit. Aſſumptio eſt. Nam inimiciſſimus propinqui ſui, eodem tempore ſicariorum globo ſeptus erat Romæ. Hæc eſt probatio, in qua pertractari poſſunt omnes loci cóiecturæ. Subiungitur ad vltimum concluſio. In eiuſmodi vita iudices, in his tot, tantiſque flagitiis, hoc quoque maleficium, de quo iudicium eſt, reperietis. Item: Qui præclaris cum animi ornamentis, & corporis, tum fortunæ beatis muneribus excellenti gloria, & laude circumfluit, celebratur. Propoſitio eſt exornatiua: Nam hæc ſunt, quæ celebres reddunt, & donant immortalitate quadam homines. Ratio eſt Propoſitionis: An non in Cn. Pompeio ſummo viro, & claro imperatore natura benignior, virtus excellens, & fortuna ſuas dotes concluſiſſe videntur? Aſſumptio eſt. Nam quidquid eximium in vllo hominum mortales ſuſpicere poſſunt: id in Pompeio gentes omnes ſunt admiratæ. Aſſumptionis probatio eſt. Hanc igitur rerum maximarum gloriam celebrati, multique nominis,

Exemplum demõſtratiuum.

immortalitatemque conſecutum principem virum ornabit memoria ſæculorum omniū. Sic capitibus deliberationis propoſitionem Syllogiſmi conficit probaturus Philippum regem Catholicum Venetis opem ferre oportere. Rē, quæ fœlicitatis, & honeſtatis includit plurimum, ſuſcipiūt neceſſario, qui de rep. & Chriſtiani orbis ſalute conſultāt. Propoſitio eſt. Neq; enim ſapiētia clari principes, qui Chriſtiani nominis maieſtatē tuētur, pacis ornamēta, & ſubſidia belli, quæque ſunt ex communibus publicæ ſecuritatis, & dignitatis rationib⁹ negligunt. Ratio eſt. At ſi vllum vnquā bellū poſt ſalutares Chriſti Seruatoris natales in terris, ſuſceptum, geſtūq; eſt, quod opes principū Chriſtianorū deſideraret: id certè eſt, quod pridē in Europa Turcæ gerunt, contra Chriſti nomen, & aras, & Catholicarū gētiū ſalutē. Aſſūptio eſt. In quo pręter infamina tæ, auitæq; religionis periculū, fortunę, dignitas, ſalus agitur omnium Chriſtianorū. Probatio eſt. Idcirco Hiſpaniarū regem, qui, quod à maioribus accepit, & cū dignitate defēdit Catholici nomē, Deliberationu exemplū

ſuppetias ferre fœderatorum Venetorũ reip. oportere, quis non videt? Cæterum hæc quintipartita ratiocinatio poteſt eſſe tripartita; ſi propoſitionem, & eius rationẽ coniungamus: item aſſumptionem, & probationem. Nonnunquá propoſitio, quæ facilis, & manifeſta eſt, ſine ratione ſumitur.

47. Enthymema

ENthymema eſt imperfectus ſyllogiſmus. Eſt enim hæc argumentatio bipartita, quæ propoſitione conſtat, aut aſſumptione tantùm, vt obſcuritatem vitet; & concluſione. Eſt hic ſyllogiſmus ciuilis, & argumentandi proprius modus, etſi nõ perpetuus, oratorum, qui negotium habent cum iis ſæpe, qui per plura ratiocinari non poſſunt, aut propter ingenii tarditatem, aut imperitiam. vt, Põpeiũ in omni genere bellorum exercuit fortuna reip. Eſt igitur ſcientiſſimus bellorum Pompeius. Enthymemata ſumuntur ex loco contrariorum. Pax inhoneſta cum M. Antonio eſt: ergo bellum cũ Antonio honeſtum. Eius mortis ſedetis vltores, cuius vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis? Ex loco ſimilium caſuum, quia ſimiliter ſe habent. Non

Loci Enthymematum.

omne iuſtum bonum eſt. Nam ſæpe, quod iuſtum eſt, non eſt appetendum, vt iuſtè mori. Ex loco relatorum. Si vobis locare vectigalia non eſt iniquum: neque nobis conducere. Ex locis maiorum, & minorum: vt, Maiores veſtri ius legationis verbo violatum perſecuti ſunt: vos legatum populi Romani omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? Ex loco parium; Theſeus iniuriam impunè non tulit; neć Alexander. Si duces praui non ſunt, quia ſæpe vincuntur: nec Sophiſtę, qui refutantur. Ex locis definitionis, diſtributionis, partitionis, inductionis. Qui de alienis equis paruam habuerunt curam, iis ſuos non tradunt: &, qui naues alienas euerterit, huic nemo ſuam credit: quod idem cũ in cæteris vſu veniat, iis, qui aliorum ſalutem neglexerũt, ad ſalutis cuſtodiam vtendum non eſt. Ex iudicato, aut eodem, aut ſimili, præſertim ſi omnes, & ſemper, aut ſaltem plurimi, aut ſapientes: & ij, vel omnes, vel clariores, aut etiam in ſua ipſorum cauſa iudices, vel, qui ipſis grati ſunt, vel ij, aduerſus quos iudicare non poſſunt, vt domini: vel

Pro lege Manil.

aduerſus quos iudicare ſit turpe, vt dii, vt pater. Helena fuit pulcherrima: ſic namque Theſeus iudicauit. Ex loco partium, & communiter accidentiũ, & conſequentium. Quis exquiſitæ eſt eruditionis, qui non obnoxius inuidiæ? A loco duorum oppoſitorum ſuadentis, & diſſuadentis. Vetat ſacerdos filium habere concionem ad populum: ſi namque nefaria ſuadeat, diis exoſum: ſi iuſta, hominibus ingratum fore. Imo habenda eſt oratio. Nam ſi iniuſta, homines, ſi iuſta dicam, dii me amabunt. Ex loco eorum, quæ ſunt præter opinionem proportionis. Ex eo, quod non idem, ab iiſdem ſemper eligitur, ſed oppoſitum prius, aut poſterius. Si exulantes contendebamus, vt reduceremur: reducti ſponte exulabimus, ne pugnemus. Item, ſi cuius gratia, id factum non ſit, huius gratia eſſe, aut factum fuiſſe dicamus. Sumuntur denique aliis ex locis; quorum formulas Dialecticis reſeruo, ne ſi ambitioſius oratoris, & diſputatoris munus parem coniungere, vtroque excidam. An non ſatis adoleſcentum quiſque, non pror-

ſus rudis, & indiligens vim, & modum Enthymematis comprehendet, ſi duas, ſi tres, ſi viginti, ſi centum rationes variis ex locis cuiuſque ſtatus ducat, & vnam confirmet, conficiatque concluſionem. Neque enim Dialecticorum ritu ſingulas argumentationes ſuis expreſſiſque perficit partibus; at multis rationibus vnam, aut ſemel omnino, aut non crebro reddit concluſioné. Diceret enim Logicus inculcata concluſione, Titus Roſcius Magnus poſſidet ampliſſimam pecuniam: igitur occidit Sextũ Roſciũ. Tenuis erat antea Roſcius Magnus: igitur occidit Sextũ Roſcium. Auarus eſt Roſcius Magnus: igitur occidit Sextum Roſcium: Audax eſt Roſcius Magnus: igitur occidit Sextum Roſcium: erat inimiciſſimus Roſcius Magnus Sexto Roſcio: igitur eum occidit. Secus orator rationes, quæ ſunt Enthymematũ antecedentia, denſat, & aceruat, & rarò, quod vult conficere, repetit: vt, In hac cauſa, cùm viderent Caſſiani iudices illum ampliſſimã pecuniam poſſidere: hũc in ſumma mẽdicitate eſſe, illud quidem nó quærerét,

Ratio argumentationis oratoriæ.

cui bono fuiſſet: ſed & perſpicuum crimen, & ſuſpicionem potius ad prædam adiũgerent, quàm ad egeſtatem. Quid? ſi accedit eodem, vt tenuis antea fueris? quid ſi, vt auarus? quid ſi, vt audax? quid ſi, vt illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit?

48. *Inductio.* I*Nductio eſt, quæ rebus non dubiis aſſenſiones auditorum captat*: quibus facit, vt illis dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſerint, probetur. *vel, Inductio eſt, quæ pluribus enumeratis, cõcludit aliquid vniuerſum.* Exẽpli cauſa, vt conficiat Cicero hanc complexionem vniuerſam. Excellens omnium volũtas eſt ad ſummum imperiũ populi Rom. retinendum, & ad cõmunes fortunas conſeruandas; ſic argumẽtatur. Omnes adſunt omniũ ordinũ homines, omniũ deniq; ætatũ: plenum eſt forũ, pleni ſunt omnes aditus huius loci ac templi. Qua frequentia? quo ſtudio? qua virtute ad cõmunem dignitatẽ, ſaluteque cõſentiunt cuncti præter eos, qui cũ ſibi viderent eſſe pereundũ, cũ omnibus potius, quàm ſoli perire maluerũt?

Quid ego hic equites Rom. commemorem? qui vobis ita ſumma ordinis, conſiliique concedunt.vt vobiſcum de amore reip. certent. Pari ſtudio defendendæ reip. conueniſſe video Tribunos ærarios fortiſſimos viros; Scribas item vniuerſos, quos cum caſu hic dies ad ærarium frequentes aduocaſſet, video ab expectatione ſortis, ad communem ſalutem eſſe conuerſos. Omnis ingenuorum adeſt multitudo, etiam tenuiſsimorum. Operæ pretium eſt libertinorum hominum ſtudia cognoſcere, qui ſua virtute fortunam ciuitatis conſecuti, hanc verò ſuam patriam iudicāt. Sed quid ego huiuſce ordinis homines commemorem? quos priuatæ fortunæ, quos communis reſp. quos denique libertas ea, quæ dulciſſima eſt, ad ſalutem patriæ defendendam excitauit. Seruus eſt nemo, qui modo tolerabili ſit conditione ſeruitutis, qui non audaciam ciuium perditorum perhorreſcat, qui non obſtare cupiat, qui non tantum, quantum audet, & quantum poteſt, conferat ad communem ſalutis defenſionem. Item breuis, & ironica illa de

communi omnium lætitia ad nuntium cædis Clodianæ. P. Clodij mortē æquo animo nemo ferre poteſt. Luget Senatus: mæret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt: ſqualent municipia, afflictantur coloniæ: agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam māſuetum ciuem deſiderant. Hic admonendum cenſeo in ratiocinationibus oratorijs, non ſemper concluſionem ſubſequi dialectico ritu: ſed ferè præponi ſolere.

49. *Exemplum.* *EXemplum eſt inductio imperfecta, quæ rem ſingularem probat re ſingulari, aut pari, aut diſpari, aut ſimili, aut diſsimili.* Sic probat Cicero hominem aliquem impunè, & iure occidi poſſe contra mentem Clodianorū, qui negabant fas eſſe eum lucem intueri, qui fateretur à ſe

Pro Milone. hominem occiſum. Marcus Horatius populi Romani comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. Interroganti ſeditosè Caio Carboni, quid de cæde Tiberij Gracchi ſentiret, reſpondit Publius Africanus iure cæſum videri.

VIolatio inuertit argumentum in contrariam ſententiam. Quippe rationem contra nos allatam in auctorem retorquet, vti nobis vtilem, & illi aduerſam : Qualis eſt argumentatio M. Tullij, qua Q. Catuli orationem confutat. Etenim Catulus non neſcius, quam fragilis eſſet, & breuis vnius hominis vita, nolebat in vnũ Pompeium Remp. recumbere, ne ſi quid de eo humanitus factum eſſet, reip. ſalus concideret. At Cicero ab eo vehementiſſimè diſſentit, quod, quo minus ſit certa hominum, & minus diuturna vita, hoc magis Reſp. dum per deos immortales liceat, frui debeat ſũmi hominis vita, & virtute. 50. Violatio. Pro lege Manil.

SOrites genus eſt argumentationis, quæ multas gradatim, & aceruatim conuoluit, atque complectitur argumentationes. vt, Quidquid eſt, quod bonum eſt, id expetendum: quod autem expetendum, id certè approbandum : quod verò approbandum, id gratum, acceptumque habendum : ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt. Bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, vt, quod eſt honeſtũ, id ſit ſolum bonum, 51. Sorites.

52. Cōfutatio. *CONfutatio eſt, per quam aduerſariorum confirmatio diſſoluitur.* Ea vtitur iiſdem locis, ſed fere contrariis, cum confirmatione in vnoquoque ſtatu. Etenim ſi deliberator Caninius argumentum ſuum pacis cum Antonio id eſſe dicat, vt cùm honeſtum, tum vtile, tum etiam poſſe eſſe videatur: Mar-
Philipp. 7. cus Tullius contrariam exorſus dicere ſententiam, pacem cum Antonio turpem, periculoſam, & impoſſibilem demonſtrat. Refellimus aduerſariam argumentationem, vel propoſitione, vel aſſumptione, vel vtraque negata: aut ijs admiſſis, complexionem legitimè confici inficiabimur: aut vitium argumentationis prodemus: aut bonæ æquè bonam, aut meliorem opponemus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

RHETORICORVM LIBER TERTIVS.

Capvt I.

PRopoſitis,quę opportuna dictu,ſcituque videbantur in exordiis, expoſitionibus,partitionibus,contentionibus : ſupereſt extrema pars orationis concluſio ſuis partibus, & modis conficienda. *Eſt autem ea artificioſus exitus orationis. Eius partes ponimus tres, Enumerationem, & Amplificationem, & Affectus. Enumeratio eſt, per quam colligimus confirmationis, aut confutationis, aut vtriuſque potiſſima, & generaliſſima argumenta: & commonemus breuiter, quibus de rebus verba fecerimus, vt renouetur, non redintegretur oratio.* Hæc non tantum adhibetur in extrema totius ora- *Concluſio.* *Partes concluſionis.* *Enumeratio.* *Enumerationis vſus.*

tionis parte : verum etiam in partium (quæ orationes breuiores ſunt, & nonnunquã perfectæ) exitibus. Totius orationis exemplum : Quod hoc portentum, dij immortales? quod tantum mõſtrum in vllis locis? quod tam infeſtum ſcelus, & immane, aut vnde natum eſſe dicamus? Iam enim videtis profectò, iudices, non ſine neceſſariis me, ac maximis cauſis principio orationis meę de matre dixiſſe. nihil eſt enim mali, nihil ſceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, & optauerit, cogitauerit, effecerit. Mitto illam primam libidinis iniuriam : mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam : quæ nondum ad huiuſce vitæ periculum, ſed ad commune familiæ dedecus pertinebat : nihil de alteris Oppianici nuptiis queror : quarum illa, cum obſides filios ab eo mortuos accepiſſet, tum denique in familiæ luctum atque in priuignorum funus nupſit : prætereo, quod Aurium melinum, cuius illa quondam ſocrus, paulò antè vxor fuiſſet, cum Oppianici opera eſſe proſcriptum, oc-

Pro Cluētio

ciſumque cognoſceret, eam ſibi domum, ſedemqne coniugij delegit, in qua quotidie ſuperioris viri mortis indicia, & ſpolia fortunarũ videret. Illud primum queror, de illo ſcelere, quod nunc denique patefactum eſt, Fabriciani veneni, quod iam tum recens, ſuſpicioſum cæteris, huic incredibile, nunc verò apertum iam omnibus, ac manifeſtum videtur, non eſt profecto de illo veneno cælata mater, nihil eſt ab Oppianico ſine conſilio mulieris cogitatum. Quod niſi eſſet, certè poſtea, deprehenſa re, non illa, vt ab improbo viro diſceſſiſſet, ſed à crudeliſsimo hoſte fugiſſet, domumque illam in perpetuum ſcelere omni affluentẽ reliquiſſet, nõ modò id non fecit, ſed ab illo tẽpore nullũ locũ prætermiſit, in quo nõ inſtrueret inſidias aliquas, ac dies omnes, ac noctes tota mẽte, mater de pernicie filij cogitaret. Quæ primum, vt iſtũ confirmaret Oppianicum accuſatorem filio ſuo donis muliebribus, collocatione filiæ, ſpe hæreditatis obſtrinxit. Neque in eo ſolũ diligens fuit, vt accuſatorẽ filio ſuo cõpararet, ſed etiã cogitauit,

quibus eum rebus armaret. Hinc enim illæ ſolicitationes ſeruorum & minis, & promiſſis: hinc illæ infinitæ, crudeliſſimæque de morte Oppianici quæſtiones, quibus finem aliquando non mulieris modus, ſed amicorum auctoritas fecit: ab eodem ſcelere illæ triennio poſt habitæ Larini quæſtiones: eiuſdem amentiæ, falſæ cõſcriptiones quæſtionum: ex eodem furore, & illa conſcelerata exectio linguæ: totius denique huius ab illa eſt, & inuenta, & ornata comparatio criminis. Atque his rebus cùm inſtructum accuſatorem filio ſuo Romam ipſa miſiſſet, pauliſper conquirendorum teſtium cauſa Larini eſt commorata. Poſtea autem, quum appropinquare huius iudicium nuntiatum eſt, confeſtim huc aduolauit, ne aut accuſatoribus diligentia, aut pecunia teſtibus deeſſet, aut, ne fortè mater hoc ſibi optatiſsimum ſpectaculum huius ſordium, atque luctus, & tanti ſqualoris amitteret. Partium confirmationis, in quibus affectus minus mouentur, & breuius cuncta repetuntur, ſæpè cum tranſitione ad partes conſequẽtes, hoc

hoc exemplum eſto. Videte, num dubitandum vobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum republica defenduntur. Item: Multa prætereo conſultò, quæ vos coniectura perſpicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentiſsimi, renouent agitatæ gentes, ſuſcipiant integræ gentes, nouus Imperator veſter accipiat vetere expulſo exercitu. Item: Confutationis Milonianæ. Quamobrem iudices, vt aliquádò ad crimen, cauſamq; veniamus: ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata: neque de cauſa quicquam noſtra aliter, ac vellemus, à Senatu iudicatum eſt: & lator ipſe legis, cùm eſſet controuerſia nulla facti, iuris tamen diſceptationem eſſe voluit: & electi iudices, & ipſi præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſtè, ſapienterque diſcepter: reliquum eſt, iudices, vt nihil aliud quærere debeatis, niſi vter vtri fecerit inſidias. Enumeratio eſt peridonea dicendis ſententijs in concilio: vt, De ea re ita

Pro lege Manil.

Enumerationis vſus.

cenſeo. Vt Caius Panſa, Aulus Hirtius
Philipp. 3. Conſules deſignati, dent operam, vt Senatus Calendis Ianuarij tutò haberi poſſit: quodque edictum Decimi Bruti Imperatoris Conſulis deſignati optimè de republica meriti propoſitum ſit, Senatum exiſtimare Decimum Brutum Imperatorem, Conſulem deſignatum optimè de republica promereri, cùm Senatus auctoritatem, populique Romani libertatem, imperiumque defendat: quodque Galliam prouinciam optimorum, & fortiſſimorum virorum, amiciſsimorumque populo Romano ciuium, exercitúque in Senatus, populique Romani poteſtate retineat. id eum, exercitumque eius, municipia, colonias prouinciæ Galliæ rectè, atque ordine, exque republica feciſſe, & facere. Senatum ad ſummam reip. pertinere arbitrari à Decimo Bruto, & à L. Planco Imperatoribus, Conſulibus deſignatis, itemque à cæteris, qui prouincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex Senatuſconſulto cuique ſucceſſum ſit: eoſque dare operam, vt eæ prouinciç, Galliæque exercitus, in Senatus,

populique Romani poteſtate, præſidioque reipublicæ ſint: cumque opera, virtute, conſilio C. Cæſaris, ſummoque conſenſu militum veteranorũ, qui eius auctoritatem ſecuri reipublicę præſidio ſunt, & fuerunt, & à grauiſsimis periculis populus Romanus defenſus ſit, & hoc tempore defendatur: cũque legio Martia Albæ conſtiterit, in municipio fideliſsimo, & fortiſsimo, ſeque ad Senatus auctoritatem, populique Romani libertatem contulerit: quod pari cõſilio, eademque virtute legio quarta vſa, L. Ægnatuleio duce, ciue egregio, Senatus auctoritatẽ, populiq; Romani libertatẽ defendat, ac defenderit: Senatui magnę curæ eſſe, ac fore, vt pro tãtis eorum in Rempublicam meritis, honores eis habeantur, gratiæque referãtur: Senatui placere, vti Caius Panſa, & Aulus Hirtius Cõſules deſignati, cũ magiſtratum inierint, ſi eis videbitur, primo quoq; tempore de his rebus, ad hũc ordinẽ referãt, vti e rep. fideq; ſua cenſuerint. In enumeratione habenda eſt ratio ordinis argumentorum per confirmationẽ, vt quo ſunt ordine tractata,

eodem enumerentur: vt auditor, ſi memoriæ mandarit, ad id, quod ipſe non meminerit, reducatur, vt, Quare cum bellum ita neceſſarium ſit, vt negligi non poſsit: ita magnum, vt accuratiſsimè ſit adminiſtrandum: &, cum ei imperatorem præficere poſsitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſsima auctoritas, egregia fortitudo: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod à dijs immortalibus oblatum, & datum eſt, in rempublicam conſeruandam, atque amplificandam conferatis. Eſt enumerationis vſus in omnibus cauſarum generibus, ſed in laudationibus minimũ neceſſarius. Quoniam libera eſt laudatio, & fere ſemper aduerſario caret. Vtilis tamen eſt, cum quædam conglobata pondus ſunt habitura maius apud auditorem: vel, cum eſt vtile capita cauſæ, quaſi vno aſpectu intueri. In deliberatione & tum adhibeatur enumeratio, cum cauſa eſt multiplex, & rationibus, & argumentis abundat. In iudicijs fere neceſſaria eſt. Duo ſunt enumerationis tempora, prius cum orator

Pro l. Man.

Enumerationis vſus.

Duo enumerationis tempora.

diffidit memoriæ eorum, apud quos agit: alterum, cum ſparſa per orationem argumenta, ſeorſum infirmiora ſunt, quæ conglobata, & frequentata, in concluſione magis mouent.

INde, ne enumerationis vis vaneſcat, & repetita contemnantur, aut negligantur, adhibenda eſt amplificatio rei quæ animum auditoris permoueat. *Eſt verò amplificatio, quæ per locum indignationis, aut cuiuſuis affectus auditorum ſumitur: vel, eſt quædam grauior affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem, cùm rei magnitudinẽ, & atrocitatem demõſtrat.* Conficitur amplificatio verbis, & rebus. Verba vſurpanda ſunt, quæ vim habent illuſtrandi, nec ab vſu abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, non vulgata, tranſlata, iterata, duplicata, & quæ aſcendunt gradatim ab humilibus ad grauiora. Res ſumuntur ferè ex locis communibus cuiuſque generis, atque ex Dialecticis, vt ſunt definitiones, differentiæ, conſequẽtia, frequentatio, contrariarũ, & diſſimilium rerum, & repugnantium cõflictatio, & ea, quæ ſunt ex cauſis orta. Amplificationẽ ma-

2. Amplificatio enumerationi ſuccedit. Amplificatio quid.

Amplificatio conſtat verbis & rebus. Verba. Res.

gnoperè iuuant ſimilitudines, exempla, fictæ perſonæ, apoſtrophæ, & omninò amplificationis figuræ omnes. O nox illa, quæ penè æternas huic vrbi tenebras attuliſti, cum Galli ad bellũ, Catilina ad vrbem, coniurati ad ferrum, & flāmam vocabantur. Cùm ego te, Flacce, cælum, noctemque conteſtans, flens flentem obteſtabar. Cùm tuæ fidei optimæ, & ſpectatiſſimæ ſalutem vrbis, & ciuium commandabam. Tu, tu, Flacce Prætor, communis exitij nuntios cepiſti: tu incluſam in literis reipublicæ peſtem deprehendiſti; tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad Senatum attuliſti. Quæ tibi tum gratiæ ſunt à me actæ? Quæ ab Senatu? quæ à bonis omnibus? quis tibi, quis Caio Pontinio fortiſſimo viro, quemquam bonum putaret vnquam non ſalutem, verum honorem vllum denegaturum?

Cicero pro Flacco.

3. Amplificationis modi. Primus auctoritatis.

Conficiendæ amplificationis, & augendæ rei ſunt modi complures. nam vnus ſumitur ab auctoritate, cum commemoramus quantæ curæ res ea fuerit dijs immortalibus, maioribus noſtris, regibus, nationibus, aut hominibus ſapientiſſimis, aut

Senatui: legum ſcriptoribus: vt, Quare ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos, ſociorum ſalutem vna cum imperij veſtri dignitate defendere. Hic videndum quomodo maximè ſit de rebus his ſancitum lege. Duplex eſt auctoritas diuina, & humana. Potiſſima auctoritas eſt, quæ maximos habet auctores. Spectatur enim vel in vi, vel in virtute, vel in vtroque. In Deo vtrumque eminet. Hinc diuinæ auctoritatis magna vis accedit orationi ex oraculis, ex portentis, & prodigiis, inſomnijs, cometis, terræ motu, & ſimilibus. Humanæ auctoritatis ſunt inſtituta maiorum, decreta, leges, reſponſa, res geſtę regũ, ſapientũ, ciuitatũ. Tractaturi hunc locũ demõſtrabim⁹, quid quiſq; magnę auctoritatis de præſenti argumẽto, aut ſimili aliquãdò cẽſuerit: addemus oracula, prodigia, oſtenta, vatum reſponſa: vt, Si abſoluẽdũ parricidã Oreſtẽ cõtendamus, Apollinis, vt diuinãauctoritatẽ

Pro l. Man.

Auctoritas duplex.

proferemus, deinde Areopagitarum iudicum ſententiam, vt humanam. Hic amplificari poteſt maiorum auctoritas à dignitate, & grauitate regum, regionis excellentia, ab iuſtitia, æquitate. vt, Quapropter, ſi dijs immortalibus, ſi Senatui, ſi populo Romano, ſi cunctæ Italiæ, ſi prouinciis, ſi exteris nationibus, ſi vobiſmetipſis, qui in mea ſalute principem locum, auctoritatemque tenuiſtis, gratum, & iucundum meum reditum intelligetis eſſe: quæſo obteſtorque vos, Pontifices, vt me, quem auctoritate, ſtudio, ſentẽtiis reſtituiſtis, nũc, quoniã Senatus ita vult, manibus quoq; veſtris in ſedibus meis collocetis. *Alter locus eſt vtilitatis, quæ ſubiungitur auctoritati. Nam primum mouemur auctoritate, & honeſtate: Deinde ex aliorum calamitate vehementer afficimur.* Hic cõſideramus, ad quos pertineãt res illæ, de quibus criminamur, aut deliberamus: vtrum ad omnes, quod eſt atrociſſimũ, an ad ſuperiores, quod eſt grauiter vindicandũ, an ad pares, hoc eſt, in iiſdẽ partib⁹ animi, corporis, fortuna-

Cic. pro domo ſua.

Secundus vtilitatis.

rũ,an ad inferiores. vt, Quæ cũ ita ſint, Iudices, primùm reipublicæ cauſa, qua nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in rempublicam diligentia moneo, pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, vt otio, vt paci, vt ſaluti, vt vitæ veſtræ, vt cæterorum ciuium conſulatis. Vtilitas aut eſt publica, vt patriæ, meliorum, ſuperiorum, magiſtratuum, multorum, plebis; aut priuata, vt parentis. Quod genus vtilitatis viros bonos grauiter mouet, quibus turpe eſt inopi, & calamitoſo non ferre opem. *Tertium addimus, quo quærimus, quid euenturum ſit, ſi omnibus idem concedatur: & ea re neglecta oſtendemus, quid periculorum, aut incommodorum conſequatur.* Hic locus continet damnũ ſuperiori contrarius: vt, Vos moneo, Patres Conſcripti, libertas agitur populi Romani, quæ eſt commendata vobis: vita, & fortuna optimi cuiuſque, quo cupiditatẽ infinitam cum immani crudelitate iampridem intendit Antonius; auctoritas veſtra, quam nullam habebitis, niſi nunc retinueritis. Tetram, & pe-

Vtilitas publica & priuata.

Tertius damni.

Cic. Philipp. 7.

ſtiferam beluam, ne incluſam, & conſtrictam dimittatis, cauete. *Deinceps oſtẽdemus, ſi reo ſit remiſſum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc iudicij expectatio remoratur.* Sic & in deliberationibus, ſi ſupplices negligamus, aut ſontes adiuuemus, aut imminẽtis periculi magnitudinem aperiamus, & hoſtium audaciam. *Ad hæc, ſi ſemel aliter iudicatũ ſit, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut perperam factum, aut erratum iudicum, aut deliberantium corrigere poſſit.* Quo in loco, non incommodum eſt vti cæterarum rerum comparatione: vt oſtendamus alias res poſſe, aut vetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi: huic rei aut leniendæ, aut corrigendæ nullam rem adiumento futuram. Explicatur hic locus diuiſione bonorum, quod quædã amiſſa poſſint recuperari, vt pecunia, vel recuperari non poſſunt, vt interempti parentes, liberi, principes, amiſſa fama, vel difficulter recuperentur, vt regnum, libertas, fides. Perinde poſſunt mala diuidi: quædam namque ſunt medicabilia, quæ reſtitui poſſunt, vt euertere ſuburbanas ædes hoſtibus imminẽtibus: quę

Quartus.

Quintus.

dam reſtaurari non poſſunt, vt dedecus, infamia per culpam ſuſcepta. *Poſſumus* Sextum. *& dicere conſultò factum eſſe, docemusque que volūtario facinori nullam excuſationem; imprudentiæ iuſtam aliquando deprecationē paratam. Deinceps oſtendemus tetrum facinus, crudele, tyrānicum eſſe, per vim, per opes,* Septimus. quo in genere ſunt iniuriæ nobilibus fœminis illatæ, aut ſociis, aut ciuibus, & eæ res, quarum cauſa bella ſuſcipiuntur, & cum hoſtibus de vita dimicatur. *Præterea oſtendemus eſſe non vulgare, ſed ſingulare, ſpurcum, nefarium, audaciſſimis, & feris, & barbaris hominibus, beſtiis immanibus inuſitatum maleficium, quo atrocius, & maturius vindicandum ſit.* Octauum. *Nonus amplificationis locus conſtat peccatorum comparatione: & hoc eſſe atrocius*, vt ſi dicamus maius eſſe Nonus. maleficium violare ingenuam, quā ſacrum lædere: quod alterū propter egeſtatem, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat. *Ad poſtremum omnia, quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæque rem conſequi ſolent, exponemus acriter, & criminosè, & diligenter, vt agi res, & geri negotium videatur rerum conſequētium enumeratione.* Decimus.

Diſcrimen concluſionis & cæterarũ partium.

CÆteris orationis partibus id orator contendit, & efficere conatur; vt fide digniſſimus habeatur: at ea concluſionis parte, quæ tractandis affectibus, vt naſci ex quaque re potuerunt atroci, aut leui, conſumitur, id vnum agit, vt auditor conuenienter affectibus diſponatur, & fingatur, vt perſuaderi velit. Quoniam igitur ad immutáda auditorum iudicia vim, & momentum habent affectus, expedire rationes debet orator, quibus peritè animum commouere, ſedare, & omnino tractare poſſit. Sunt enim affectus, quibus immutati, & velut à ſe tranſlati homines iudiciis ipſi ſecum perſæpe diſſentiunt.

Affectus.

Eſt enim affectus, quidam animi impetus, quo ad appetendum, auerſandumue aliquid vehementius, quam pro quieto mentis ſtatu, impellimur. Proinde ſi orator in partibus anterioribus bene dixit, iam occupat animos iudicum, & confragoſis atque aſperis euectus, tota pandit vela eloquẽtiæ violentioris: & in amplificatione verbis atque ſententiis vtitur magnificis atque ornatis, ſicut tragici in Cataſtrophe. Naſcitur ex ſtudio rerum ap-

petendarum, quæ bonę ſunt, aut videntur: aut auerſandarum, quæ noxiæ iudicantur. Nec ſolùm afficimur iis, quæ nobis bona putamus, aut mala, ſed aliena quoque vice dolemus, gaudemus, iraſcimur, miſeremur. In omni affectu duo præcipuè ſunt, quibus mouemur: res, quæ accidit, aut expectatur; & perſona, ad quam res ea redit. Quæcunque ergo res ſiue bona, ſiue mala, digna merenti contigerit, gaudemus: ſi indigno, moleſtè ferimus: &, ſi quidem bona ſit, inuidemus, iraſcimur: ſin mala, miſeremur, & in doloris venimus ſocietatem. Nihil autem refert in affectu, aut ſic eſſe rem, aut haberi, aut videri. Eſt enim temerarius omnis affectus, & præceps, & rapit mentem, & plerumque alius ex alio naſcitur. Vnde fit, vt de rebus omnibus nõ ex vero ſtatuat, ſed bonas eas, malaſque putet ex opinione, quam indidit alterius affectus error, vel quam leuiore quacunque, & inani perſuaſione ſecutus eſt. In quibus mouendis hęc ſumma erit, vt moueamur ipſi; tum valere apud nos oſtendamus, quæ apud iudicem valere volumus: afficiamurque ante-

Vnde naſcatur affectus.

In affectibus duo.

Temeritas affectuum.

quam afficere velimus,quod vt exequamur,repræſentabimus animo noſtro,& auditoribus abſentiũ rerum, velut præſentes imagines per energiam.

SVnt affectuũ diuturniores alii, qui longo ſunt vſu confirmati, vt amor, odium,inuidia,metus,& in ſumma omnis quicunque maioris alicuius cauſæ perſuaſione animos obſedit:alii breuiores, & ſubiti magis, qui ſicut de improuiſo prorũpunt, ſic celeriter perſæpe, & quãuis leui cauſa reſidunt: hi cũ aliis ex cauſis,tum orationis vẽto, tamquam in ſtipula ignis,concitantur. Affectus item duplex,παθός,& ἦθος:ille affect⁹ propriè, hic mores, ſiue morum proprietas, quibus omnes habitus mentis humanæ ſignantur : ille cõcitatos,hic mites,& cõpoſitos notat: & ille ad perturbationẽ vehementer commouendam : hic ad lenitatem,& beneuolentiam præualet: ille maior, hic minor eſt : ſic vt ille amor dici poſſit, hic charitas : hic bonitate commendatur,& ſonat quiddam mite, placidum,blandum, humanum, amabile,iucundum : ille truculẽtum & atrox, vt iram, odium, inſanum amorem. Etſi

verò capax omnium affectuum oratio ſit: in dicendo tamen oratoribus præcipuè occurrunt odium, & miſericordia.

TRactatur affectus tripartita ratione. Aut enim exprimimus oratione affectum, & irati, metuentis, amãtis, cupientis imitamur verba. Quo in genere eſt oratio in Comœdia, quæ quietos magis, & minus à tranquillitate diſtantes habet affectus in perſonis, & rebus, quæ de medio ſumuntur: & Tragœdia, quæ ardentiores conficit affectus in perſonis, & rebus, quæ ſunt magis inſignes, & grandiores. Qua in parte, cogitationes, preces, vota, querelas, deſideria, contentiones omnes, pro natura cuiuſque affectus, & perſonę & rei exponmus. Aut quempiã affectu aliquo cõcitum deſcribimus, & quæ fecerit, quæ dixerit, ſic explicamus, vt ex omnibus affectus poſſit deprehendi. Huius generis eſt, cùm vel nos, vel alium quempiam eſſe, aut fuiſſe affectione aliqua permotum docemus, vt,

6. *Tractatio affectuum triplex.*

Secunda.

Sen. in Oed. Prædicta poſtquam fata, & infandum
genus
Deprēdit, ac ſe ſcelere cōuictū Oedip⁹
Damnauit, ipſe regiam infeſtus perens,
Inuiſa propero tecta penetrauit gradu.
Qualis per arua libycus inſanit Leo,
Fuluam minaci fronte concutiēs iubā:
Vultus furore toruus, atq; oculi truces.
Gemitus, & altū murmur, & gelid⁹ fluit
Sudor per art⁹, ſpumat, & voluit minas,
Ac merſus altè magnus exundat dolor.
Secum ipſe ſæuus grande, neſcio quid,
parat:
Suisq; fatis ſimile. Quid pœnas moror,
Vt hoc ſceleſtū pectus, aut ferro petat,
Aut feruido igne aliquis, aut ſaxo do-
met? (meis
Quæ Tygris, aut quæ ſæua viſceribus
Incurret ales? ipſe tu ſcelerum capax
Sacer Citheron, vel feras in me tuis,
Emitte ſyluis, mitte vel rabidos canes:
Nunc redde Agauen. anime, quid mor-
tem times?
Mors innocentem ſola fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manū,
Enſemq; ducit. Itane tā magnis breues
Pœnas ſceleribus ſoluis? atque vno oīa
Penſa-

Penſabis ictu? moreris? hoc patri ſat eſt.
Quid deinde matri? quid malè in lucē editis
Natis? quid ipſi, quæ tuum magna luit
Scelus ruina, flebili patriæ dabis?

Item: (Dido *Virg. lib. 4. Æneid.*

At trepida, & ceptis immanibus effera
Sanguineam voluens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
Interiora dom⁹ irrūpit limina, & altos,
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.

Tertia ratio eſt, cùm auditoris animum tractare nitimur: cumque non quærit oratio affectū docere noſtrum, ſed mouere, excitareque cupit alienum, qui maximè in periculorum expoſitione, & demonſtratione verſatur. *Tertia affectuum tractatio.*

OMnis cura dicentis in hoc conferatur, vt affectum, qui dicendo repentè ſummus fieri non poteſt, paulatim excitet oratione, & det operam, vt rerum, & perſonarum ęſtimationem in hanc, illamue partem veluti gradibus *7. Affectuum concitādorū ratio.*

quibuſdam ab infimo ad ſummum perducat. nam vt moueri, capi, ardere dicatur auditor; magñitudo rebus eſt addẽda, perquę omnia, quæcunq; poſſumus, res extollendæ ſunt, incrementa. Quædam per ſe magna videntur omni hominum generi, vt religio, patria, parentes, coniuges, filii, vita, valetudo, honor: alia ſunt magna ſingulorum opinione: vt quicquid eſt, quod vnicuique maiorem in modum deſideratur, vt ſitienti potus, eſurienti cibus, ſtudẽti eruditio, pecunia auaro. Cùm volumus aliquid augere, docebimus pertinere ad hæc tuenda, vel paranda, vel ad ea, quæ his obſtant, depellenda. Quanto plura in hoc genere coaceruabimus argumẽta, & alia ſuper alia congeremus, tanto fiet res maior; vt cùm docuerimus nõ poſſe, eum de quo diſſerimus, incolumitatem tueri: addamus deinde ne vitam quidẽ in tuto ſibi fore. Poſt hæc idem periculi parentes manere: iam patriam quoque, & templa in diſcrimen adductum iri. Pro cuiuſque rei natura, ingenioq; auditoris hæc erunt adhibenda. Videndũ eſt ad quam partem rerum earum, quæ

Magnitudo rerum æſtimanda.

vel ab omnibus magni putantur, vel priuatim ab his, qui audiunt id, quod in orationem venit, poſſit accommodari. Nam & hoc inter vtiliſſima fuerit, videre, quid is, apud quem dicimus, maximè probet: quem auerſetur, in quem ſit pronior affectum. Alius enim facilius ab ira aufertur: alius eſt aduerſus miſericordiam infirmior: quoſdam inuidia torquet: aliquos promptius metu concuſſeris. Commotos augmētatione rerum affectus, detracta magnitudine, ad rationem reuocamus, meliuſque, & clementius res æſtimare, & iudicare de eis cogimus auditorem. Diſcutimus affectus etiam contrarijs affectibus, & iram nobis paratam regerimus in auctorem; vel conciliata miſericordia impetum eius mollimus. Potētiſſimus ad ſoluendos ſubitos, & recens concitatos affectus, eſt riſus. Vnde in cauſa L. Murenæ Cicero nihil æquè videtur oppoſuiſſe Catonis, & Sulpitii maximorum virorum auctoritati, quam lætiſſimam illam ſuam facetè dicendi feſtiuitatem. Solutum eſt enim iudicium riſu. Et Cato quamuis natura, & inſtitutione, ipſa

Æſtimādā propenſio auditoru.

Sedandorū affectuum ratio.

Pro Murena.

quoque accuſatoris perſona, quam ſuſtinebat horrdior, riſũ tenere nõ potuit, & fertur dixiſſe, Dii boni, quàm ridiculum Conſulem habemus. Sic Demoſt. pro Ariſtide dicturus, incenſos oratione accuſatorum iudices, vt ſenſit, & ſibi reclamari, & velut prædamnato reo ſilentium indici, orauit, vt eorum bona venia liceret pauciſſima extra cauſam verba facere. Quod cùm permitterent, ait, Megarenſem quẽdam ſtudiis opertum, Athenis cùm redire in patriã vellet, conducto aſino ſarcinas impoſuiſſe: meridie verò, cum nulla vmbra, qua ſolis ardorem leuarent ipſe, & Agaſo, præberetur: ſtatuto in via aſino, cõſtituit illius vmbra ſolem vitare, cumque ea non ſufficeret ambobus, Agaſo illã ſibi vindicare, ſui illam affirmare iuris eſſe, operas illi, non vmbram locatam: contendere ille contra vmbram inter operas eſſe. Cumq; diceret orator grauiſſimè inter eos de vmbra Aſini altercatum, videretque omnes riſu quati, & iudices exhilaratos eſſe, tum grauiſſima eos increpuit oratione, qui poſſent de vmbra aſini diſſerentem audire, de ſa-

lute ciuis, quod eos religio iudicii cogeret, audire non poſſent: tum cepiſſe de cauſa dicere, reumq; liberaſſe fertur.

DE ſingulis dicturus, miſericordiæ vim primùm exponam. Etenim commiſeratio concluſionibus ferè prima adhibetur. Miſericordia eſt animi dolor ſuſceptus ex cogitatione mali, quod dolorem, aut perniciem affert, qua quis immerenter affici videatur, & ſe quoque, vel ſuorum aliquem pati poſſe exiſtimet, ac in propinquo eſſe putetur. Nemo ad mouendas lacrymas aggrediatur, niſi ſummis ingenii viribus. Nam ſicut affectus hic vehementiſſimus eſt, cùm inualuit: ita ſi nihil efficit, tepet. Nam cùm medium nihil ſit, elicit lacrymas, aut riſum meretur. Proni ſunt ad miſericordiam ſenes, quia prudentiores, & multa experti: debiles, & meticuloſi, docti, quod melius de caſibus humanis iudicent: qui parentes, vxores, liberos, amicos, & multa habent ſimilibus opportuna iniuriis: qui de hominibus benignius ſentiunt: qui eos, qui patiuntur iniuriam, probos, & illis malis indignos eſſe ſibi libenter perſua-

8. *Miſericordia quid.*

dent: qui ſe homines eſſe meminerint: qui ſic affecti ſunt, vt ſe quoque aliquid ſimile pati poſſe putẽt, aut iã fortè paſſi ſunt, & euaſerunt: nec qui tãquam vniuerſum hominũ genus peroſi, neminẽ non eo, quod patiatur digniſſimum iudicant: qui non valde timẽt. Non enim miſerentur perterriti, & pro ſe ſoliciti, quos propria perturbatio occupat: qui contumelioſi non ſunt: qui nec ſuperbia, nec ira, nec confidentia efferuntur: nam rationem futuri habent: nõ omnino perditi; nam qui vltima paſſi ſunt, nihil amplius pati ſeſe poſſe arbitrãtur, & proinde nõ miſerẽtur: nec qui ſe felices eſſe arbitrãtur. Nam qui omnia ſibi adeſſe bona opinantur, nihil ſe mali putãt paſſuros. Etenim nihil pati in bonis ſuis putãt, & felicitatis parte, & proinde cõtumelioſi ſunt, qui ſe ſupra fortunæ vim ducunt.

9. *Quibus excitatur miſericordia.*

MIſerabilia ſunt, quæ dolorẽ afferunt, quæ ad nos perdendos vim habere videntur, vt ſunt mortes, verbera, cruciatus, ſenectus, morbi, inopia cibi, & neceſſariorum: mala, quorũ cauſa eſt fortuna: neminẽ habere amicũ, aut

quàm pauciſſimos in rebus aduerſis: diuelli ab amicis, & ſociis: deformatũ eſſe, imbecillũ eſſe, mancũ eſſe: euẽtus mali, vnde bonũ ſperabatur: bona, quæ ferè poſt mali paſſionẽ, eueniunt: bonorum prorſus expertẽ eſſe ijs, quæ habeas, nõ poſſe frui, aut non commodè vti.

MIſericordia proſequimur notos, & familiares, propinquos, affines & neceſſarios. Amaſis Ægypti rex conſpicatus filium ad mortẽ duci lacrymas non effudit; at amicum mendicantẽ, vt vidit, lacrymas tenere non potuit. Eſt enim hoc miſerabile, illud terribile, quod miſerationem excludit, & ideo ſæpius aduerſario vtile. Miſeremur & eorum, quibus ea accidunt, quæ timemus nobiſipſis: eorum, quos miſerabiles oculis cernimus, nam eorum, quæ diu præceſſerunt, aut futura ſunt, recordatione, vel prouidentia, aut non mouemur, aut minus. Eliciunt miſericordiam noſtrã, qui nobis ætate, moribus, dignitate, genere vitę, & aliis rebus ſunt magis pares, quàm alij. Nã ex his malũ nobis propinquius eſſe videtur: mouẽt etiam potentius, quæ coram oculis. 10. *Quorũ miſeremur.*

& quaſi coram geſtu, voce, veſte, rebus omnibus expreſſa, & quaſi renouata cernuntur. Quod faciunt fabularum actores, quos in iis, quæ vel iam tranſacta ſunt, vel impendent, imitari prodeſt oratori. Animum præſentia, aut quaſi præſentia mouent. Eius, qui paſſus ſit, aut paſſurus ſit, corpus affectum, & cadauer, veſtes, ſigna, vulnera, oſſa, cicatrices, verba repetita, geſtus, vox, actio: ſqualidi parentes, liberi, clientes, præces admotæ iudicibus, aut Deo, habitus afflicti, iacẽtis, aut amplexantis genua; ſecuritatis vitatio. Sed horum rideat nemo, nemo confidens & ſecurus appareat. Sic populum M. Antonius incendit in Caſſium, & Brutum, & coniuratos interfectores Cæſaris, cùm cadauer fœdatum, conciſumque tribus & viginti vulneribus, & cruentas veſtes oſtẽdit.

11 *Modi commiſerationis*

EX his commiſerationem orator efficiet, ſi orationem adhibeat, qua auditores flectat ad miſericordiam ex qua fauorem ſibi, aut ſuo clienti conciliet, atque ad ferendum ſubſidium inclinet. Cuius rei perficiendæ ſumma capita paulò aliter comprehendam. Pri-

Primum ſumitur ab adiunctis perſonę noſtræ, aut clientis, qui calamitatem patitur: à generę, ſi nobiles ſumus, & magno loco nati: à ſexu, ſi mulier, virgo, vir: à conditione, & imbecillitate, ſi pauperes, ægri, viduæ, pupilli, prȩſidiis omnibus deſtituti, ſi diuites fuerimus, ſi reges, ſi potentes. Hic opportunum eſt demonſtrare neceſsitudinem, amicitiam, propinquitatem noſtram cum ijs, quorum miſericordiam captamus: à bonis animi, virtute, innocentia, eruditione. In altero loco fortunæ commutationem proferimus, docemuſque nos, aut clientes noſtros ſemper fuiſſe beatos, nunc ſubitò præter ſpem, & culpam factos eſſe miſeros. Hic commemorantur, quæ ad laudem, & admirationem prioris, & fœlicis vitæ faciunt. Simul demonſtramus, cum felices eſſemus, reip. vtiles fuiſſe, & ijs maximè, quorum miſericordiam contendimus euocare. Ad hæc copioſius narramus genus, & modum infelicitatis noſtræ, incommoda animi, corporis, fortunæ. Magnitudo calamitatis exaggerari poterit, ſi copioſè deſcribatur improbitas

Primus modus.

Secundus.

eorum, qui afferunt iniuriam. Tertius *Tertius.* erit modus, per quem cum indignatione conqueremur nos ab ijs potiſſimum contumelia affici, & iniuria, qui vel nos amare maximè debuiſſent: vt ſunt propinqui, & ij, de quibus benè meriti ſumus: quod ab ijs incommoda patiamur, *Quartus.* in quos beneficia contulimus. Nos pręterea comparabimus præſens malum alijs calamitatibus, & cæteris malis par eſſe, aut grauius, dicemus: proferemus indigna genere, ætate, fortuna, & hono- *Quintus.* re priſtino. Poterimus deinde queri de iniquitate noſtræ fortunæ, & natales, vt infauſtos, deteſtari, aliquid factum, quod non oportuit: aut quòd oportuit non eſſe factum. Deinceps vitam no- *Sextus.* ſtram ſemper, aut diu in malis, aut laborioſis periculis actam, & dolores, aut labores pertuliſſe, pro virtute, pro fide, pro ſocietate, pro propinquis, pro ciuibus: ex iis nullum commodum retuliſſe, præter miſeriã, & ignominiam, & labores. Præterea virtu- *Septimus.* tes noſtras, humanitatem, clementiam, miſericordiam, ſtudium in omnes, &

beneficia commemorâmus. Addemus *Octauus.*
ſeparationem ab aliquo, aut aliquibus,
& rebus charis, quas diligimus, vel natura,
vel affectu, vel opinione probitatis,
aut pulchritudinis, aut vtilitatis,
& fieri, dolebimus. Hic mortem quis *Nonus.*
optare poteſt. Ad hæc noſtrum animum
fortem, & magnum in malis
apcrimus recta conſcientia freti, &
vera gloria, quam ex rectè factis ſumus
conſequuti, aut conſequemur.
Simul oſtendemus nos ſemper fuiſſe,
& fore patientes malorum, & iniuriarum
propter communem vtilitatem,
& ſalutem. Denique declarabimus *Decimus.*
quæ, & quanta, & quam
multa incommoda deinceps nobis
ſint euentura in animo, in corpore,
in fortunis, niſi prouideatur. Dicemus, *Vndecimus*
& nos non ob noſtras, quas
paſſi ſumus, aut iam patimur, ſed
amicorum noſtrorum miſerias queri,
& dolere. Simul aperiemus, quid
mali noſtris parentibus, fratribus, liberis,
& propinquis acciderit iam, &
in poſterũ euenturũ ſit propter eorum
inopiam, infirmitatem, ſolitudinem,

noſtras calamitates: alloquemur mutas res, vt veſtem, arma, equum eius, qui
Duodecim. paſſus eſt. Ad poſtremum per modeſtam obſecrationem petemus à Deo, vel hominibus, vel auditoribus, vt noſtri miſereātur: vt res noſtras ad ſe referant, & de ſuis agi putent: & de noſtris, & nobis facere, & ſtatuere velint, quod de ſe, & de ſuis in tali negotio faciendum optarent: admonebimus, vt metuant eandem, aut ſimilem, aut grauiorem calamitatem: corporis noſtri, parentum, liberorum ſepulturam orabimus: obſecrabimus, vt cuncta referant ad vtilitatem reip. ad ſui iudicij gloriam, ad exēplum, ad memoriam poſteritatis.

SVbijcio oculis imaginem tantæ rei
12. expreſſam pulcherrimis exemplis, quibus M. Tullius melior artifex mouendorum affectuum, quam efficacis doctrinæ præceptor, vim ingenij profundit. Ex laudatiſſima Titi Annij Milonis defenſione hoc inſtar perfecti exemplaris eſto. Me quidem, iudices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidiè. Valeant, inquit, va-

leant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet hæc vrbs præclara, mihique patria chariſsima quoquo modo merita de me erit: tranquilla Rep. ciues mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamẽ fruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi Rep. bona frui non licuerit, at carebo mala, &, quàm primum tetigero benè moratam, ac liberam ciuitatem, in ea conquieſcam. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores: O ſpes fallaces: ô cogitationes inanes meæ! Cum Tribunuſ plebis Rep. oppreſſa me Senatui dediſſem, quem extinctum acceperã: Equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant, mihi vnquam bonorum præſidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim ſæpiſsimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patria locum putarem? Vbi nunc Senatus eſt, quem ſequuti ſumus? Vbi Equites Romani illi, illi, inquit, tui? Vbi ſtudia municipiorum? Vbi Italiæ voces? Vbi denique tua, Marce Tullj, quæ plurimis

fuit auxilio, vox, & defenſio? mihinè ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? Nec verò hæc, iudices, vt ego nunc flens, ſed hoc eodẽ loquitur vultu, quo videtis. Negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecit: timidis, & omnia circumſpicientibus pericula, non negat. Plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam, quò tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat; vt non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimonijs deliniret. Nec timet, ne cùm plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in Rempublicam ſingularibus. Senatus erga ſe beneuolentiam temporibus his ipſis ſæpè eſſe perſpectam; veſtras verò, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſermones, quemcunque fortuna caſum dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Meminit etiam modo ſibi vocem præconis defuiſſe, quam minimè deſiderarit: Populi verò cunctis ſuffragijs, quod vnum cupierit, ſe Conſulem declaratum. Nunc denique, ſi hæc arma

contra ſe ſunt futura, ſibi facinoris ſuſpicionem; non facti crimen obſtare. Addit hæc, quę certè vera ſunt: fortes, & ſapientes viros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta. Se nihil in vita, niſi præclariſsimè feciſſe. ſiquidem nihil præſtabilius viro, quàm periculis Rempublicam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ciuibus ſuis: nec tamen eos miſeros, qui beneficio ciues ſuos vicerint. Sed ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam: eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſoletur: quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus: hanc denique eſſe, cuius gradibus, etiam homines in cælum videantur aſcendere. De me, inquit, ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla vnquam obmuteſcet vetuſtas. Quin hoc ipſo tẽpore, cùm omnes à ſuis inimicis faces inuidiæ meæ ſubiciantur: tamen omni in hominum cœtu gratiis agẽdis, & gratulationibus habendis, & omni

ſermone celebramur. Omitto Hetru-
riæ feſtos, & actos, & inſtitutos dies.
Centeſima lux eſt ab interitu P. Clodij,
& opinor, vltra, quàm fines imperij po-
puli Romani ſunt, non ſolum fama
iam de illo, ſed & lætitia peragrauit.
Quamobrem vbi corpus hoc ſit, non,
inquit, laboro, quoniã omnibus in ter-
ris & iam verſatur, & ſemper habitabit
nominis mei gloria. Hæc tu mecum ſæ-
pe his abſentibus: ſed, iiſdem audienti-
bus, hæc ego tecum, Milo. Te quidem,
quod iſto animo es, ſatis laudare non
poſſum. Sed quò eſt iſta magis diuina
virtus, eò maiore dolore à te diuellor.
nec verò ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa
tamen ad conſolandum querela, vt ijs
iraſci poſſim, à quibus tantum vulnus
accepero. Non enim inimici mei te mi-
hi eripient, ſed amiciſsimi: non malè ali-
quando de me meriti, ſed ſemper opti-
mè. Nullum vnquam mihi, iudices, do-
lorem tantum inuretis (etſi quis poteſt
eſſe tãtus?) ſed, ne hunc quidem ipſum,
vt obliuiſcar, quanti me ſemper feceri-
tis. Quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me
aliquid offendiſtis, cur non id meo ca-
pite

pite potius luitur, quàm Milonis? Præclarè enim vixero, ſi quid mihi acciderit prius, quàm hoc tantum mali videro. Nunc me vna conſolatio ſuſtentat, quod tibi, ô Tite Anni, nullum à me amoris, nullum ſtudij, ris, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentum prô te appetiui: ego meum ſæpe corpus, & vitam obieci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis propter te ſupplicem abieci: bona, fortunas meas, ac liberorum eorum in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, ſi qua dimicatio capitis futura, depoſco. Quid iam reſtat? Quid habeo quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi vt eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? non recuſo, non abnuo, voſque obſecro, Iudices, vt veſtra beneficia, quæ in me cõtuliſtis, aut in huius ſalute augeatis, aut in eiuſdẽ exitio occaſura eſſe iubeatis. His lachrymis non mouetur Milo. Eſt quodam incredibili robore animi: exilium ibi putat eſſe, vbi virtuti non eſt locus: mortem

naturæ finem eſſe, non pœnam. Sit hic ea mente, qua natus eſt. Quid vos, Iudices, quo tandem animo eritis? memoriã Milonis retinebitis, ipſum eijcietis? & erit dignior locus in terris vllus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreauit? Vos, vos appello, fortiſſimi viri qui multũ ſanguinem pro Rep. effudiſtis. Vos in viri, & ciuis inuicti appello periculo, centuriones, voſque milites: vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac vrbe expelletur? exterminabitur? eiicietur? O me miſerum! O me infœlicem! Reuocare, tu, me in patriam, Milo, potuiſti per hos: ego te patria per eoſdem retinere nõ potero? Quid reſpõdebo liberis meis, qui te parentem alterum putãt? Quid tibi, Quinte Frater, qui nunc abes, conſorti illorum temporum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? & in qua cauſſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus: à quibus non potuiſſe? ab iis, qui maximè P. Clodii morte acquierunt.

Quo deprecante? me. Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quòd in me tantum facinus admiſi, Iudices, cùm illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me, meoſque redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem eſſe voluiſtis? an, vt inſpectante me expellerētur ii, per quos eſſem reſtitutus? nolite obſecro vos pati, mihi acerbiorem reditum eſſe, quam fuerit ille ipſe diſceſſus. nam, qui poſſum putare, me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum? Vtinam dii immortales feciſſent (pace tua, patria, dixerim. metuo enim, ne ſceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam piè) vt P. Clodius non modo viueret, ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem. O dij immortales fortem, & à vobis, Iudices, conſeruandum virum! minimè, minimè, inquit: imo verò pœnas ille debitas luerit: nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt, non debitas. Hiccine vir patriæ natus, vſquam, niſi in patria, morietur, aut ſi forte pro patria, huius vos animi monumēta retinebitis,

corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? Hunc ſua quiſquam ſententia ex hac vrbe expellet, quem omnes vrbes expulſum à vobis ad ſe vocabunt: ô terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, ſi eiecerit: miſeram, ſi amiſerit.

15. *Ira quid.* DE miſericordia eò plura, quo per orationibus vſitatior. iam de ira dicendum eſt. Ira eſt cupiditas eius vlciſcendi, qui nos, aut noſtros læſit, aut contempſit. Propria cauſa huius affectus eſt, non damnum per ſe, aut illatus dolor ab aliquo, ſed ſolus contemptus. Nam, ſi quis quempiam vulnerarit, aut incommodo graui affecerit per vim, ignorantiam, aut vehementem animi perturbationem, egeſtatem non per induſtriam, ſi contemptus abfuerit, non iraſcitur, aut longè minus. Auget dolorem damni magnitudo, quæ rei charæ, aut neceſſariæ, iacturam affert. Quia tamen iniuriæ, quam iratus ſemper præfert, contemptuſque rerum no- noſtrorum oratio coniuncta eſt, in iram ille dolor nō exardeſcit. Exardeſcit autē tum maximè, cùm abſque dāno, vel

Ira cauſa eſt affectus.

vel cũ minimo indignè habiti, contemptique videmur. Hoc quoque argumẽtum contẽptus, & irritandæ iræ, quod, quò quiſque excellentior eſt, & à minore contẽnitur, hoc & fert moleſtius, & iraſcitur vehementius: vt, ſi diues à paupere: nobilis ab ignobili: vir fortis, & rebus geſtis clarus ab imbelli, & ignauo: liberalis ab eo, quem beneficijs ornauit. Ex ea cauſa magnæ, & pertinaces ſunt regum iræ, quia longè cæteris antecellunt: & quia contemptus eſt eò maior, quò & hunc, qui inferior ſit, cõtemnere, & eum, qui excellat, contemni eſt indignius, & vlciſci iuſtius. Memor veteris Saturnia belli, Prima quod ad Troiam pro charis geſſerat Argis. Nec dum etiam cauſæ irarum ſæuique dolores Exciderant animo: manet alta mente repoſtum Iudicium Paridis ſpretæque iniuria formæ. Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores. Plurimi enim ſe fieri debere putãt ab ijs, qui minores ſunt, genere, potentia, virtute, & ijs, quibus excellũt. Nã ira vindictæ appetitus eſt (quamquã nõ facultas, nã infirmi ſæpe potẽtiſſimis iraſcuntur) affe- *Iræ natura.*

ctus præ cæteris generoſus, qui & ratione ſuſcipitur, & iuſti exequutio quædam eſſe videtur, quo & ſuaui ſpe, & cogitatione apparentis vindictæ nos titillat. Quò cõtẽptus eſt maior, eo & ira cietur acrior. Contemptus eſt, quo rem aliquam, aut perſonam nullius, aut parui pretij, aut ad bonum, aut ad malum momenti exigui, ducimus. Cuius partes ſunt, deſpectus, detractio, contumelia. Deſpectus, cùm ſimpliciter alterum, vt nullius pretii hominem deſpicimus, & huius tantum opinionis aliquam damus ſignificationem. Detractio eſt impedimentum, quo quis alterius voluntati aduerſatur, nec id, vt ſibi ipſe, proſit, ſed ne ille, quod concupiſcit, conſequatur. Contumelia cum & damnum, & dolorem affert iis in rebus, quas pati ſit verecundũ, nec propter ſuum vllum commodum, aut cõpendium; ſed eius tantum, qui patitur, deprimendi, aut dedecoris inurendi gratia, qua ex re cupit voluptatem, non ob aliud, quàm quod ex malefaciendo, & alterum deprimendo ſe præſtantiorem, atque excellentiorem viſum iri exiſtimet. Itaq; qui cõcita-

Contẽptus quid

Partes contemptus.

Deſpectus quid.

Detractio.

Contumelia.

re volet iram, ea conquiret, quibus defectum aliquē n, paruitatē, & imbecillitatem, imperitiam, turpitudinem, aut luxuriā demōſtret, & horum conſcientiam ingerat illi, quem vult ira incēdere. Nam ii, quibus res ſunt ſecundæ minus, ad contumeliam accipiūt omnia, & negligi, ſpernique ſe putant. Iraſcuntur, qui dolore, morbo, egeſtate, infauſto caſu, & ſimilibus deprimuntur rebus: qui appetunt aliquid vehemēter, quod aliqua re impediti aſſequi, aut perficere non poſſunt: qui aut perſonam, aut rem ſuis cōmodis obſtare putāt: quibus prçter ſpem aliquid accidit: qui in rebus aduerſis deſeruntur ab amicis. Tempora, ætates, præſens hominū ſtatus, affectus, res, locus ſpectantur, vt peritè concitetur ira. Iraſcimur ijs, qui noſtris aduerſantur ſtudijs: qui cùm poſſunt, nos nō adiuuant in rebus, quarum difficultate laboramus: ijs, qui nullam, aut paruam, temporis, loci, ætatis, conditionis, dignitatis, rei prçſentis rationem habent: deridentibus, conuitiantibus, ſalsè, aut acutè dicentibus: ijs, qui lædunt omninò in rebus, quæ contume-

Qui iraſcuntur.

Quibus iraſcimur.

liam ſpirant: maledicis, deſpicientibus nos, ijs rebus, quibus excellere videri volumus. Nã maximè iraſcimur, ſi ſuſpicemur, vel prorſus nõ eſſe in nobis, vel nõ valdè, vel opinione hominũ ea, in quibus arguimur. Ná, ſi ea nobis ineſſe certò ſciamus, non perturbamur: amicis magis, quàm inimicis, à quibus nobis benefieri, aut honorem haberi potius oportere putamus: ijs, qui non remunerantur, aut paria reponunt, aut maiora: ijs, qui maiora facultatibus reddunt, aut, qui ſtatim reddunt, quaſi obſtringi nolint: ijs, qui nullius ſunt opinionis, ſi contẽnunt: amicis, ſi non benè dicunt, faciuntuè, aut fauent minus: aut, ſi malè dicunt, aut aduerſa faciunt: ijs, qui non animaduertunt nos egere. Nam, cùm quæ nobis curæ ſunt, non latent, concontemptus ſignum putamus non animaduertere: ijs, qui aduerſa fortuna gaudent, aut contenti ſuarum rerum præſenti, & iniquo ſtatu videntur. Tullia coniugio ſceleris mercede parato: His ſolita eſt dictis exſtimulare virum. Quid iuuat eſſe pares, te noſtræ cæde ſororis: Meq; tui fratris, ſi pia iura placẽt

Viuere debuerant, & vir meus, & tua cõiux,

Si nullum auſuri maius eramus opus.
Iis, qui non curant dolorem nobis inuſtum: Iam iam nec maxima Iuno, nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis: malorum nuntiis: iis, qui audiũt, vel oculis mala noſtra cernunt, nec mouentur. Similes enim videntur contemnentibus, aut inimici: iis, qui apud hos contemnunt, apud quos honorari cupimus, quos admiramur, quibus admirabiles videri volumus, quos veremur, aut qui nos reuerentur: iis, quibus turpe ſit, ſi nobis non ſuccurrant: quo in genere ſunt liberi, parentes, ſubditi: ingratis, -Eiectum littore egentem
Excepi, & regni demẽs in parte locaui:
Amiſsã claſſem, ſocios à morte reduxi.
Illudentibus noſtra ſtudia apud ſtudioſos: iis, qui erga cæteros ſunt liberales, erga nos illiberales: obliuiſcentibus noſtri, aut rerum noſtrarum, aut nominũ; hoc enim à contemptu, neglectuque videtur proficiſci: iis, qui cùm antea nos magni facerent, iam negligunt: iis, qui ſe amicos videri volunt, & leuiter no-

ſtra infortunia ferunt.

Mãſuetudo & eius tractãdæ ratio.

MAnſuetudo eſt iræ depreſſio, atque ſedatio. Hæc opinioné contemptus, qui concitarat iram, tollit, docetque nihil factum eſſe contumelioſè, aut iniuriè, & deſpectus ſtudio. Oſtendit eum, cui infenſus ſit quiſpiam, inuitum, & non ſponte feciſſe, & ſic nec contempſiſſe quidem, cùm nullus ſit contemptus, niſi voluntarius. Manſueſcet iratus, ſi eum, qui offenſus eſt, idem in ſua cauſa feciſſe comperiat, cùm nemo ſeipſum contemnat: mitigatur & iis, qui fatentur, quoſque facti pœnitet: iis, qui ſe iure puniri dicũt: iis, qui ſummiſſe ſe gerunt, neque contradicunt iratis. Videntur enim ſe minores fateri, & metuunt: & quos metuunt, non contemnunt. Hinc ſedentem canes non mordent. Adeo iram lenit ſummiſſio: iis, qui ſe demittunt in preces: iis, qui vel nullos vnquam, vel tales, qualis hic offenſus, non contumelia, non damno affeciſſe probant: iis, qui timent, aut qui, quod factum ſit, per iracundiam feciſſe videntur: iis, qui officioſi ſunt, & beneuoli, & amantes ſtudiorum parium;

In quos mãſueſcimus.

iis, qui maiora largiti ſunt, & rogantibus, atque deprecantibus: iis, qui contumelioſi non ſunt, nec irriſores, nec contemptores, aut nullius, aut non bonorum, aut non talium, qualis iratus: iis, quos timet, & veretur: iis, quibus timori eſt, & venerationi. Ludi, ioci, riſus, feſti dies, res ſecundæ, ſpes bona, voluptas, ſaturitas ad lenitatem inducunt. Sedat iram & tempus: & ſumptum de alio ſupplicium. Si maiora incommoda paſſi ſint, qui deliquerunt, quam iratus irrogaſſet. Nam quaſi ſupplicium ſumpſiſſe videtur. Iis placamur, quos iudicio vicimus, aut manu: iis, qui iniuriam feciſſe aliquando fatentur: nec proinde iam immeritò ſe putant plecti: iis, quos vlciſci cogitamus, ſed ignoraturos punitionem putamus, aut non intellecturos damna. Vult ſiquidem iratus rei indigniſſimæ iuſtiſſimus vltor videri, & ab aduerſario ſentiri; quod ſi facturum non putet, iram reprimit. Ex quo in mortuos ceſſant iræ, quod vel extrema iam ſint paſſi, vel quicquid

eis facias,ignoraturi videantur. Ad hũc modum ſedaturus orator iram,tales efficiet auditores, & in eum animi habitum conformabit, quo præditi homines aliis facilè ignoſcunt, fauentque.

15. *Amor.* AMor affectus eſt, quo quis alteri ea vult,quæ bona putat, & quantum in ſe eſt, facit, & præſtat, non ſui, ſed illius gratia. Hæc beneuolentia, ſi reciproca ſit, vt qui amat, redametur, Amicitia eſt. Nam amici ſunt, quorum alter alterius bonis gaudet, maliſque dolet,& eius quidem, quem amat, non ſui cauſa: & qui eadem ſibi bona, mala. que eſſe interpretantur: qui eoſdem tũ amicos,tum inimicos habent.Nam velle alteri,quod tibi optes,certum amicitiæ eſt argumentum, & charitatis,& dignæ,quæ redametur,beneuolentiæ.

-Volſcens ſimul enſe recluſo
Ibat in Eurialum: tum verò exterritus amens
Conclamat Niſus,nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
In me me, adſum,qui feci, in me conuertite ferrum,

O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus,
Nec potuit: cælum hoc, & ſydera conſcia teſtor:
Tantum infœlicẽ nimũ dilexit amicũ.

Amantur, qui in nos, aut eos, quos diligimus, ſunt liberales, præſertim, ſi magna, ſi libenter, ſi temporibus idoneis beneficia contulerint: qui benefaciendi voluntatem habent: qui, ſi non dederint, dare velle vidẽtur: amicorum amici, & quos porro hi diligunt: vt qui, quos odimus, & ipſi odernnt: qui noſtris inimicis inimici ſunt: quibus eadem conducunt nobiſcum, ac proinde volunt: qui in neceſſitate opem pecuniariam ſufficiunt: qui in periculis ſubſidium ſaluti afferunt. Sic amantur, & coluntur liberales, & fortes; qui iuſtitiæ opinionem concitarunt: qui de ſuo viuunt, aut cenſu, aut arte, aut labore. Nam hi ab iniuria videntur alieniores; quales ſunt agricolæ, & opifices: qui modeſti, qui non curioſi, qui amici eſſe volunt, & velle videntur; quales ſunt, qui virtute excellunt, & clari, vel apud omnes, vel apud optimos, vel apud eos, quos ipſi Amantur.

admirantur, & in iis, in quibus ipſos admirantur: qui temperantiores; qui in conuictu, & tota vitæ conſuetudine iucundi, & faciles, non contentioſi, non pertinaces, non pugnaces, non moleſti, non caſtigatores alienæ culpæ: qui in ſe liberius dici patiuntur, aut in ſeipſos dicunt: aut vrbana quadam libertate ſalis aliquid aſpergere norunt: qui noſtra laudant, & ea præcipuè, quæ non ineſſe nobis, aut minus ineſſe plerique putant: culti, & elegantes, & mundi facie, veſte, tota vita: qui non exprobrant errores, aut beneficia: qui maleficia obliuiſcuntur, quoniam facilè reconciliantur: qui non maledici, qui nec aliena, nec ſuæ ipſorum mala, ſed bona tantùm commemorare ſolent: qui non aduerſantur iratis: qui ſerio agentibus, quaſi concertant: quibus admirationi eſſe videmur: qui nos virtutibus ornatos putant: qui congaudent iis potiſſimum in rebus, quibus volumus admirabiles videri, & præ aliis eximii: iucundi, & qui ſimiles ſunt moribus, & ſtudiis, eademque profitentur, niſi alter alteri incommodet, &

q

eadem ex re ſubſidia vitæ quærat. Hoc enim pacto figulus figulo inuidet: qui eadem ſectantur, & cupiunt, ſi tamen ex æquo haberi ab vtroque poſſint. Secus enim in inuidiam relabuntur: quibuſcum, tanquam nobiſcum, ea facere non erubeſcimus, quæ non reipſa quidem mala, ſed hominum opinione turpia vulgò habentur, & quæ apud alios erubeſceremus: qui noſtra laudantibus applaudunt: qui ſunt rerum noſtrarum æmuli, & imitatores: qui amicos abſentes æque, ac præſentes, qui rebus aduerſis oppreſſos, qui mortuos amant, & colunt: quibus bona adſunt, quibus maiora propellunt mala: qui in amicos cōſtanti ſunt beneuolentia, ſtudio. Nam ex omnibus bonis, boni amici præcipuè diliguntur: qui nihil fingunt, nihil diſſimulant; qui nihil, nec ſua celant mala. Hoc enim eſt bene ſentientis, & fidentis, & minimè timentis argumentum: qui non verentur. Sūt enim amantibus ſimiles, qui non timentur. His enim cōfidimus. Beneuolētiam faciunt, ſodalitas, conuictus, domeſtica conſuetudo, propinquitas, affinitas, gratia, & maximè beneficētia, nullo enim próptius,

quàm beneficio adiunxeris aliquem: ſi non rogatus facias quidpiam, nec precibus expectatis: tum ſi poſtquam dederis, nulli indices. Nam qui alteri indicat non amici gratia, ſed vt auctor haberetur, feciſſe videbitur.

16. *Odium.* ODium amori contrarium, quo alterum, aut verè malum, aut opinione noſtra malum, de nobis, aut noſtris, de Rep. malè merentem, aut meritum, aut meriturum auerſamur, eique malum volumus, facimuſque eius lædẽdi, perdendique gratiâ. Cietur contrariis omnibus, quæ de amore dicta ſunt. Gignitur ex ira, contumelia, criminationibus, calumniis. Eſt iræ perſimile. *Differentia iræ & odij.* Nam vterq; affectus malum parat: ſed differunt multis. Etenim ira ex iis accẽditur, quę in nos, aut noſtros compe tũt: odium etiam ex iis, quæ nihil ad nos pertinent, ſi tantum nobis in animũ inducamus, eum, quem proſequimur, eſſe malum, furem, maledicum, improbum. Ira in ſingulos fertur, odium in vniuerſos deſæuit. Ira tempore ſanatur: odiũ inſanabile eſt. Ira dolorem afferre, qui ſentiatur ab eo, in quẽ pœna expetitur,

cupit,

cupit: Odium, ſentiatur malum necne, non curat, modò quem odit, quibuſcũque modis affligat, perdatque. Ira cum dolore coniuncta eſt. Nam ex contumelia ſibi allata iratus conficitur mœrore. Odium mœroris expers. Ira perſæpe commiſereſcit, vt, ſi in quem exarſerat, oppreſſum magnis malis videat. Odium vel in maximis inimici ærumnis gaudet. Ira iniuriam tantum reponere vult, & talionem reddere: Odium extingui, & plane non eſſe, quem odit, optat. Ex his facultas ſumi poteſt amicos, & inimicos dignoſcendi: &, qui sũt conciliandi, adiũgendique, ſi expediat; & quos eſſe non ſit commodum, diſtrahendi: &, ſi propter iram, aut inimicitias dubii adhuc aliquid videatur, in quam voles partem impellendi.

--ſtetit acri fixa dolore,
Tum quaſſans caput hęc effudit pectore dicta (ctris.
Heu ſtirpẽ inuiſam, & fatis cõtraria noFata Phrygum! num Sigæis occumbere campis? (uit
Nũ capti potuêre capi? nũ incẽſa cremaTroia viros, medias acies, mediosq; per ignes

Cç

Inuenere viã? at credo mea numĩa tãdẽ
Feſſa iacẽt: odiis haud exſaturata quieui
Quin etiam patria excuſſos infeſta per vndas (nere ponto.
Auſa ſequi, & profugis toto me oppo-
Abſumptæ in Teucros vires cœlique, mariſque. (Charibdis
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vaſta
Profuit? optato cõdũtur Tybridis alueo
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanẽ Lapithũ valuit, cõceſſit in iras
Ipſe Deum antiquã genitor Calidona Dianæ. (Calidone merente?
Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut
Aſt ego magna Iouis coniũx nil linquere inauſum (nia verti.
Quæ potui infœlix, quæ memet in om-
Vincor ab Ænea, quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod vſquã eſt. (mouebo.
Flectere ſi nequeo, ſuperos Acheronta

Metus. Metus eſt animi dolor, atq; perturbatio ex apprehenſione mali imminentis; aut propinqui, quod dolorẽ, vel perniciẽ afferre videatur, quodque auertere, & effugere ſit difficile. Nõ oĩa

timem⁹ mala, vt iniuſtitiã, aut tarditatẽ, amentiã: ſed quę magnũ dolorẽ, aut dãnũ afferũt, & quæ non longe abſũt: Nã remota etiã certo euẽtura, vt mors, non metuũtur: & periculũ eſt appropinquatio mali. Timorẽ afferũt, quæ magnã ad perimẽdũ, aut nocẽdũ vim habẽt, à quibus periclitamur. Iræ, & inimicitiæ potẽtiũ; Iniuſtitia armata; & habens vires; Virtus affecta cõtumeliis, ſi vires nõ deſunt: ij, quorũ in poteſtate eſt nobis nocere: ij, quibus ſubſumus. Nã veremur, ne quæſtu, metu, aliqua ratione inducti nobis aliquãdo noceãt: qui ſciũt quidquã factũ perperã: Timentur enim, ne enũtiẽt, aut deferãt: qui paſſi ſunt iniuriã, aut pati ſe putant: qui opportunitatẽ expectãt vlciſcẽdi: qui de re certãt, cu i⁹ ambo cõpotes eſſe nõ poſſunt. qui à maioribus timẽtur, etiã minoribus ſunt terribiles: quos maiores timent, & qui maiores interemerũt: quietſi inferiores ſint, eo ſæpe metuũtur, quod vereamur ne aucti virib⁹ nos aliquãdo adoriãtur. Ex iis, qui affecti ſũt iniuria, & inimicis, & aduerſariis, magis formidabiles ſunt tranquilli, diſſimulatores, non acutæ

iræ, & minaces. Malorum ea ſunt terribiliora, quæ, cùm euenerint, non poſſunt emendari: aut quibus mederi poſſunt aduerſarii tãtum: quæ, cùm in aliis fiant, aut immineant, miſerabilia ſunt. Qui ſe nihil pati poſſe, aut contra iniuriam ſatis tectos eſſe, aut amicis ſeptos putant, non formidant: item diuites, & potentes, & quorum res tanquam ſupra fortunam poſitæ videntur: qui ſe iã extrema paſſos exiſtimant: quorũ ſpes omnis extincta eſt. Timor enim ad conſulendum inducit, & nemo conſulit, de quibus ſpes nulla. Qui ſe aliquid paſſuros arbitrantur, & ab iis, & eo tẽpore, & loco: qui ſe expoſitos multorum, & potentum iniuriis. Ita orator, cùm opportunum erit timorem incutere auditoribus, tales eos reddet, vt credant ſe pati poſſe, cùm & alii maiores paſſi ſint: ſimiles aut pati, aut paſſos oſtendet, & ab aliis, à quibus non putabant, & hæc, & cùm non putabant.

Qui timẽt, & non timent.

18. *Securitas.*

SEcuritas eſt, qua aduerſus impendẽs periculum, aut malum infractus, & imperterritus conſiſtit animus ſpe ſuperandi, aut quoquo modo effugiendi.

Naſcitur ex contrariis eorum, quę metum afferunt, cùm quis cogitat, quę nocere queant, vel nulla eſſe, vel procul, & quæ ſalutem afferre poſſint, prope eſſe: aut mala eſſe talia, quæ auerti facilè poſſint; aut corrigi, aut contra ea auxilia haberi, vel multa, vel magna: cùm aduerſarios, aut æmulos ſibi vel nullos eſſe: vel ſi qui ſint, infirmos eſſe, aut ſi vires ad nocendum habent, eos nolle id facere, quod iis beneficiũ dederint, aut ab iis acceperint: cùm quibus eadem cõducunt, plures ſunt, aut potentiores. Securi quoque ſunt, qui multa geſſerunt, & ea ſine periculo: aut cùm in multis periculis fuerint, euaſerunt: qui à paribus, aut à minoribus, quibus ſe præſtare putant, periculum fieri vident: qui vel eorum æquales, vel inferiores eos vicerunt: qui plura, & præſentiora habent ſubſidia pecuniarum, virium, amicorũ, cuſtodiæ militaris, comitum, oportunitatum loci, tẽporis, apparatus: qui nullius in alios iniuriæ, vel in perpaucos, vel non in eos, à quibus metuere poſſint, ſibi conſcii ſint: qui ſuperis fauentibus, & propitiis aliquid aggredi vi-

dentur: quibus omina fauſta ſunt oblata, & reddita oracula. Nam dij videntur iuſtam adiuuare iram, quæ fidentesfacit vel audaces: qui præueniunt, iniuriáq; priores faciũt: qui nihil vel paſſuros, vel ſe perfecturos, quod ſuſcipiãt, ſperant.

PVdor, ſiue verecundia, dolor eſt, & animi quædam perturbatio ex
19. imaginatione præſentium malorum,
Verecũdia. aut præteritorum, aut futurorum, quæ ignominiam afferunt, & dedecus. Impudentia contraria verecundiæ, quæ hæc parui pendit, & imperterritum aduerſus ea facit animum. Pudorem ciẽt,
Quæ pudorem mouẽt. quæ nobis, aut ijs, quos habemus in pretio, dedecori eſſe poſſunt, qualia ſunt, quæ à vitio manant, vt in acie clypeum abijcere, fugere, depoſitum negare: quibus, quandò oportet, aut non oportet voluptatem capere. Quæſtum ex paruis, & ſordidis rebus facere, aut ab impotentibus, vt pauperibus, mortuis: amico cum poſſis non opitulari: aut minus opitulari ab ijs iuuari, quibus minor eſt facultas: mutuum accipere, cùm petere videaris; & petere, cum exigere; & exigere, cùm petere; & lau-

dare, vt petas: petere, & non conſequi: præſentem in os laudare: bona extollere impenſius, & mala eleuare, aut ſupprimere: dolenti vehementius affectatè condolere: labores non ferre, quos aut ſeniores, aut, qui in delitiis viuunt, aut in poteſtate maiore ſunt, aut imbecilliores, & à quibus non expectetur, ferant. Beneficium ab alio accipere, &, quæ dederis, ſæpius commemorare, atque exprobrare: de ſe multa dicere, & polliceri, & aliena ſibi arrogare, & quaſi propria prædicare: eorum bonorum expertem eſſe, quæ vel omnes, plurimi, vel pares, eiuſdẽ ciuitatis, ætatis, cõditionis, gentis, familiæ habeant, eò, magis verendum eſt, quò magis in culpa eſſe videtur, qui caret: patientem eſſe, aut pati, aut paſſurum eſſe, quæ ignominiam, & probrum inurunt: vt ſunt, quæ ad miniſteria corporis pertinent, vel operum obſcœnorum. Quia verecũdia imaginatio eſt ignominiæ, & ſiniſtræ opinionis de nobis, non dãni euẽturi eos neceſſe eſt, vereamur pręcipuè, qui nos magni faciunt, aut quos multi ducimus aut admiramur, & à quibus in

pretio haberi volumus: quorum opinionem non contemnimus:qui habent ea,quorum quædam vehementer expetimus: qui prudentes, qui ſenes, qui eruditi, & ſimiles, quorum veriora, & grauiora videntur iudicia: quorum in oculis ſumus: qui nos cuſtodiunt: qui famuli ſunt. Nam verecundia eſt in oculis: qui non ſunt turpitudini obnoxii:qui non facilè ignoſcunt:qui multis enuntiant,quæ ſciunt,quales ſunt iniuriis oppreſſi, & maledici: qui vitam in peccatis aliorum agere videntur: quales ſunt Satyrici, & Comœdi: qui nos benignè ſunt complexi: quos nihil vnquam fruſtra rogauimus: & per quos, ad nos amantium cognitionem ſit peruenturum; vt ſerui ſunt, & amicorum amici; apud notos enim nos verorum flagitiorum pudet;& ignotos apparentium etiam, ad quos non ſit peruentura veritas, aut iuſta excuſatio; mouemur, & pudore afficimur quando adſunt, aut non longe abſunt, aut ſenſuri ſunt illi, quos præcipuè veremur: qui nos magni putant, & laudant noſtra, tum quando iam res, vel noſtræ, vel eorum,

quorum infamiã ad nos pertinere putamus, vt parẽtũ vel eorũ quos aliquãdo docuerimus, vel quibus auctores fuerimus: qui pares nobiſcum de honore, & dignitate certant: ſi ex propinquo futurum eſt, vt res in publicum emanet, atque ab omnibus cognoſcatur.

GRatia eſt animi ad alterum propẽſio voluntaria, non ex meritis eius nata, non vlla in poſterum compenſationis ſpe; ſed ex ſola donantis benignitate, & quia gratus ſit, & iucundus is, cui dat, eique benefacere ſtudet, quem & proinde ſibi hoc nomine potiſſimum obſtringit magis, ac minus pro doni magnitudine, ac modo. Huius tractatio dati beneficii amplificatione, aut extenuatione continebitur. Beneficium maius, minuſue æſtimatur, quod magis egenti: quod vehementius, & magis cum dolore expetenti, vt cùm homines in amore, corporis vexatione, paupertate, exilio, periculis conſtituti ſunt, datum ſit. Nam res modicæ nonnunquam pro loci, temporis, egeſtatis, aut deſiderii qualitate magnitudinem habent: ſi magnum, & ad

20. Gratia.

Gratia ratio.

præſtandum difficile: ſi, qui dederit, primus, ſolus, ſi cum alacritate, ſtudioque maximo largitus ſit. Extenuatur beneficium; ſi caſu, neceſſitate, ſi ſua ipſius gratia dederit: ſi repudiarit potius, quod meritò debebat: ſi paruum, nec quantum, nec quale decuit: ſi intempeſtiuè, nec loco datum. Signa minus propenſi animi ſunt, ſi tunc minus, quàm olim; ſi inimicis eadem, æqualia, aut maiora collata ſint: ſi cùm quis rerum, quas tribueret, vitium ſciret, obtruſerit tamen, extrudendi potius, quàm ornandi, aut iuuandi cauſa.

21. *Indignatio.* INdignatio eſt affectus animi, qui dolet rebus alterius præter meritum feliciter ſuccedentibus. Laudabilis eſt affectus indignationis, & probæ indolis ſicut & miſericordiæ. Nam ſicut rebus alterius immerenter afflicti condolere humanum eſt: ita eius, qui indignus ſit, bonis ſimiliter & dolere, iuſtum. Vnde tributa Dijs indignatio, non inuidia, quæ dolet benè merentis, & digni, qui par ſit, & ſimilis, felicitate. Qui indignorum rebus proſperis, ijſdē

Diſcrimen inuidiæ & indignationis.

aduerſis aut lætabitur, aut non dolebit. Item ſi ei, quem dignum exiſtimet, ſecũdæ res euenerint, gaudebit. Indignamur, ſi diuitię, potentia, ciuilis magiſtratus, honores, & ſimilia, quibus tamen viri boni digni ſunt, malè collata videãtur: ſi nuper exorta, & non iam olim à parentibus accepta. Exulibuſne datur ducẽda Lauinia Teucris? O genitor, nec te miſeret natæque tuiq;, Nec matris miſeret, quam primo Aquilone relinquet Perfidus alta petens abducta virgine prædo. Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum, Et conſanguineo toties data dextera Turno? Nam hæc feruntur permoleſtè in nouis hominibus: at, qui olim ea ſunt conſequuti, iure quodam habere videntur: ſi probis ea contigerint, quæ eorum modum excedant, aut ad quæ proportionem non habẽt. Si cum ſuperiore, ac in eo præcipue contendat inferior, quo alter lõgè excellat: ſi non in eodem genere; vt ſi muſicus cum Imperatore comparetur. Quod imperatoria ars longe præſtet muſicæ. Indignantur facilè; ſi maximis bonis digni ſunt, eaque iam poſſident,

Quibus indignatio mouetur.

Nam iuſtum non eſt, vt qui non ſint ſimiles, ſimilia tamen aſſequi: qui egregiè probi ſunt, & virtute præditi: qui quo rectius iudicant, id, quod eſt iniuſtum, oderunt magis: qui magiſtratuum, & honorum ambitioſiores ſunt, hos deferri vidēt iis, qui indigni ſint: denique quicunque ſe quibuſdam rebus dignos magis fuiſſe putant iis, qui anteferuntur. Proinde carent ferè indignatione ſerui, & ſeruili ingenio, & praui homines, & humiles, & abiecti, & honorum cōtemptores. His orator vtetur aduerſus eum, qui iudices miſericordia occuparit, cùm oſtendet eum, pro quo ſiç actum ſit, indignatione potius, quàm miſericordia dignum eſſe.

21. *Inuidia.* INuidia eſt dolor de alterius felicitate, cùm nolumus aliquem nobis ſimilem, aut ferè parem talium rerum ſucceſſu frui. Eſt affectus prauus. Nō enim æquum eſt dolere quemquam, niſi ſuo, aut ſuorum malo. Inuident iis, quibus, aut ſunt, aut videntur ſimiles, genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria, meritis, loco, dignitate, diuitiis: iis, quibus parum deeſt, ne omnia teneant, quare

magna gerentes, & feliciter, inuidi sũt, qui putant ſua ab omnibus aufferri: qui re aliqua honorantur, & maximè ſapiẽtia, & felicitate excellunt: qui ſunt ambitioſi: qui ſe ſapientes videri putant: qui ex re aliqua gloriam quærunt: qui puſillanimi ſunt, his enim magna vidẽtur omnia. Cùm hic affectus vigeat inter eos, qui rebus aliquibus non multũ diſtant. iis non inuidemus, qui multis ante ſæculis vixerunt: vel longo poſt tempore naſcentur: nec procul gentiũ ſummotis: nec longo inter ſe conditionis, ſtatus, meritorum interuallo diſtantibus. Neque enim plebeius regi inuidet: ſed iis, cum quibus certamen honoris, excellentiæ, dignitatis, lucri, & ſimilium. Ex quo faber fabro inuidet: rerũ noſtrarum æmulis: & aliquid conantibus, quod ſi perficiant, nobis probrum futurum ſit: iis, quibus cùm pares eſſemus, paria tamen non habere, noſtra eſt aliqua culpa: iis, qui adepti ſunt ea, quæ nos habere, & quibus excellere conuenientius videatur: ſic iunioribus nonnunquam ſenes inuident: iis, qui nullo prope negotio, & ſumptu conſequuti

ſunt ea, quæ nos vix ſummo ſtudio, & ſumptibus maximis habemus. Non inuident magnanimi, qui de quibus inter ſe homines contendunt, vel non tanti faciunt; vel ſi ea digna eſſe exiſtiment, ad ea conſequenda magno ſe animo comparant: ijs, qui ea poſſident, aut habent, quæ nos habere oportuit, vel quæ ipſi aliquandò poſſidebamus. Propterea ſenes iunioribus, inuident. Inuidia quędam inuidum reddit, alia inuidioſum facit: ſic vt hoc hominis ſit: illud rei: perinde metus duplex, quem patimur, & incutimus.

Qui non inuident.

23. *Æmulatio.* ÆMulatio eſt dolor de aliena proſperitate, cùm bona, & honorabilia, & quæ nos aſſequi poſſemus, in aliis eſſe videmus, & dolemus, non quod alij habeant, ſed quod non eadem conſequuti ſumus. Affectus eſt, qui ad res præclarè gerendas nobis ſtimulos admouet. Æmulantur, qui illis ſe dignos putant bonis, quę non habent, & adipiſci poſſe confidunt: quales ſunt iuuenes, & magnanimi, diuites, quibus amici ſunt: qui ea poſſident, quibus celebres viri digni ſunt,

Qui æmulantur.

vt ſunt diuitiæ, multorum gratia, principatus: & quorum maiores, aut propinqui, aut domeſtici, aut genus, aut patria præclara fecerunt: quibus enim illi excellunt, iiſdem & ſe excellere digniſſimum putant: qui iis bonis ornati ſunt, quæ probis tantum conueniunt, quaſi ad ſe pertineat tales eſſe, & propterea virorum præſtantium æmulos. Sunt bona, quorum æmulatio nos excitat, honorabilia omnia, virtutes, & quæ aliis vtilia, & ad benignè faciendum idonea, & ea quibus fruimur: vt diuitiæ, & forma magis, quàm ſanitas. Eorum enim præcipue ſumus æmuli, qui talia habent bona; vt fortium, & ſapientum: & eorum, qui aliquo munere fungentes, quamplurimis vtiles fuerũt: quales ſunt Imperatores, Oratores, & qui habent magnam opitulandi aliis facultatem; & quos multi admirantur, & quibus vel ſimiles eſſe, vel amici ſtudent: quorum laudes à poetis; hiſtoricis, & oratoribus celebrantur. Contemnuntur (nam æmulationi contrarius eſt contemptus) qui honorabiliũ bonorum nihil habent: aut quib⁹ cõtraria ex qua & fortunatos ſæpe contemnimus, *Contẽptus.*

ſi bonis honorabilibus, quibus aliis vtiles, & ſpectabiles ſumus, eorum fortuna careant.

VT orator affectus cieat, aut reprimat prudenter, & moderetur auditores vtiliter ad cauſam, prouideat ante omnia apud quos negotium orandi ſuſcipiat, atque ad eorum ingenium inuentionem ſuam accommodet. Itaque ſpectabit ætates, vt iuuẽtutem, ſenectutem: ſpectabit & fortunam ſecundã, & aduerſam, nobilitatem, potẽtiam, diuitias. Ex harum namq; rerum diſcrimine varii ſunt hominum motus, & inclinationes animorum. Iuuenes ſunt cupidi, & facere prompti, quod concupiſcunt: libidini, voluptatibuſque intemperanter deditis: mutabiles, nam cupiditatem facilè ſequũtur; ita citò faſtidiunt: vehementer cupiunt, & repentè ceſſant: magis voluptates acutas, & acres habẽt ſenes, quàm magnas, & fixas, vt ęgri famẽ, & ſitim: sũt & iræ ſubitæ, & incitatæ, & prõpti facere, quod impetus animi cõmoti ſuadet: nam cætera inuicti, ab ira vincuntur.

24. Vt affectus tractet orator.

Mores iuuentutis.

Tũ verò exarſit iuueni dolor oſſib⁹ ingens,

Nec

Nec lachrymis caruere genæ, ſegnemque Menœtem,
Oblitus decoriſque ſui, ſociũq; ſalutis
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Natura elati, & contumeliæ impatientês, & iniuriæ;in ambitu inuicti; honoris ſunt auidi,victoriæ; pro quibus contendunt acriter. Nam excedere iuuentus cupit: pecuniæ minus cupidi, quod nullum adhuc inopiæ periculum fecerint. ſimplices ſunt,& aperti,creduli,nec malitioſi, nondum multorum verſutiis falſi:ſpei ſemper bonæ; tales enim facit natura percalidos, quales temulentos vinum:&, qui multum futuri temporis ſupereſſe putant,ferè ſpe viuunt: qui & decipiuntur facilè: quippe qui leuiter ſperêt: qui ad pericula fortes, quoniam iracundi, & ſpe pleni. Ira namque metum depellit; ſpes, vt confidant, facit: Verecundi, nam de honeſtis parum adhuc rectè iudicant, & niſi quod leges perſcribunt, in quas ſæpe peccant: Magnanimi, ſiquidem quos expertes periculorum nondum caſus vitæ afflixerũt: in actionibus honeſta potius eligunt,

quã vtilia. Nam moribus viuunt potius, quàm ratiocinatione, quæ vtiliũ, vt illi honeſtatis: amicorũ, & ſodaliũ ſunt ſtudioſi, propter conuictus, & iucunditatis conſuetudinem: modũ in omnibus excedunt: aut enim minus amãt, aut oderunt: ſcire ſe putant omnia, & affirmant: iniurias ad contumeliam faciunt, non malitiam, aut detrimentum: ad cõmiſerationem prõpti, quod omnes probos arbitrentur, quos ex ſuæ ſimplicitatis modo metiũtur: riſ⁹, & facetiarũ sũt amã-

Quid dicacitas. tes, & idcirco dicaces. Eſt enim dicacitas

Mores ſenectutis. caſtigata, & erudita cõtumelia. Senes, & ætate prouecti habent mores, vt plurimum contrarios. Si quidem multos vixerunt annos, & in multis errarunt, & decepti ſunt, & vitia rerũ humanarum norunt.

Olli ſedato reſpõdit corde Latinus,
O præſtans animi iuuenis, quãtum ipſe feroci (eſt
Virtute exuperas, tãto me impẽſi⁹ ęquũ
Conſulere atque omnes metuentem expendere caſus.

Proinde, aut nihil, aut tardius affirmãt: aut cũcta minoris æſtimant: nihil ſciũt:

ſemper ambigũt, vtuntur vocibus, quæ aſſertionẽ tollũt, forſan, fortaſſis, ni fallor, ſi rectè memini: malitioſi ſunt, & cũcta in deterius ſuſpicãtur: ſuſpicioſi sũt, quia increduli: increduli ſunt, quia experti: neque amãt, neq; oderũt nimiũ; ſed oderũt, vt amaturi: puſillanimi ſunt, nec magnarũ, nec illuſtriũ rerum, ſed tãtum vitæ neceſſariarũ cupidi: proinde ſunt illiberales, tum quia diuitiæ ex neceſſariis ſunt: tum quia ſciũt, acquiſitionem earum eſſe difficilem; iactúram verò facilẽ: timidi ſunt, & ad pertimeſcendum cuncta, parati. Nam ſenectus propter frigus viã aperit timori: vitæ cupidi ſunt maximè, vel extremis diebus: queruli ſunt, moroſi, difficiles, acrius accuſant, quam oportet: vtilitatis, quã honeſtatis maiorem ducunt rationẽ: quia ſeipſos amãt maximè: inuerecũdi ſunt: nam exiſtimationẽ cõtemnunt, nequaquam ſimiliter de vtili, & honeſto iudicantes: malæ ſpei ſunt, & propter experientiam, & propter timiditatem: viuunt memoria magis, quàm ſpe: loquaces ſunt, & præterita memorantes voluptate afficiuntur: iræ ſunt acutæ,

ſed infirmæ, & cupiditatis, excepto lucri deſiderio, & habendi: ad modeſtiā ſunt apti cupiditatibus repreſſis: iniurias acceptas potius ad detrimentum, quàm ad contumeliam referunt: ſunt miſericordes, ſed non ex eadem cauſa, qua iuuenes. Nam illi ex humanitate: ſenes ex infirmitate, quod eadem ſibi impendere putent: à riſu, facetiis, & iocis alieni, graues ſunt, & difficiles. Conſtans ætas, quæ inter iuuentutem, & ſenectutem, fugit exceſſum vtriuſque ætatis. Ita, qui eam agunt, nec feroces, nec timidi ſunt immoderatè: ex veritate iudicant nequaquam increduli, nec parci, nec prodigi, & rebus accommodati: nec iraſcũtur impotenter, nec cupiunt: non ad honeſtatem ſolam, nec vtilitatem, ſed ad vtramque ſua comparant: modeſti cum fortitudine; & fortes cum modeſtia; cùm iuuenes ſint fortes, & immodeſti; & ſenes modeſti, & timidi. Denique quod vtraque illa ætas ex vtilibus habet; iſta moderatum, & contra iuuenum ardorem, atque leuitatem, & vltra ſenum langorem temperatum cõtinet. Viget corpus viri ab anno ætatis triceſi-

Mores ætatis virilis.

mo, ad annum vndequinquageſimum. 25.

Nobilium mores.

FOrtuna mores, & affectus mutat in natura hominum. Nam nobiles ſunt ambitioſi: alios, prę ſuis maioribus, contemnunt: Diuites ſunt, contumelioſi, ſuperbi, delicati, arrogantes, plurimi ſe facientes, & amantes, dignos ſe putant principatu, quippe qui ea habeant, quorum gratia dignum exiſtimant ſe cæteris dominari: quæ ipſi, ea cæteros æmulari putant. Nuper locupletati, ſunt pridem diuitibus deteriores: & iniurias faciunt non ex malitia, ſed ex contumelia, & intemperantia.

Potentes diuitibus meliores.

Potentes eoſdem ferè cum diuitibus mores habent, ſed meliores. Sunt enim honorum cupidi, & viriliores; quàm diuites: ſunt & diligentes magis, honeſtiores, quàm moroſiores. Eſt enim honeſtas mollis, & compoſita moroſitas:

Quid honeſtas.

ſi faciunt iniuriam, non in paruis, ſed in magnis: ſuperbi magis, & minus propter proſperitatem fortunæ: ſunt erga Deum pij, afficiunturque quodammodo ad ipſum propter bona, quæ conſequuti ſunt diuinitus.

26\. QVæ in creandis, ſedandiſque animorum permotionibus, & omnium ætatum, & fortunarum moribus ſequi conueniat, & facere oratorem, præcepi. Ex quibus intelligit argumentorum, & rationum copiam ſumi ex natura cauſæ controuerſæ: at animis auditorum afferre vim; & à veri contemplatione mentes abducere ſuum opus proprium eſſe videt. Nam probationes efficiunt, vt cauſam meliorem putent auditores: ſed affectus præſtant, vt etiam velint eſſe meliorem: &, quia velint, credant. Siquidem, cùm iraſci, fauere, odiſſe, miſereri ceperunt; agi in rem ſuam exiſtimant. Et ſicut amantes de forma non rectè iudicant, quia ſenſum oculorum fallit amor: ita omnẽ veritatis inquirẽdæ rationem iudex amittit occupatus effectibus, & velut rapido cedit amni. Etenim commotus ab oratore quid ſentiat ſedens adhuc, & audiens confitetur, & palam dicit ſententiam animi perturbatione victus. Proinde orator rapiat eùm in omnem animi habitum, & dicto flere, iraſcique cogat; huc incumbat, hoc opus eius ſit,

Propriũ oratoris mouere affectus.

Vis affectuum.

hic labor, ſine quo ieiuna, & infirma ſunt omnia, & ingrata. Per hæc dominetur in conuentu hominum: per hæc exprimat eloquentiam: per hæc ſpiritum operis oratorii foueat. Hoc vt conſequatur, totius cauſæ ſuæ vires ſibi ante oculos ponat: & cùm viderit quid inuidioſum, fauorabile, inuiſum, miſerabile aut ſit in rebus, aut poſſit videri; ea dicat, quibus ſi iudex eſſet, ipſe moueretur maximè. Summa enim mouẽdorum affectuũ in hoc eſt, vt ipſi moueamur. nã irę, luctus, indignationis ridicula eſt imitatio, ſi verba, & vultus tantum accommodentur, nõ etiam animus. In iis, quæ vero ſimilia eſſe volumus, ſimus ipſi ſimiles eorum, qui verè patiũtur affectibus: & à tali animo oratio proficiſcatur, qualẽ facere iudicem eſt animus. Quippe ſolus ignis inflãmat, & humor madefacit. Vt autem afficiamur ipſi (nã motus in poteſtate non habemus) ita repræſentemus animo imagines rerum abſentium: vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur. Has quiſquis rectè concipit, & ſibi res, actus, voces ad veri modum fingit per Energiã;

is eſt in affectibus potentiſſimus. Accuſator, & defenſor iiſdem affectibus vtũtur: Sed defenſor rarius, qui flectere laborat: Accuſator ſæpius, & magis, qui concitare conatur auditorem. Hunc vterque ex æquo contendit ſibi adiungere, & auertere ab aduerſario, & ciere affectus, & moderari: Accuſator, vt incendat affectus, quod obiicit, facit vt quàm atrociſſimum, & maximè miſerabile videatur. Atrocitas creſcit per amplificationũ modos, quibus docet orator, quid factum ſit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, loco, modo. Quæ omnia penitus excuti poſſunt, & explicari variè. Oſtẽdet pulſatũ contumelioſè, & nefariè, ſenẽ, puerum, virginẽ, matronam, magiſtratum, probum, bene de Repub. meritum, ab humili, & contempto: vel contra potentem ſuperbiæ incuſabit, ſi quem minimè oportuit, affecerit iniuria: ſi die ſolemni, aut aliis temporibus, ſolicito rerum ſtatu, cùm iudicia exercerentur iis de rebus, in templo, in conuentu hominum, ſi non errore, non ira, non aliqua perturbatione animi, ſed conſultò quempiam

Accuſator vt affectibus vtitur.

violarit, in contentione honorum: ſi plus voluerit, vel atrocius lædere, quàm læſerit. Exponet inuidioſè modum rei grauem, contumelioſum ex vultu, ex habitu iniurii, ex ferro, igne, veneno, vulneribus aut pluribus, aut vno, ſubitò, expectatione. Conmonſtrabit aduerſarium contumacem, arrogantem, ſecurum factis, dictis, vultu, deſpectu, habitu. Adhibebit commiſerationem frequenter; & caſum eius, quem vlciſcitur, liberorum, parentum, coniugis ſolitudinem amplificabit: futuri tẽporis miſeriam effinget: qui caſus maneant eos, qui queſti ſunt de iniuria, niſi vindicentur: fugiendum eſſe patria, cedẽdum bonis, quæ libido inimici inuexerit perferenda. Cónabitur, commiſerationis, quam reus moturus eſt, expertem auditorem facere, atque ad fortiter, & ſeuerè vindicandum impellere. Occupabit & refellet, quæ dici à reo poſſe videbuntur. Sic enim iudices, & deliberatores ſuã fidem cuſtodiunt, & religionem, & gratiam reſponſuris præripiunt. Docendi ſunt, quid aduerſariis reſpondere debeant. Reum ad- *Defenſor quo modo affectibus vtatur.*

uerſus accuſantem tutantur dignitas, ſtudia egregia, adita pericula pro ſalute communi, nobilitas, merita maiorum, cauſa periculi honeſta, bonitas, humanitas, miſericordia, (nam meritò quis à iudice repetit ea, quæ aliis præſtitit) vtilitas Reip. iudicum gloria, conſequens exemplum ad memoriam poſteritatis. Miſeratio potēter flectit auditorem (vt oſtendi, & illachrymari nonnunquam cogit: ſumiturque ex ijs, quæ paſſus ſit, aut iam patiatur, aut patietur dānatus, aut repulſus, ex felicitate ſuperioris fortunæ, ex præſenti, & ſecutura calamitate, ex ætate, ſexu, liberis, parētibus, propinquis. Periclitantium, & neceſſariorum ſqualidus, deformatus, atratus habitus, & productio, & lachrymæ, & preces, gladius, equus, lecta oſſa, vulnera oſtentata, cruentæ veſtes, & verberata, & affecta corpora, inuocatio diuorum ex conſcientia puræ mentis profecta, ſummiſſio, genuum amplexatio, niſi conditio, & anteactæ vitæ dignitas prohibeat. In his, ſi auctoritatem tueri velimus, ne adſit nimia ſecuritas. Patronus poteſt ſumere habitū, & affectum

clientis ſui per proſopopeiam, & fictas orationes. Miſeratio ſit breuis, quia facilè ſedantur animi ſic affecti, nec diu quis aliena dolet.

QVi triſtes, & ſæuos affectus in animis iudicum inſitos volet diſcutere, moueat riſum ingenioſè, qui ſoluat ſeueritatem. Sed hæc facultas perdifficilis eſt. Nam ridiculũ ſæpè falſum, ſæpè induſtria deprauatum, ſemper humile, nunquam honorificum: denique varia hominum de eo iudicia, quæ non oratione, ſed motu quodam animi indicãtur, & produntur. Prouenit riſus à dicto, facto, animo, fortuitis, corporis tactu, deformitate, turpitudine; quæ cùm in alijs demonſtrantur, eſt vrbanitas, cũ in auctorem recidunt, ſtultitia. Hæc, aut oſtenduntur, cùm ridiculè eorum imago oculis ſubiicitur: vel narrantur, cùm vel faceta, vel dicaci, vrbana, jocoſa, ſalſa oratione perdocẽtur, quibus riſus oboritur? vel notantur dicto. Mouetur riſus nunc acutè, nunc vrbanè, ſtultè, iracundè, timidè dicendo, faciendoque. Sanè res leuis eſt, & à ſcurris, & mimis, & inſipientibus, 27. *Riſus.*

& agreſtibus concitatur : ſed habet vim imperioſiſſimam, & cui repugnari non poteſt. Erumpit inuitis ſæpè nulla ope adiutus, nec vultus, & vocis modò exprimit confeſſionem; ſed totum corpus vi ſua commouet, & rerum maximarum momenta vertit: odium, & iram frequenter frangit. Eius eliciendi induſtria, non tã in arte, & præceptis, quàm in natura dicentis, & occaſione inuenitur: in natura, quæ facit habilem, & acutum ad inueniendum : habetque proprium decorem in habitu, & vultu eius, qui vrbana magis, quàm alius, & promptè effundit : in occaſione, quæ tantam vim rebus imprimit, vt, vel indocti, & agreſtes ſalsè dicant in eum, qui prior argumentum ridendi dederit. Eſt enim venuſtas maior in reſpondendo, quàm in prouocando. Petimus riſum ex aliis, ex nobis, ex mediis. Aliena reprehendimus, aut refutamus, aut eleuamus, aut repercutimus, & eludimus. Noſtra indicamus, & aliqua ſubabſurda proferimus, quæ, ſi imprudentibus excidant, ſtulta: ſi ſimulantibus, venuſta ſunt. Media, quæ neutram perſonam attingunt

in decipiendis expectationibus, & dictis aliter accipiendis, & aliis. Ridicula facimus, aut dicimus. Facto riſus conciliatur admixta grauitate, vultu, geſtuque ridiculo, in quibus ſumma gratia, ſed maior, cùm riſus affectari non videtur. Seueritas multũ gratiæ dictis affert: fitq; ridiculum id ipſum, quia, qui dicit, non ridet: & tamen interim affectus, & habitus oris, & geſtus non inurbanus cum ijs modis cõtingit. Ridiculum, aut vrbanum eſt, quod ſermonem præfert, qui in verbis, & ſono, & vſu guſtum vrbis ſapit proprium: aut ſalſum, quod inſulſum non eſt, & velut ſimplex orationis condimentũ, quod ſentitur ludente iudicio, & à faſtidio vindicat orationẽ, & ſitim creat audiendi: aut venuſtum, quod cum gratia quadã, & venere dicitur: aut facetum, quod decoris, & cuiuſdam excultæ elegãtiæ eſt: aut iocus, qui eſt ſerio ſermoni contrarius, qui & fingere, & tenere, & promittere interdũ poteſt: aut dicacitas, quæ ſignificat ſermonem aliquos cum riſu inceſſentem. Proinde, quod dicitur in hoc genere, aut laſciuum eſt, aut hilare, aut contu-

Ridiculum multiplex.
Vrbanum.
Salſum.
Venuſtum.
Facetum.
Iocus.

melioſum, aut aſperum, aut lene. Diſcrimen locis, temporibus, perſonis adſit. Laſciua humiles, & indoctum vulgus facilius ferunt: hilaria omnibus cõueniunt. Ludus abſit, & fortunæ inhumana inſectatio, tum quia culpa caret, tum quia recidere in ipſos poteſt. Orator non diſtorqueat vultum, aut geſtum ritu mimorum: vitet dicacitatem ſcurrilẽ, & ſcenicam; & obſcœnitatem in verbis, & factis, & eius ſignificationem: tum ſi aliquando exprobret, non omni loco. Non dicat ſalsè, quoties poteſt, & dictũ perdat potius aliquandò, quam minuat auctoritatem. Dicat vrbanè, ſed ne id affectare videatur. Accuſator in atroci cauſa; nec patronus, qui iocetur, ferendus. Vitet, ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempori ſit alienũm, ne præparatum, aut allatum domo, quod dicitur, videatur. Ne laceſſat, quem lædere ſit periculoſum, ne inimicitiæ graues conſequantur, aut turpis ſatisfactio. Ne dicat, quod in plures conuenit, aut notat totam nationem, aut ordinem, conditionem, aut ſtudia multorum. Ea, quæ dicit vir

Quæ oratori vitãda.

bonus, omnia ſalua dignitate, ac verecundia decent. Eſt enim pretium riſus nimium, quod improbitatis opinionem compræhendit, & diſpēdium exiſtimationis. Ridicula, quæ in alios referuntur, petuntur ex verbis, & amphibologia non obſcura, nec conuerſa in maledictum ambiguitate. Hic ſæpè literæ adijciuntur, detrahuntur, mutantur. Acriora ſunt ridicula, quæ trahuntur ex natura rerum, in quibus maximè valet ſimilitudo, nunc aperta, nunc parabolæ coniuncta: item ex ſimili tranſlatio, cùm, quod in alia re fieri ſolet, in aliam rem mutuamur. Quæ ridiculis opponuntur triplicis generis ſunt ſeria, honorificum, vt Nihil ſolet obliuiſci Cæſar, niſi iniurias; contumelioſum, vt, Habeo, quem fugiam: quem ſequar, non habeo, inquit Marcus Tullius animi dubius inter Pompeij Cæſariſque factiones: medium, quod Apophtegmaticum eſt, vt, Neque grauis mors accidere viro forti poteſt: neque immatura Conſulari, neque miſera ſapienti.

Ridiculis contraria.

28. DIſpoſitionis rationibus explicatis librum tertium claudam. *Ea eſt apta rerum inuentarũ collocatio triplex: Vna partium orationũ; Altera locorum, & argumentorum; Tertia eſt argumentationum. Prima, quæ partium, bipartita eſt. Vna eſt naturalis, ſiue artis, qua naturalis ordo ſeruatur, quæ primo loco exordium collocat, cui & ſubiungit narrationem, & huic propoſitionem, tum confirmationem, deinde confutationem, denique concluſionem.* Qualis eſt collocatio partium Tullianæ concionis ad populum Romanũ pro Caij Manilij lege: *altera iudicij eſt, & prudentiæ, quæ ad caſum temporis accommodatur, qua nonnunquam exigente cauſa, ab artis ordine receditur, & vel pars aliqua orationis eſt omittenda, vel alia alij eſt præponenda.* Illa naturam, & cauſæ vim conſiderat: hæc perſonas, locum, tempus. Hunc ordinem complexus eſt defenſor Milonis Cicero. Etenim cauſam dicere exorſus refellit Clodianorum argumenta, & præiudiciis reum liberat: deinde narrat; proponit exin, tum confirmat, ad poſtremum perorat. Huius ordinis, & diſpoſitionis vſus crebrior eſt defenſori, quã actori.

Diſpoſitio eſt triplex.

Diſpoſitio naturalis.

Diſpoſitio prudentiæ.

Vſus diſpoſitionum.

Eſt

Eſt ſiquidem ferè neceſſe, vt quas impreſſit accuſator in animis iudicum opiniones, prius euellat, quàm inſerere poſſit ſuas patronus rei. Proinde Roſciam parricidij defenſionem aggreſſus orator exorditur, narrat, proponit: poſt hæc cõfutat. Negat enim voluntatem, negat facultatem paternæ cædis Sexto Roſcio fuiſſe: exin confirmationem ingreſſus, & veluti nouam accuſationem, declarat ſummam voluntatem, & facultatem nefarij criminis in Tito Roſcio Magno. *Locorum, & argumentorum diſpoſitionem ſuo inſtituit iudicio orator. Perſpecta namque argumenti natura ſtatuet, quã primùm in exordijs partem pertractari oporteat, docilitatemne prius, & attentionem, quàm beneuolentiam: & in beneuolentiæ collectione, quæ perſona prius aggredienda, noſtráne, an iudicis, aduerſarij, an rei: Item num prius res, aut adiuncta prius, quàm perſonæ ſint. Narratio naturalem rerum geſtarum ordinem deſiderat, vt facilis ſit, & perſpicua. Propoſitioni ſuã diſpoſitionẽ addidi: vt prior ſit ſeiũctio, & poſterior expoſitio aut enumeratio: deinde capita enumerationis, quo receſſentur, eo explicentur per cõfirmationẽ, & confu-* Diſpoſitio argumentorum.

tationem, & in concluſionibus repetantur, ordine. In ſingulis cauſarum generibus, quæ confirmationum diſpoſitio ſit, explicaui vberius. Cæterum in ijs, ea ſit argumentorum collocatio, vt firmiſſima primo, & poſtremo loco ponãtur vt initio moueatur iudex, & poſtremum probationum pondere impellatur: infirmiora in medium conijciãtur. Argumentationis hæc ferè diſpoſitio, vt Syllogiſmi prima ſit propoſitio, ex qua præcipua vis argumentationis emanat: habet enim quæſtionem vniuerſalem, ſiue theſim: hanc ſequatur Ratio, quæ propoſitum confirmat: tertio ſtatuatur loco Aſſumptio, quæ controuerſiam habet, & quæſtionem finitam: mox accedat Probatio per omnes locos cuiuſque ſtatus explicanda. Poſtremo inferatur Concluſio, quæ ratiocinationem perficit.

FINIS LIBRI TERTII.

RHETORICORVM LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

EXPOSVI PRAESES ILLVST. tribus libris inuentionẽ oratoriam, & diſpoſitionũ modos: reliquas tres officij oratorij partes duobus comprӕhendam. In priorem referam formulas elocutionis exornandę diſtinctius expoſitas: poſterior characteres, & figurã orationis, quaſi confuſam, & vniuerſam materiã conſiderabit; deinde ſtructuram, oratoriӕ circuitionis, denique memoriӕ, actioniſque perpauca pręcepta explicabit. *Elocutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarũ ad inuentionẽ accõmodatio*: Siue forma quӕdã, atq; habitus orationis ad rẽ ſignificandã aptior. Eſt enim eloqui,

Materia lib. 4. & 5. tractanda, eiuſque diſtributio.

Elocutio quid.

Quid eloqui.

omnia, quæ mẽte conceperis, promere, atque ad auditores efferre. Proinde inuẽtionis, & diſpoſitionis vana eſt cura, & ſimilis condito gladio, & vaginæ adhæreſcenti, ſi abſit elocutio. Hæc enim inſtar miraculi mouet mortales, & allicit. Nam pulcherrimum eſſe credimus, ea in re cæteris præſtare, qua ipſa hominum natura cunctis animantibus antecellit. Hanc proinde, cùm vulgus, vt diuinam admiretur, neque prorſus tamen aſſequi ſe poſſe deſperet: ſenſu quodam voluptatis afficitur, & ſibi familiarem, notamq; ſic amplectitur, & amat; vt magis tamen mente ſuſpiciat, quam imitetur ore, & maiorem animo ſpiritum, & de ſe ipſo excellentiorem opinionem concipiat, quàm ingenium, & vires ferant, & eruditio. Et quidni? Etenim Deus immortalis humano generi (cuius proprius, & perpetuus ſermonis vſus) omnium rerum præſtantiſſimum largitur ornatum eloquentiam. Nam ratio ipſa, quæ in mentis, & intellectus abditis recondita eſt; niſi eliciatur oratione, tantum ſplẽdoris præfert, quantum ignis abſtruſus in venis ſilicis

Eloquentiæ vis.

Vulgus admiratur eloquentiã.

Eloquentiæ præſtantia.

qui niſi excudatur calibe, nec vnquam ignis dicetur. Quamobrem, ſi velimus ab orationibus noſtris ſplendorem efſulgere, eloquentiæ formulas omnes, & modos inſpiciamus, & comprehendamus, atque ita exercitatione firmemus, & vſu promptos, facileſque habeamus, vt nobiſcum nati videantur. Hæc doceatur maximè: hác arte aſſequatur, quiſquis poteſt: huc ſtudium adiungat; huc exercitatio intendatur, huc imitatio, hic omnis conſumatur ætas: hac ſit orator oratore excellentior, hic genera dicendi, alijs alia præſtantiora, ſiue breuitate, ſiue plenitudine, ſiue neruis eſtimentur. Quæ hactenus primis ſunt libris tradita, vim habent inuentionis, ue induſtriæ, & conſilij laudem: ſed elocutione condiuntur vniuerſa, & cum magnifica, & diuite oſtentãtur pompa. Hanc, ab arte ſcientiam ſeparantes, artem dicendi appellamus. Alius eſt enim medicus à pigmentario, & chirurgo. Nam, ſicut à medico ſciẽtia capitur tempeſtiuæ ſectionis, vſtionis, potionis; à chirurgo autem ferrum abſconditur, ne refugiatur; à pigmentario

Elegantiæ neceſſaria ſunt ſchemata.

Ars eſt ſciẽtiæ diſtant.

Comparatur orator cum medicinæ profeſſoribus.

poculum attingitur, & imbuitur melle: ſic orator mores, & ſcientiã à philoſophi mutuatus, nunc arte tegit mentem, vt antè admittatur, quàm dignoſcatur: nunc argumentum, quaſi melle dictionis perungit, nunc alio, & alio modo omnia commiſcet, atque temperat, vti pigmentarius pro moribus perſonæ, & rei natura. Nam, ſi auditor veluti æger abhorreat, ſubſtituet aliud eiuſdem virtutis. Etenim ſi apertè dictum offendet; figura, aut tropo deflectetur. Eſt enim mun⁹ elocutionis, quod propriũ eſt oratòris, ornatè, variè que dicere, & ſplendidis potius, quàm fortibus armis pugnare. Sanè in vſu rerum, duas ſtatuit ſummas, ad quas omnis contendit hominum induſtria, vtilitatem, & elegantiam. Nec enim ſatis putamus veſtiri cõtra cœli frigorumque iniuriam, ſed ornatum, & ſpeciem addimus.

Officium oratoris.

2. Elocutionis propria. Elegantia. Latinitas.

ELocutio habere debet elegantiam, compoſitionem, dignitatem. Elegantia, quæ facit, vt vnumquodque purè, & apertè dici videatur. Ea diuiditur in latinitatem, & perſpicuitatem. Latinitas ſermonem purum conſeruat, & ab omni vitio remotum, & ornatè, & propriè dicentum conſuetudini reſpon-

det, vt, P. Terentij, vt loquaris: Iulij Cæſaris, vt narres, Tullij Ciceronis, vt dicas. Perſpicuitas apertam, & dilucidam orationem reddit, quam conſequimur vſu verborum, quæ verſantur in ſermone, & conſuetudine quotidiana, & vſu propriorum, quæ eius rei verba ſunt, aut eſſent, de qua loquimur. Compoſitio eſt verborum apta, & concinna, ſuauiterque numeroſa, conſtructio, qua lenis, & æquabilis, ſuiſque modulis perpolita fluat oratio: quæ, vt conſeruetur, fugiantur crebræ, & aſperæ vocalium concurſiones, quæ vaſtã, & hiantem reddunt orationem, Fugiatur, & conſonãtis eiuſdem aſsiduitas nimia, vt Quicquam quiſquam cuiquam, quod conueniat, neget: *Fugiatur eiuſdem verbi frequẽtatio immodica,* vt. Cuius rationis ratio non extat, ei rationi, ratio non eſt, fidẽ habere: *Fugiatur creber, & continens vſus verborum ſimiliter cadentium,* vt, Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes: *Fugiatur verborum traiectio inconcinna, Fugiatur lõga verborum continuatio, quæ & auditoris aures, & oratoris ſpiritum lædit,* Atque in his, quid aures eruditæ ferant, reſpuantq;, aduertendum. *Dignitas, quæ reddit ornatam orationem, & grata varieta-*

Perſpicuitas *Compoſitio.* *Dignitas.*

te diſtinctam, eſt conformatio quædam orationis conſtans verborum, & ſententiarum ornamentis, quibus præter vulgarem conſuetudinem expolitur, efficiturque iucunda, illuſtris, copioſa, grauis.

3. *Dignitatis diuiſio. exornatio duplex.* DIgnitas diuiditur in verborum, & ſententiarum exornationem. Sicut enim elegantia eſt orationi neceſſaria; ita dignitas omnis honoraria eſt, quæ vel ex ſingulis verbis eſt, vel ex continuatis, coniunctiſque conſtat. Hæc enim eſt, quæ verborum, & ſententiarum luminibus illuſtrat orationē ſupra quotidianū loquēdi modū. *Verborum.* *Verborū exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione*, vel, quę nō ſignificationē vocabuli, neque fermè affectum orationis, ſed ordinem, ſituſq; verborū figurat, & mutat præter vulgatā opinionē. *Sententiarum exornatio eſt, quæ non in verbis, ſed in ipſis rebus, & affectibus quandā habet dignitatem. Quæ hoc differunt, quod verborū exor- *Sentētiarū.* natio tollitur, ſi verba mutâris: Sententiarū manet, quibuſcūq; verbis vtaris.* Cęterū nōnullæ ſunt, quæ nūc ab his in numerum figurarū dictionis: nunc ab illis, in figuras ſententiarum referuntur. *Diſcrimen*

tropis, & figuris, ſiue ſchematibus oratoriis intereſt. Figura enim proprius fieri poteſt verbis, quod in tropos non cadit: vt In Italia Gallos; in Italia Venetos: in Italia Inſubres compreſſit Hiſpanus. Repetitio iterat immutatæ ſignificationis verbũ. Cæterum ſæpe coeunt in eaſdem ſentẽtias, & tropus, & figura. Nam iuxta tranſlatis, & propriis verbis exornatur oratio. vt, Qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt; coniurationemque naſcentem corroborauerunt. In quibus enim eſt tranſlatio, in iis eſt ſimiliter deſinens. Sicut omnem orationem, ita figuras neceſſe eſt verſari in ſenſu, & in verbis. Vt verò natura eſt prius concipere animo res, quàm enunciare: ita, de iis figuris ante loquendum eſſet, quæ ad mentem pertinent: *ſed quo faciliora promptius tradantur, de verborum exornationibus prius, quàm figuris ſententiarum dicemus.* Schemata verborum tribus fiunt modis, adiectione, detractione, ſimilitudine, quæ quandam vocum ſimilitudinẽ habet, & aures præcipuè in ſe vertit, & animos excitat.

Cic. in Catilinam.

4. Repetitio. *Repetitio eſt, per quam eadem vox in principio pluriũ commatum, membrorum, aut periodorũ cõtinẽter iteratur.* Quod crebrò fit, & acriter, & inſtanter in cõmatibus crebris. Si fraternè, ſi piè, ſi cũ dolore faciunt: moueant te horũ lacrymę, moueat pietas, moueat germanitas. In mẽbris. Marcus Nero Liuio Salinatori ſuppetias venit: Marcus Nero Metaurũ hoſtili ſanguine cruentauit: Marcus Nero ſuperbos Pœnorũ ſpiritus, & opes infregit. In periodis. Quid tã populare, quã pax? qua nõ modo ij, quib⁹ natura ſenſũ dedit, ſed etiã tecta atq; agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? Quam non ſolum ab hominibus, verumetiam beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis? Quid tam populare, quàm otiũ? quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim cum imperio, & dignitate. Hæc exornatio, cùm multum venuſtatis habet: tum grauitatis, & acrimoniæ plurimũ. Quare videtur adhibenda, & ad exornandã, & ad augendam orationem. Sanè orna-

tius, aut pulchrius nullũ ſchema. Quippe, quod ita pulchrũ eſt, vt roboris plurimum habeat: : neque reperire eſt vllam orationis exornationem, qua crebrius vti liceat; aut, quæ tam variis dicendi generibus congruat. Nam, ſi vno verbo concludatur, velocitatem facit: vt, Non ad prædam aliquam auaritia, non ad voluptatem libido, non denique vrbis nobilitas ad cognitionem reuocauit. *Pro lege Manil.* Huic ſi interrogationem addideris, acer eris, & vehemens: vt, Nihil te nocturnum præſidium palatii? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus? nihil horum ora, vultuſque mouerunt? *In Catilinã* ſi conuerſionem acrior: ſi multa inter ſe cõfundas; & pleniſſima, & pulcherrima erit oratio. Cuius venuſtas tũ apparet maximè, cum membris perfectis, & abſolutis effertur; quod fit, ſi aut antecedit, aut in ſingulis verbum eſt, vt, Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor Lucius Sylla, huius virtute, atque conſilio confeſſus eſt liberatam, *Pro lege Manil.* Teſtis eſt Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terro-

Proleg. Manilia. re belli; ſed celeritate conſilii explicauit. Teſtis eſt Africa, quæ magnis obſeſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundauit. *Conuerſio eſt, cùm continenter in fine commatum plurium, aut membrorum, idem geminatur verbum*: vt,

Conuerſio. Ditioni ſuæ Neapolim Hiſpanus, Sardiniam Hiſpanus, Siciliam Hiſpanus, Inſubriam Hiſpanus adiũxit. Colchos cecidit Põpeius. Ignouit Iberiæ Pompei9: pepercit Albaniæ Põpei9.

Florus lib. 3. cap. 5.

Cic. in Phil. Doletis tres exercitus pop. Rom. interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? Eos quoq; vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Omnia denique quæ vidimus poſtea, quid autem mali non vidimus? ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Hoc ſchema ſuperiori collocatione diuerſum, non natura eſt, & virium minus habet, ſed varietati orationis accommodum. *Complexio, quæ repetitionis, & conuerſionis vim coniungit in iiſdem mẽbris, & repetit idem verbum in principiis, & aliud idem in finibus.* Populum Romanũ impulit ad bellum Philippus: Populũ

Romanum in belli periculo deſeruit Philippus. Quo duce Perſas repreſſit Iuſtinianus? Bellıſario. Quo duce Vandalos in Africa fregit? Belliſario. Quo duce Gothos in Italia debellauit? Belliſario. Hæc minus virium habet, niſi interrogatione adiuncta animetur. Nam interrogatio vim, & acrimoniam imprimit orationi, quæ tribus hiſce ſchematibus variatur. *Conduplicatio* (Græcis Epizeuxis) *cum ratione amplificationis, & affectus exprimendi ingeminatur vnum, aut plura verba continenter, aut ſeparatim.* vt, Sacroſanctum, ſacroſanctum corpus Pontificis ferro confectum violaſti. Critolaus (Patres Conſcripti) Critolaus veſtræ legationis contumelioſus temerator. Illa inquam, illa vita tua eſt, Cæſar, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium. Pluribus interpoſitis; Haſta poſita pro æde Iouis, bona, me miſerũ, conſumptis enim lacrymis animo infixus hæret dolor, bona inquam, Cnei Pompeii voci acerbiſſimæ ſubiecta præconis. *Reduplicatio* (quam Anadiploſim Græci dicunt) *vltima præcedentis membri repetit in principio ſequentis.* Impia manu,

Liu. 4. Dec.

Conduplicatio.

Cicero pro Ligario.

Reduplicatio.

Brute, contrucidaſti Cæſarem; Cæſarem, quem patrem patriæ, & vindicem Romanæ maieſtatis Senatus dixerat. Nunc etiam audes in horum conſpectum venire proditor patriæ? proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conſpectum? De religionibus ſacris, & cæremoniis eſt concionatus Pub. Clodius: Publius, inquam, Clodius ſacra, & cæremonias negligi, violari, pollui queſtus eſt. Hic repetitur nonnũquam ſententiæ pars. Supplicem, & abiectum ad pedes contumelioſè, & ſuperbè repuliſti: contumelioſè, & ſuperbè repuliſti. Aliquando tota ſententia repetitur, vel ordine recto. Quid Cleomenes facere potuit? non enim poſſum inſimulare quemquam falsò: quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit? Vel conuerſo: Pudendis fœderibus, cladibuſq; impunè affecerit Romam Numantia? Numantia Romam impunè affecerit cladibus, atque fœderibus pudendis? Non continenter vnum verbũ, non in eadem ſententia, iteratur. Principum dignitas erat pene par; non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur. Reſ-

pondent & media primis, vel vltimis. Hæc nauis erat onuſta præda Sicilienſi, cùm ipſa quoque eſſet ex præda. Eſt & venuſtiſſimum illud, in quo & primo verbo poſt longum interuallum redditur vltimum, & media primis, & mediis vltima congruunt. Veſtrum iam hoc factum reprehenditur, Patres Conſcripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum; verum, vt dixi, non meum, ſed veſtrum. *Epanodos ſemel poſita iterat, & diuidit grammatica prolepſi.* Bellum graue, & periculoſum populo Romano inferunt duo reges potentiſſimi, Mithridates, & Tigranes: Mithridates relictus, Tigranes laceſſitus, occaſionem ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitrantur. Fecit ditioni ſuæ Hiſpanus vtrũq; oceanũ, orientalẽ Luſitanorũ claſſibus occiduũ ſuis armis. *Epanalepſis cùm eadem dictio, & in principio, & in fine eiuſdem ſententiæ apponitur.* Inuexit fœdam calamitatem agris, & ciuitati inuexit. Nolim tam vehementer agere, Iudices, nolim. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. *Copulatio, cùm idẽ verbũ bis poſitum, nunc hominem, nunc mores hominis*

Epanodos.

Prolepſ. Manil.

Epanalepſis

Copulatio.

aut rem, aut naturā rei ſignificat. Adrianus Cæſar effudit patrimonium, exhauſit ærarium, capitis ſui hoſtes ſeruauit, liberalitatis, & clementiæ affectator laudis, ſed in ſanguinariis cędibus innocentiſſimorum ciuium Adrianus fuit.

Antiſtaſis. *Antiſtaſis eſt repetitio eiuſdem verbi in cōtrario ſenſu.* Quis hoc ignorat, in eiuſmodi domo, in qua materfamilias meretricio more viuat: in qua nil geratur, quod foras proferendum ſit: in qua luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia verſentur: hic ſeruos, non eſſe ſeruos.

Antanaclaſis. *Antanaclaſis, cùm idem verbum, modo in hac re, modo in altera ponitur.* Cur eam rem tam ſtudioſé curas, quæ tibi multas dabit curas? Eſt adnominationi affinis.

Traductio. *Traductio repetit in diuerſis locis idem verbum caſibus paulum variatum, aut generibus, aut modis, aut temporibus, & concinniorem reddit orationem.* Verbum enim ſæpius poſitum, nō modo non offendit animum, ſed ornatiorem facit orationem. Heluetios, quaſi pecus in ſtabula paſtor, reduxit geniales in terras Cæſar: Caio Cæſari, & vis, & ferocia, & virtus Ariouiſti ceſſit: Caii

Cæſaris inuictam aciẽ locis demouerũt Belgæ. Nota tibi probitas, noti mores, nota conſtantia. In his exornationũ generibus nõ inopia verborũ fit, vt ad idẽ verbũ redeatur ſæpius: ſed ineſt feſtiuitas quędam, & grauitas, & quæ facilius auribus diiudicari, quàm verbis demõſtrari poteſt.

Gradatio eſt, qua non ante ad conſequens verbum deſcenditur, quàm proximè præcedens repetatur, tum ſingulis in verbis, tum ſententiis. Ab eo bello Muræнam Sylla, Syllã reſp. reuocauit. Hæc figura prodit artẽ, & affectationẽ, ideo rarò adhibenda. Habet leporem ſuperioris cuiuſque crebra repetitio verbi, & ſuauitatis eſt, quę in cauſis ſeriis minus meretur fidei. Gradatio dicitur, quod veluti gradibus oratio ad extremũ repetitione verborũ progrediatur. Non magis pecuniarũ repetũdarũ, quàm maieſtatis: neq; maieſtatis magis, quàm Plautiæ legis: neque Plautiæ legis magis, quã ambitus: neq; ambitus magis, quã omniũ legum iudicia perierunt. In vrbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt: ex auaritia erumpit audacia: inde omnia *Gradatio.*

Epimone. ſcelera, & maleficia gignuntur. *Epimone eſt vnius verſus poſt aliquantum numerum ſubiunctio repetita*: vt, Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.

Virgo nube caput nobile flameo

Expolitio. *Expolitio ſynonimiæ, ſiue interpretatio, quæ iterat ſententiam verbis mutatis repetitionis ſpeciebus aſcribatur.* Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudiis exultabis? quanta in voluptate bacchabere? Hac vtimur figura cùm vno verbo, aut modo, non videmur ſatis dignitatem, aut magnitudinem rei demonſtrare, ornandæ, & amplificandæ rei cauſa idem prorſus mutatis verbis ſæpius ingerimus: commouemuſque animum audientis, cum grauitatem prioris dicti renouamus commutatione verborum, Perge quò cæpiſti: egredere aliquando ex vrbe, patent portæ, proficiſcere.

Bella per Emathios pluſquam ciuilia campos,

Iúſque datum ſceleri canimus, populúque potentem

In ſua victrici cõuerſum viſcera dextra,

Cognataſq acies, & rupto fœdere regni
Certatum totis concuſſi viribus orbis
In cõmune nefas, infeſtiſq; obuia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minãtia pilis
Quis furor, ô ciues? quæ tanta licentia
ferri,
Gentibus inuiſis Latiũ præbere cruorẽ?
Cumque ſuperba foret Babylon ſpo-
lianda trophæis (vlta,
Auſoniis, vmbraque erraret Craſſus in-
Bella geri placuit nullos habitura triũ-
phos.

Hic obſeruandus verborum delectus, vt creſcat amplificatio per gradus ſignificationis: vt leuiſſima principio, deinde grauiora collocentur: Proſtrauit perculit, afflixit.

Polyſyndeton eſt continuatio plurium commatum, aut membrorum multis coniunctionibus deuinctorum: Vt, Et forum expiandum nefarii ſceleris veſtigiis dico, & caſtam concionem eſſe volo, & ſanctum campum, & inuiolatum corpus ciuium. Tu neque exempla maiorum, neque leges, neque auctoritatem ſenatus, neque religiones, neque auſpiciorum iura publica ſeruaſti. *Polyſyndeton.*

5. Figura breuitatis.

ET figuræ quædam per detractionẽ fiunt, quæ breuitatis, & nouitatis gratia petuntur: *Quarum prima eſt Synecdoche, quæ ſubtrahit orationi verbum, quod ſatis ex aliis intelligitur.* vt, Data lupercalibus, quo dic Antonius Cæſari. Stomachari Pacuuius, & ſtupere. In hoc vnum verbũ, & manifeſtum deſideratur. *Diſſolutio cũ demptis coniunctionibus diſſolutè multa dicuntur.* Vt elegantiæ laudibus excellas, omittendæ voluptates, relinquẽda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, ſermo familiarium pene deſerendus. Non ſingulis verbis tantùm, ſed & ſententiis. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt; ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant; aduerſis perfugium præbẽt, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Diſſolutionis, & Polyſyndeti fons vnus eſt, quia faciunt acriora, quæ dicuntur, & vim quandam præ ſe ferentia, veluti ſæpius erumpentis affectus. *Adiunctio eſt, in qua vnum ad verbũ, quod primum, aut poſtremum collocatur, plures ſententiæ referuntur, quarum vnaquæque deſideraret illud, ſi ſola poneretur.* vt,

Diſſolutio.

Oſorius de inſtit. Regis.

Adiunctio.

Qui laborat mentis cæcitate: qui vitiorum infamia; qui improbitatis furore; nunquam, quæ priuatis publiciſque impendent, mala præcauebit. Hîc præponitur verbum; ſubiungitur in his: Nec is es, Catilina, vt te, aut pudor vnquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. *Cic. in Catilinam.* *Coniunctio eſt, cum interpoſitione verbi, & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores*: *Coniunctio.* Maieſtas Romana ciuium ambitu afflicta eſt, & luxu, & diſcordia, & cupiditate. Hæc ad breuitatem appoſita, & ſæpius adhiberi poteſt. Aut animi furentis impetu concidet, aut intemperanti libidine. *Diſiunctio, cùm eorum, de quibus dicimus, vnumquodque certo concluditur verbo.* *Diſiunctio.* vt, Ab illis nullo me vnquam tempore, aut commodum, aut otium meum abſtraxit, aut voluptas auocauit, aut ſomnus retardauit. Qui principes haberi volunt, nulla in re, neque domi, neque foris conquieſcunt: nullam vitæ ſuauitatem guſtant: nulla voluptate animo libero, atque ſoluto perfruuntur. *Oroſ. de inſt. Reg.* Diſiunctio, ne ſatietatem pariat, rarius vſurpanda, ad feſtiuitatem ido-

nea eſt. *Scheſis onomatũ ſingulis ſubſtãtiuis* *Scheſis onomatum.* *ſingula connectit adiectiua eleganter.* Hunc modeſtiſſimum adoleſcentẽ, prouinciæ maximæ ſanctiſſimum virum, noſtri exercitus fortiſſimũ militem, diligentiſſimum ducem, temperatiſſimũ legatum, quæſtoremque cognouerunt: quẽ, vos omnes, Senatorem conſtantiſſimum, iuſtiſſimum prætorem, & amantiſſimũ reipublicæ ciuem.

6. *Figuræ ſimilitudinis.* *TErtium figurarum genus, quæ aut ſimilitudine vocum, aut paribus, aut contrariis vertunt in ſe aures, & animos excitant.*

Anominatio. *Anominatio* (Græcis Paronomaſia) *eſt, cùm paulum immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur. Siue, cùm ad idem verbum, & ad idem nomen acceditur commutatatione vocum, vel additione vnius litteræ, aut ſyllabæ, aut ſyllabarum, aut ad res diſsimiles ſimilia verba accommodantur.* Ea multis & variis modis cõficitur, attenuatione, aut complexione eiuſdem litteræ. Hic qui ſe magnificè iactat, atque oſtentat, venît à te, antequã Romã venit. Ex cõtrario: HIC, quos homines alea vĩcit, eos ferro ſtatim vincît. Productione eiuſdẽ litteræ. Hũc auiũ dulcedo ducit ad âuiũ.

Breuitate eiuſdem litteræ. Hic, tametſi videtur eſſe honoris cupidus; tamẽ non tantũ curiam diligit, quantum Curiam. Additione litterarum: Cato, cùm multa vita excedẽs prouidit, tũ te Conſulẽ nõ vidit. Magis propter reũ, quàm propter rem credibile eſt. Demẽdis litteris. Si lenones, tãquã leones vitaſſet: vitæ ſe tradidiſſet. Transferendis litteris. Videte, Iudices, vtrũ homini nauo an vano credere malitis? Nolo eſſe laudator, ne videar adulator. Cõmutandis: Deligere oportet, quẽ velis diligere. Hæ ſunt rationes Anominationũ, quæ in litterarũ breui cõmutatione, aut productione, aut traiectione, aut aliquo huiuſmodi genere verſantur. Sunt aliæ, quæ nõ habent tã propinquã in verbis ſimilitudinẽ, & tamẽ diſſimiles non ſunt. vt, Quid veniam, qui ſim, quare veniam, quẽ inſimulẽ, cui proſim, quem poſtulem breui cognoſcetis. Nam hic eſt in quibuſdam verbis quædã ſimilitudo, non tã affectã da, quã illæ ſuperiores; ſed tamẽ nõnũquã adhibenda. Alterũ eſt huiuſmodi. Demus operam, Quirites, ne omnino Patres Conſcripti, circumſcripti videã-

tur. Hæc annominatio accedit magis ad ſimilitudinem, quàm ſuperior; ſed minus, quàm illæ priores: propterea quòd non ſolùm additæ, ſed vno tempore demptæ quoque litteræ ſunt. Tertium genus eſt, quod verſatur in caſuum commutatione, aut vnius, aut plurium nominum. Vnius nominis: Alexander Macedo ſummo labore animum ad virtutem à pueritia conformauit: Alexandri virtutes per orbem terræ cum laude, & gloria vulgatę ſunt. Alexandro, ſi vita longior data eſſet; Oceanum gloria Macedonum tranſuolaſſet. Alexandrum omnes maximè metuerunt, item plurimùm dilexerunt. Variè hic vnum nomen in caſuũ commutatione volutatum eſt. Plura nomina caſibus variis faciunt annominationem. Hæc genera proxima exornationum, quorum vnum in ſimiliter cadentibus, alterum in ſimiliter deſinentibus verbis, tertium in annominationibus poſitum eſt, perraro ſumenda ſunt, cũ in veritate, dicemus: propterea quod hęc nõ reperiri poſſe videtur ſine elaboratione, & conſumptione operæ.

Eiuſmodi autem ſtudia ad delectationem, quam ad veritatem videntur accommodatiora. Quare fides, & grauitas, & ſeueritas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis: &, non modo tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in eiuſmodi oratione auditor: propterea, quod eſt in his lepos, & feſtiuitas, non dignitas, non pulchritudo. Quare, quæ ſunt ampla, & pulchra diu placere poſſunt: quę lepida, & concinna citò ſatietate afficiunt aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. Quo modo igitur, ſi crebrò his generibus vtemur, puerili videbimur elocutione delectari: ita, ſi rarò has inſeremus exornationes, & in cauſa tota variè diſpergemus commodè, luminibus diſtinctis illuſtrabimus orationem. *Similiter cadens verborum ſimilitudo, & æqualitas, exornatio eſt, cùm in eadem constructione verborum duo, aut plura ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur*. Tandem aliquandò Lucium Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, nobis atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem ex vr-

Similiter cadens.

Cic. in Ca.

be eiecimus. Nec ſolum in fine deprehenditur, ſed reſpondent, vel prima inter ſe, vel mediis, vel extremis, vel etiam permutatis his, vt media primis, & ſumma mediis accommodentur. *Similiter deſinens, cùm verba, vel ſententiæ ſimiles exitus habent.* Perditæ ciuitates deſperatis rebus omnibus hos ſolent exitus habere : vt damnati in integrum reſtituantur : vincti ſoluantur : exules reducantur : res iudicatæ reſcindantur. Item : Fana ſpoliauit, homines innocentes necauit; ciues Romanos morte, cruciatu, cruce affecit, prædonum duces accepta pecunia dimiſit. Hæc duo genera, quorum prius in caſus, poſterius in exitus ſimilitudine ſpectatur, inter ſe vehementer conueniunt, & eleganter, & ſuauiter iiſdem orationibus, & periodis temperantur, & continuatis membris, aut commatibus. Exempli modus. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præditum extollere iacentem. Differunt tamen : nam ſimiliter cadens caſus ſimiles exprimit earum

Similiter deſinens.

Cic. in verrem.

Cic. pro M.

partium, quæ caſu flectuntur: Similiter deſinens exitus ſimiles habet dictionum, quæ non variantur caſu. *Compar, quod habet in ſe membra, aut inciſa orationis, quæ pari aut ferè pari numero ſyllabarum conſtant.* Hæc adoleſcentes, vel de ſua faciãt enumeratione principio, vt exercitatio promptam facultatem afferat, & animi quodam ſenſu, atque iudicio par membrum ſuperiori ſubiungat. Aſſidua enim, atque diligens præceptis omnibus exercitatio adiungẽda eſt domi, quæ etſi puerilis videatur, multa ſecum ducit ſeria, & promptitudinem dicendi. vt, Illi fortuna dedit felicitatem: huic induſtria virtutem comparauit. Omnia ſunt immutata, manus ad demonſtrandam religantur iniuriam: lingua inciditur ad deplorandã calamitatem: animus præcluditur ad exponendam rei indignitatẽ. In prælio mortẽ pater oppetebat: domi filius nuptias cõparabat. Hæc Iſocolia eſt, ſiue mẽbrorũ æqualis proportio, quæ cõcinnè bina binis, terna ternis, quaterna quaternis, lõgua lõgis, breuia breuibus reddit. In hoc genere ſæpè cõtingit, vt non planè ſit par

numerus ſyllabarũ,& tamen eſſe videatur, ſi vna, aut altera ſyllaba ſit vnũ breui⁹ mẽbrũ altero: aut ſi cũ in altero plures ſunt in altero longior, aut longiores plenior tẽpore, aut pleniores ſyllabæ erunt, vt lõgitudo, ac plenitudo harum, multitudinẽ alterius aſſequatur, & exæquet. *Articulus* (*cæſum, ſiue inciſum, quaſi mẽbro ablatum*) *qui ſingula verba, aut breuiores orationes interuallis diſtinguit cæſa oratione.* Nihil cogitant, niſi cædem niſi incẽdia, niſi rapinas: patrimonia ſua profuderunt, fortunas ſuas abligurierũt. Obſtupeſcent poſteri certè imperia, prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilũ, pugnas inumerabiles, incredibiles victorias, monimenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos. Item omnia perfugia bonorum, præſidia innocentum, ſubſidia reipublicæ, conſilia, auxilia, iura ceciderunt. Inter membri, & articuli vehementiam intereſt: membrum quãtitate maius eſt, & tardius venit, & rarius, velut cæſim ferit: Articulus breuior crebrius, & celerius fertur, & velut punctim fodit. Ita in illo genere ex remotione brachij, & contortione

Articulus.

dextræ gladius ad corpus afferri: in hoc autem crebro, & celeri corpus vulnere conſauciari videtur. *Contentio, cùm ex cõtrariis rebus oratio conficitur, quæ fit, vel cũ ſingula ſingulis opponuntur, vel bina binis.* *Contentio.* *Cic. in Cat.* Quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſsimos prudentiſſimis, ebrios ſobrijs, dormientes vigilantibus? Fit ſimplici ſententiarum oppoſitione. Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Vel diſtinctione rerum. Hic mediocrem iacturam facere cupit: iſte mediocri præda contentus non eſt. Spectatur & in differentibus. Vel ſingulis rebus poſitis refertur ad ſingula. *In Cat. 1.* De te, Catilina, cùm quieſcunt, probant; cùm patiuntur, decernunt: cùm tacent, clamant. Si contentione diſtinguamus orationem, ornatam, & grauem efficiemus. Seruit enim figura hæc ornatui & grauitati. *Contrarium.* *Contrarium cõtentioni affine eſt, atque ex rebus duabus diuerſis, alteram breuiter confirmat, & concludit.* *Cicero in Philipp. 3.* Hoc enim enthymematicã concluſionem habet, illa expers argumentationis. *Proleg.* Si conſul Antonius, Brutus hoſtis: ſi cõſeruator reip. Brutus, hoſtis

Antonius. Multi eſſent de victoribus, qui te crudelem eſſe vellent, cùm de victis reperiantur: multi, qui cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirẽt clemẽtiam tuam, cùm ij, quibus ignouiſti, nolint te in alios eſſe miſericordẽ. Si Lentulus ſuum nomen inductus à vatibus fatale ad perniciem reip. fore putauit, cur ego non læter meum conſulatum ad ſalutem reip. propè fatalem extitiſſe?

In Catil.

Hoc exornationis genus breuibus, & continuatis verbis debet eſſe perfectũ: &, cùm commodum eſt auditu propter breuem concluſionem, tum verò vehementer, & cum magna fide id, quod opus eſt Oratori, comprobat contraria re: & ex eo, quod dubium non eſt, expedit illud, quod dubium eſt, vt aut dilui non poſſit, aut multò difficilius poſſit. Hoc orationis genus eſt grauius, & efficacius contentione. Delectatus eſt his exornationibus Marcus Tullius, verũ & modum adhibuit non ingratæ voluptati, & rem alioqui leuem ſententiarum pondere impleuit. Nam per ſe frigida, & inanis affectatio, cùm in acres incidit ſenſus, innata videtur eſſe, non

acceſita. *Commutatio, cùm duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ita efferuntur, vt à priore poſterior contraria priori proficiſcatur.* Fit in dominatu ſeruitus: in ſeruitute dominatus. Ne mentes audaciſſimorum ciuium ſceleratæ, ac nefariæ vobis nocere poſſent, ego prouidi: ne mihi noceant, veſtrum eſt prouidere. Mauult commemorare ſe cùm poſſet perdere, peperciſſe; quàm cùm parcere potuit, perdidiſſe. *Relatum ad ſingula, cum ſingula referuntur ad ea, quæ ſibi opponuntur, aut propriè conueniunt: & paria paribus reddũtur, aut ſingulis virtutibus proprietates, actiones, officia.* Non ſolæ illæ ſunt imperatoriæ virtutes, quæ vulgo æſtimantur, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſiliũ in prouidẽdo. Item: Æbutius mulierũ aſſentator, cognitor viduarũ, defenſor litigioſus, concitus ad rixã, ineptus, ac ſtultus inter viros, inter mulieres peritus iuris, & callidus. *Correctio, quæ corrigit verbũ, aut ſententiã, & velut magis idoneũ aliquid ſubijcit.* Fit elegãter geminata, aut multiplicata correctio. Non furẽ, ſed raptorem; non adulterũ,

Cõmutatio.

Relatum ad ſingula.

Pro l. Man.

Correctio.

Cic. in V.

ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque, non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in iudicium adduximus. Quid, per deos immortales poteſt reip. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura eſt? obfutura? quid ſi etiam nocuit? Correctio verbi fit, aut eodem: vt, Homo temerarius, ſi modo hominis nomine is appellandus eſt, qui nihil cũ ratione agit. Aut diuerſo. Iſtius fide, vel potius perfidia: Vel vtriſque: Sed ſtuporem hominis, vel potius pecudis attendite. Commouetur hoc genere auditoris animus. Res enim communi elata verbo tãtummodo dicta videtur: ea poſt ipſius oratoris correctioné magis idonea fit pronuntiatione, & rei & verbi gratiã aperit. *Dubitatio, quæ præfert ſolliciti hominis affectum, cum quærere videtur orator, vtrum de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimũ dicat, aut vnde incipiat, aut vbi deſinat pro rei magnitudine, & indignitate.* Quid primum quærar? aut vnde potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium,

Cic. in Philipp.

Dubitatio.

Cicero pro Sexto Roſcio.

mortalium, populine Romani, veſtrâne qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Quid agam? quò accuſationis meæ rationem conferam? Dubitationi commodè ſubiungitur electio rei dubitatæ, atque expeditio. Equidem quod ad me attinet, quo me vertam neſcio? euellamne ex animis veſtris hominum tantam opinionem, tam penitus inſitam? Non eſt noſtri ingenij, veſtri eſt auxilij, Iudices huius innocentiæ ſubuenire. Dubitatio ſimilitudinē cum correctione multam habet: nam quod hæc dubitat, emendat illa. Parcus, & in tempore adhibitus figurarum, quæ verbis conſtant, vſus iucundiorem facit orationem: immodicus gratiam varietatis amittit. Hoc præſtandum adoleſcentibus, qui ab iudicij maturitate delectum habere poſſunt; vt nec multæ ſint, nec eiuſdem generis, aut iunctæ, aut frequentes: nam ſatietas, vt paucitate earum, ita varietate vitatur. *Cic. pro C.*

7. *Schemata ſententiarū.*

FIguris verborum ſuccedât ſchemata ſentētiarum, quæ non in verbis, ſed in rebus ipſis habent dignitatem: &

ornatè affectus animorum noſtrorum exprimunt, aut res augent eleganter, & amplificant. Quæ denique non in pingendis verbis vim ſuam figunt: ſed illuminandis in ſententiis. Eſt enim dicere, omnes, aut pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias. *Interrogatio eſt, quæ non quærendi ſtudio aſſumitur, ſed inſtandi, vrgendis, varijs ſeruiens affectibus, aſſeuerationi, indignationi, miſerationi, admirationi, dubitationi.* Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquandò? Quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Ergo Menodorus efiulgebit purpura? Hanc faciem Alexandrinæ regiæ dedit amantium furor? *Quæ denſat acres interrogationes, Græcis πύσμα dicitur, quæ vehementius vrget, & ſæpius apoſtrophas admiſcet:* Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictā iam omniū horū conſcientia teneri coniurationem tuā nō vides? quid proxima, quid ſuperiori nocte egeris? quos cōuocaris? quid cō-

Interrogatio.

In Catil.

Pyſma.

In Catil.

ſilij cœperis, quem noſtrũ ignorare arbitraris? Addit omnis oratoria interrogatio vim, & pondus ſentẽtiæ: nam adhibetur poſt rem iam probatam, vel refutatam, vel certè perſpicuam, & in rebus manifeſtis, & alioquin leuibus ſic vrget auditorem, vt diſſentire pudeat. *Vſus interrogation.* *Reſponſio cum aliud interroganti, per aliud, quia vtilius ſit, occurritur, tum augendi criminis cauſa, tum declinandi.* Num in te ſęuius, & atrocius? & innocentem. Quæro, an tu hominem occideris? latronem. *Reſponſio.* *Subiectio, cùm interrogamus, aut nos, aut aduerſarios, aut quærimus ipſi, quid ab illis, aut quid cõtra nos dici poßit deinde nõ expectato eorũ reſpõſo ſubÿcimus id, quod oportet dici, aut nõ poteſt, aut nobis adiumento eſt futurũ, aut illis obfuturũ.* *Subiectio.* Quem enim alium appellem? quem obteſter? quem implorem? Senatũne? at is ipſe auxilium petit à vobis, & cõfirmationem auctoritatis ſuæ veſtræ poteſtati permiſſam eſſe ſentit: an equites Rom. iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cũ omnibus ſenſeritis: an populũ Rom. at is quidẽ omnẽ ſuã de bonis poteſtatẽ tradit vobis. Itẽ: Æbutius Ceſenniæ adfuit, ne *Pro Cæſ.*

quæratis nũ propinquus? nihil alienius: Amicus, aut à patre, aut à viro traditus? nihil minus. Quis igitur? voluntarius amicus mulieris? non neceſsitudine aliqua, ſed ficta, & ſimulata ſedulitate coniunctus, magis opportuna opera nonnunquam, quàm aliquando fide. Multum ineſt acrimoniç, & grauitatis in hac exornatione, propterea quod, cùm quçſitum eſt, quid oporteat, ſubijcitur, id, quo indignitas negotij exaugetur.

Vſus ſubiectionis.

Ratiocinatio.

Sunt prætereanon ingratæ vices interrogandi, & reſpondendi. *Ratiocinatio, per quam nos ipſi à nobis rationem poſcimus, quare quidque dicamus, & crebrò noſmet à nobis petimus vniuſcuiuſque propoſitionis explanationem, aut ſine interrogatione damus.* Eſt enim rationum, atque cauſarum cuiuſque rei explicatio. Oſtendi geminũ ratiocinationis modum, ſimplicem, qui expers eſt interrogationis, & mixtum, qui interrogationibus figuratur. Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium, non minus turpe, quàm furti. Credo, propterea quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur. Itẽ:

Cic. pro ſexto Roſcio.

Si ſpoliorum cauſa vis hominem occidere? ſpoliaſti: quid quæris amplius? ſi inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius ante prædia poſſediſti, quam ipſum noſti? ſin metuis: ab eóne metuis, quem vides ipſum à ſeſe tam atrocem iniuriam propulſare nõ poſſe? Hæc exornatio ad ſermonem, & altercatione impeditam orationem vehementer accommodata, & animum auditoris retinet attentum, tum venuſtate ſermonis, tum rationum expectatione. *Communicatio, cum aduerſarios conſulimus ipſos, & cũ iudicibus quaſi deliberamus.* Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, & tempore? cùm ignauiæ ratio te in fugam, & latebras impelleret: improbitas, & furor Lucij Saturnini in Capitolium accerſeret: Conſules ad patriæ ſalutem, ac libertatem: quam vocem, cuius ſectam ſequi, cuius imperio potiſſimum parere velles? Item: Quæro abs te, Aquili, vadimoninm mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, cui cùm neceſſitudo vetus, controuerſia de re pecuniaria recens intercedit: poſtulemne à Prætore, vt eius bona mihi poſ-

Ratiocinationis vſus.

Communicatio.

Cic. pro Rabirio.

Cic. pro ſextio.

ſidere liceat? An cũ Romæ domus eius, vxor, liberi ſint, domum potius denuntiem? quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Profectò, ſi rectè veſtram bonitatem, atque prudẽtiam cognoui, non me multum fallit, ſi cõſulamini, quid ſitis reſponſuri. *Cõmunicationi vicina eſt permiſſio, qua cauſæ bonitate freti, quædã iudicibus, aut aduerſarijs permittimus æſtimanda, & ſtatuendi facultatem largimur.* Ego, Iudices, ſummum, ac legitimũ, quod expoſui, meæ cauſæ ius omitto: vobis quod ęquiſſimum videatur, vt cõſtituatis, permitto. Nõ enim dubito, quin etiãſi nouũ ſit vobis inſtituẽdum libẽter id, quod poſtulo, propter vtilitatẽ cõſuetudinis cõmunis ſequamini: Verũ eſto, eripe hereditatẽ propinquis, da paleſtritis, prædare in bonis alienis nomine ciuitatis. Euerte leges, teſtamẽta, voluntates mortuorũ, iura viuorum, num etiam patrijs Heraclium bonis exturbare oportuit? Hoc genus, vt in aliis nonnunquam tractatur, tum ad miſericordiam commouendam vehementer accommodatum propter fiduciam. *Permiſſio per diſſimulationem eſt, cùm permittendo deterremus, & inuitos permittere*

Permiſſio.

Vſus permiſſionis.

Permiſſio ſimulata.

nos oſtendimus: Effundite, emite, facite quòd vobis lubet. *Deprecatio, cùm aut Dei, aut hominum, au rei alterius auxilium imploramus.* Quæ cùm ita ſint, primum à Ioue peto, vt hodiernum diem, ad huius ſalutem conſeruandam, & ad rempub. cōſtituendam illuxiſſe patiatur. Deinde vos Quirites, oro, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, & in reip. ſalute ſapientiā, quam ſoletis. Per dexteram te iſtam oro, quam regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & præliis, quā in promiſſis, & fide firmiorem. Sæpe fit per ea, quæ ſunt nobis ſancta, aut chara. Hæc voti, aut deſiderij cuiuſdam ſignificationem exprimit. *Imprecatio, qua deteſtamur, atque execramur aliquem, cui malum optamus*: Dij te perdant, fugitiue; ita non modo nequam, & improbus: ſed fatuus, & amens es. *Adiuratio*: Teſtor diuos, diuaſque omnes rerum humanarum conſcios. *Indignatio, cum commoti indignamur, idque geſtu, pronuntiatione, affectu ſignificamus.* Permiſcetur aliis affectibus amoris, doloris, conqueſtionis.

Deprecatio

Cic. pro R.

Cic. pro Deiotaro.

Imprecatio.

Indignatio.

Hanc tu tantam dignitatem, magno cũ dolore loquor; tantam gloriam potuiſti relinquere? *Abominatio, cùm uti infauſtum quippiam auerſamur.* Quod dij prius omen in ipſum conuertant. *Præteritio, cùm dicimus omittere, aut non ſcire, aut nolle dicere, quod maximè nos dicimus, ſed perbreuiter.* Hæc aut vnius eſt rei, vt: Omitto illã veterem libidinis iniuriam; Aut multiplicium. Non quæror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ, atque damni: Prætereo illa, quæ prætereunda non ſunt: nullum huius in priuatis rebus factum auarum nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari ſordem poſſe proferri. Prætermitto illa, quæ nemo eſt, quin grauiſſimè conqueri poſſit: nos caput patrimonii publici, pulcherrimã populi Romani poſſeſſionem, ſubſidiũ annonæ, horreum belli, ſub ſigno, clauſtriſque reipublicæ poſitum vectigal, ſeruare non potuiſſe; eum denique nos agrum Publio Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe, & Syllanæ dominationi, & Græcorũ largitioni, reſtitiſſet: nõ dico, hoc ſolum in rep. vectigal eſſe,

Abominatio. *Præterito.* *Pro Mure.* *Del. agr.*

quod amiſſis aliis remaneat; intermiſſis, non conquieſcat; in pace niteat; in bello non obſoleſcat; militem ſuſtentet; hoſtem non pertimeſcat: Prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo: de periculo ſalutis, ac libertatis loquor. Formulæ poſſunt eſſe: non queror, prætermitto, non dico, prætereo, nihil ad rem pertinere puto, nihil horum dico, non ſum in eo occupatus, omitto, non commemoro, non habeo neceſſe dicere, quid proferam, commemorare pudore deterreor. Hæc vtilis eſt, ſi aut rem odioſam, quam non pertineat aliis oſtendere, occultè admonuiſſe prodeſt; aut, ſi longum eſt, quod faſtidium pareret, aut illuſtre minus, manifeſtum, aut non poteſt fieri, aut facile poteſt reprehendi. *Expeditio, ſiue dicatur enumeratio, ſiue remotio, quæ pluribus enumeratis rebus, & repudiatis vnam concludit reliquam, quam intendit, & vult.* Lucius Lucullus, aut ſtudio populi, aut principum ciuitatis gratia, aut ſua ipſius virtute, aut Præciæ meretricis beneficio, Cōſulatum, & Aſiæ prouinciæ imperium conſequutus eſt. Non populi ſtudio,

Expeditio.

Plutarch. in Lucullo.

qui ludis, & ſpectaculis deditus, excellentium ciuium præſtantiſſima negligebat ingenia: nō principum ciuitatis gratia, quam luxu perditis, & coniuratis impertiebant mutuam: non ſua ipſius virtute, cui tum in ciuitate nullus locus, nullum decus, nullum præmium: quamobrem beneficium populi Romani, & ſummæ dignationis magiſtratum, & imperium Aſiæ, Præciæ, quæ in ciuitate apud principes meretriciis opibus plu-

Præciſio.

rimum pollebat, acceptum ferat. *Præciſio, ſiue reticentia, cum dictis quibuſdam quod reliquum cœptum eſt dici, relinquitur in audientium iudicio propter pudorem, aut iram,*

Præciſio affinis correctioni.

aut aliam cauſam. Etenim figura cupientibus, dolentibus, indignantibus, verecundis conuenit. Tu Athenienſes, tu Theſſalos, tu Achſios impune vexauiſti: ſi recrudeſcant iniuriæ. Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac. Subiungit ſæpe correctionem huiuſcemodi formulis; ſed nolo, nolo plura dicere, non audeo totum dicere, quid dicam, ipſe intelligit. Tu iſtud nunc audes dicere, qui nuper alienæ domi: non auſim dicere, ne cum

te digna dixero, me indignum quippiã dixiſſe videar. In his atrocior eſt tacita ſuſpicio, quàm diſerta explanatio. *Concluſio, quæ breui argumẽtatione ex iis, quæ dicta ſunt, aut facta, conficit id, quod neceſſariò conſequatur.* Quod ſi Danais datum erat oraculum, non poſſe capi Troiam, ſine Philoctetę ſagittis: hę autem nihil aliud fecerunt, niſi Alexandrum perculerunt: hunc extinguere, id nimirum fuit Troiam capi. *Exclamatio, quæ conficit ſignificationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, aut loci, aut vrbis, aut rei cuiuſpiã compellationem.* O fœditatem hominis flagitioſam. O impudentiam, nequitiã, libidinem non ferendam! Item: O nos beatos! ô rempublicam fortunatam! ô præclaram laudem conſulatus mei! Itẽ: O tempus miſerum, atque acerbum prouinciæ Siciliæ! ô caſum illum multis innocentibus calamitoſum, atque funeſtum! ô iſtius nequitiam, ac turpitudinem ſingularem. Prò ſuperi immortales, tantumne vnius hominis incredibilis, ac diuina virtus tam breui tempore lucem afferre reipublicæ potuit? Hac vtęmur raro, & in loco

Concluſio.

Exclamatio.

Exclamationis vſus. poſt rem aut narratam, aut confirmatã, & cùm rei magnitudo videbitur poſtulare, & tum facilè animum auditoris ad indignationem adducemus. *Apoſtrophe, ſeu auerſio, cùm ſermonem auertimus ad* *Apoſtrophe* *abſentem, vel etiam præſentem, aut diuos, aut* *Virg. li. 10. Æneid.* *rem quampiam.* vt, Rhebe diu (res ſi qua diu mortalibus vlla eſt) Viximus: aut hodie victor ſpolia illa cruẽta, Et caput Æneæ referes, Lauſique dolorum Vltor eris mecũ: aut aperit ſi nulla viá vis, Occumbes pariter, neque enim fortiſſime, credo, Iuſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros. *In Catil.* Item: Hunc tu Iuppiter, & huius ſocios, à tuis templis, ac mœnibus arcebis, & omnes hoſtes patriæ viuos, mortuosque mactabis. *Licentia,* *Licentia.* *dicendi libertas eſt, cùm apud eos, quos vereri atque metuere debemus: tamen aliquid liberius, pro noſtro iure dicimus, vel commonefaciendi, vel obiurgandi cauſa, quod eos minimè offendat, aut, quod hi diligunt, cùm in aliquo errato verè reprehendi poſſe videantur.* Vos Patres Conſcripti, graue dictu eſt, ſed dicendum tamen, vos, inquam, Seruium Sulpitium vita priuaſtis; quẽ cùm videretis ſe magis morbo, quàm

oratione excuſantem, non vos quidem crudeles fuiſtis: quid enim minus in hunc ordinem conuenit? ſed cùm ſperaretis, nihil eſſe, quod non illius auctoritate, & ſapientia effici poſſet, vehemẽtius excuſationi obſtitiſtis: atque eum, qui ſemper veſtrum conſenſum grauiſſimum iudicauiſſet, de ſententia deieciſtis. Licentia, ſi acrimoniæ plus æquo habere videbitur, multis mitigabitur modis: ſi laudemus eos principio, quos reprehendimus. Quod enim eſt commotum licentia, id laude lenitur: & altera res ab iracundia, & moleſtia remouet: altera ab errato deterret. Deinde ſi nos amicos eſſe dicimus his, quos reprehendimus. Venio nunc ad conſulares, quorum nemo eſt, qui non habeat mecum aliquam coniunctionem gratiæ, alii maximam, alii mediocrem, nemo nullam. Ad hæc, ſi coactè, neceſſarioque, atque ex officio reprehendamus. Me miſerum, qui Senatum ſemper laudaui, nunc cogor reprehendere. Præterea, cùm nobis dolori eſſe eorum erratum, quos reprehẽdimus, dicimus. Denique cùm perſonam noſtram iun-

Ratio licẽtiæ tractãda.

gimus, cum perſonis eorum, quos obiurgamus. Idcircone populus Romanus nos conſules fecit, vt in ampliſſimo gradu collocati, pro nihilo rempublicã haberemus. Mitigatur & licentiæ acrimonia extenuatione peccati. Hæc exornatio facit, vt amici veritatis eſſe videamur: & eos, quos reprehendimus diligere: vitiaque eorum odiſſe: vt qui audiunt, à culpa abſint. Eſt & licentia quædam aſtutior, quæ ita obiurgat eos, quo modo ipſi ſe cupiũt, obiurgari: aut cùm id, quod volumus, dicimus nos timere, quo modo accipiant auditores: ſed tamen veritate commoueri, vt nihilo ſecius dicamus. Hæc locum habet, cũ in omnibus, tum præcipuè in conciliis, cùm auditor deceptum ſe dolet. Nimiũ animis veſtris ſimplicibus, & manſuetis, nimium creditis vnicuique. Exiſtimatis vnumquemque eniti, vt perficiat, quæ vobis pollicitus ſit? Erratis, & fruſtra falſa ſpe detinemini. Stultitia veſtra eſt, qui, quod erat in veſtra poteſtate, ab aliis petere, quàm ipſi ſumere maluiſtis.

Licentiæ vſus. *Cic. in Phil.* *Diminutio.*

Diminutio eſt modeſta noſtri, aut eorum, pro quibus dicimus extenuatio, cùm aliquid eſſe

in nobis, aut natura, aut fortuna egregium, aut induſtria ſignificamus, quod, ne qua ſignificetur arrogans oſtentatio, diminuitur, & attenuatur oratione. Philoſophandi ſciētiam concedēs multis, quod eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornateque dicere, quoniam in eo ſtudio ætatem conſumpſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo iure, quodammodo vindicare. Nam in egregiis commodis proferendis res, & inuidiam contrahunt in vita, & odium in oratione, ſi inconſideratè tractentur. *Exuſcitatio, qua commoti ipſi commouemus, atque excitamus animos auditorū, & eādē rē vrgemus.* Exuſcitationē faciūt repetitiones, figuræ affectuū, interrogatio, ſubiectio, reticentia. Priuſquā amplificationis rationes explico, inſeram Tropos, qui promptius tractandis ſchematibus ſeruiunt; & ampliandæ orationis materiam vberiorem ſufficiunt.

TRopus eſt verbi, vel orationis à propria ſignificatione ad impropriā cū venuſtate traductio. Tropi verborū ſunt nominatio, pronominatio, denominatio, translatio, abuſio, intellectio: orationis Allegoria, Hyperbole, periphraſis Nominatio (quā onomatopeiā Græci dicūt) in tropis numeratur, qua ſignificādæ

rei, quæ vocabulum proprium non habet, aut idoneum minus, nomen effingimus, aut imitationis, aut ſignificationis gratia. vt, Diceſſu mugire boues: boare, frangere, claſſis. Huius rarior ſit vſus, ne nouitatis aſſiduitas odium pariat. Hæc animalium propria exprimit confictis imitabili ſono vocibus: grunnitum ſuis, hinnitum equi, vlulatum lupi. *Pronominatio* (Antonomaſia Græcis) *tropus, qui maximè eſt perſonarum, non proprio, ſed extraneo cognomine ſignificat id, quod ſuo nomine appellari deberet, ſiue orationis numerus, ſiue ornatus, ſiue neceſſitas, ſiue grauitas poſtulat. Hoc modo nomina patronimica pro propriis vſurpamus.* Tros Anchiſiade facilis deſcenſus Auerni. *Per excellentiam ſumimus nomen commune artis, officij, dignitatis, pro proprio.* vt, Rex Catholicus, dictator, orator. *Aut propriis vtimur pro appellatiuis, quæ ſignificant proprietatem quampiam propriis inhærentem.* Vlyſſes pro aſtuto, Æneas pro pio, Verres pro fure. *Aut nomina gentium, & nationum pro adiunctis & proprietatibus ipſarum accipimus.* Græcus pro leui, Pœnus, pro perfido, Arcas pro ſtupido. *Aut adiectiuum pro ſubſtantiuis ponimus*

Antonomaſia.

Antonomaſiæ, modi plures.

ponimus: vt, Arma, quæ fixa reliquit impius, pro Ænea. Dirus per vrbes Afer it Italas. *Aut nomina patria pro nominibus poſſidentium.* Tyrinthius pro Hercule: Saturnia pro Iunone: Citherea, pro Venere. Hiſpanus pro Philippo. Hæc figura idonea eſt laudibus, & vituperiis, notatque animi, corporis, fortunæque bona, malaque. *Denominatio, ſiue Metonymia, tropus eſt elegans, & frequens, quo nomen rei vnius pro alterius rei vicinæ vocabulo accipimus. Huius ratio tropi vicinitas eſt, quæ facit, vt vnius rei vocabulo rem aliam affinem intelligamus. Sic ponimus nomen cauſæ efficientis, auctoris, inuentoris, poſſeſſoris, præſidis, pro nomine effectorum, inuentorum, & rerũ, quas poſſidet, quibuſve præeſt.* vt, Virgilius, pro poematum Virgilianorum codice. Vulcanum in cornu gerit, pro igne. Mars anceps. *Aliquandò nominibus effectorum cauſas ſignamus.* vt, præceps ira. Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas Regumque turres. *Sæpe nomen rei continentis, pro rei contentæ vocabulo.* Victa, ſubactaque Británia eſt, Gallia tumultuatur. *Aut contra nomen rei contentæ pro continente.* Vaſtat Italos

Antonomaſiæ vſus.

Metonymia

Metonymiæ modi.

Venetus, Vina coronat. *Nomen poſſeſſoris pro nomine rei poſſeſſæ*. vt, Proximus ardet Vcalegon. *Nomen ducis pro exercitu*. Profligatus ad Zamam Annibal, pro exercitu Punico. *Nomina ſubiectorum pro nominibus accidentium, quæ ipſis inſunt*: Effuſus in Venerē: Curios ſimulant; *Aut viciſſim vſurpantur accidentia pro ſubiectis perſonis, aut rebus, quibus ea inſunt.* Vbi eſt ſcelus, qui me perdidit? O cœnum, id eſt lutulente Piſo. *Inſtrumentis dominum ſignificamus*: vt, Sariſſæ Græcia ſunt potitæ, id eſt, Macedones. Cetras oriens, & occidens ferunt, id eſt. Hiſpanos dominantes. *Ad poſtremum res ſignatas intelligimus per ſigna*. Cedant arma togæ. Clarus militiæ, togæque. Conſuetudo tropum facilem reddit, ſed ne quod verbū ab vſu Latinè loquentium abhorreat, aut ſumatur audacius. *Intellectio Latinis, Synecdoche Græcis, Metonymiæ eſt affinis tropus, quo partis vocabulum pro vocabulo totius ponitur*. Tu illud limen ſanctiſſimū ingredi auſus es. O lepidum caput. O tecta miſera. *Hoc quoque modo ſpecies, pro genere ponitur*. Iracundus Hadria; Ponto nox incubat atra. *Nomen totius pro*

Synecdoche quid & eius modi plures.

parte: Bibet Germania Tigrim: Fontéq; ignéque ferebant. *Numerus ſingularis pro pluratiuo.* Victor Hungarus. *Et pluratiuus pro ſingulari.* Atrox calamitas pectora mœrore pluſabat. *Materiæ nomen pro effecta re.* Vt ferro confoſſus. *Antecedentia pro conſequentibus: aut conſequentia pro antecedentibus.* Subdidit equo calcaria. vixerunt. Affert Synecdoche copiam orationi: vſitatior Poëtis tamen, quàm Oratoribus. *Tranſſumptio Metalepſis, per quam ab vno gradatim itur ad id, quod intelligitur.* vt, Me quater vndenos ſciat impleuiſſe decēbres, id eſt annos quatuor ſupra quadraginta vixiſſe. Per Decembres hyemes intelliguntur: per hyemes annus. Eſt propinqua Metonymiæ, & Synecdochæ, qua ex effectu cauſa intelligitur, aut ex parte totum. Speluncis abdidit atris. Ex atrore ſpeluncæ tenebroſæ ſignificantur, ex tenebroſis, profundæ, & altæ. *Metaphora tranſlatio, qua verbum à propria ſignificatione ad rem non propriam transfertur propter ſimilitudinem. Quædam reciproquatur, & viciſſim commeat, cùm vox vna cum altera ſumitur, vt hæc pro illa ſumi poſſit:* vt, guber-

Metalepſis

Metaphora

bernator pro auriga: *Et cùm contraria pro contrariis accipiuntur*, Parcus pro auaro. *Quædam non conuertuntur, cùm vnum ſumi poteſt pro alio, ſed non viciſſim*. vt, Vertex pro cacumine, non viciſſim cacumen à monte traduci poteſt ad hominem.

Altera diuiſio metaphoræ in propinquam & remotam.

Alia eſt propinqua, quæ ſumitur à re ſimili, vel affini, vt facilè poſſit intelligi: vt, Horret animus. *Alia remota, quæ à re minus ſimili transfertur durius præter loquendi modum vſitatiorem*: vt, Cænum, labes, funus, & portentum republicæ, pro improbo ciue.

Vſus metaphoræ & cauſæ.

Vtimur metaphora rei ante oculos ponendæ cauſa: : vt, Hic Italiam tumultus expergefecit terrore ſubito. *Breuitatis cauſa*. Aduentus agminis hoſtilis ciuitatem ſubitò extinxit. *Obſcœnitatis vitandæ cauſa*. Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur. *Augendi*: Nullius mœror, & calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariam ſaturare crudelitatem potuit, *Minuendi*. Magno ſe prędicat auxilio fuiſſe; quia paulum in rebus difficillimis aſpirauit. *Ornandi*. Aliquando reipubl. rationes, quæ malitia nocentum interierant, virtute optimatum reuiuiſcunt: *Neceſſitatis, cum pro-*

prium deſit verbum, & cogimur abuti alterius vocis proprietate per Catachreſim, quæ licet vocabulis alienis perinde, ac propriis vti. vel neceßitatis cauſa: vt Horatius parricida, pro eo qui ſororem occidit: *Vel induſtriæ cum ſuppetit proprium verbum, & aliud tamen contra vſum ſumimus*. Cum trãſlatũ ſignificãtius aut decẽtius eſt. Hũc ego, ſi potui tantum ſperare dolorem. *Hoc modo vitiis damus nomina virtutum, & virtutibus vitiorum*: vt cum dicimus, Eſt ſapiens, qui ſit ſtultus; auarus, qui effusè liberalis. *Translatio ſit pudens, vt cum ratione in rem ſimilem tranſeat, ne ſine delectu temerè, & cupidè videatur in rem diſsimilem tranſcurriſſe. Remotæ metaphoræ ſunt, ab animali bruto, ad animal ratione præditum*. Cato Scipionem allatrat id eſt cõuitium facit: *aut ab homine ad brutum*, Canis ridet: *aut ab animali ad inanimum*. At procul excelſo miratus vertice montis paſtor. *Huius generis ſunt, quæ per Proſopopeiam fiunt, cum inanimis rebus vim agendi tribuimus*: vt, Nunc omnis ager, nunc parturit arbos: Omnia nunc rident, nũc eſt lætiſſimus annus. *Aut ab inanimo ad animatum*. Si tantũ pectore robur cõcipis.

Catachreſis quid.

Quid in metaphora obſeruandum.

Metaphoræ remotæ modi

Et ambo florentes ætatibus: *Aut ab inanimato ad inanimũ.* Sylua feris ſcatet. *Mephora quædam in verbis ſingulis eſt, altera in oratione.* Illa, illa tẽpeſtas, caligo bonorũ, ſubita, & improuiſa ruina, & incendium ciuitatis. *Continuata metaphora eleganter in eodem genere rerũ perficitur*: vt, Qui fontes ſuos vberius manantes aperit, noſtros claudet riuulos? *Verum aliquandò variatur aliis, & aliis rebus*: vt, Nolite hunc natura occidentem, velle maturius extinguere vulnere veſtro, quam ſuo fato: aut hunc nunc primum floreſcẽtem firmata iam ſtirpe virtutis tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate peruertere. Metaphoræ adiungitur comparatio: quæ particulã ſimilitudinis adhibet: ſed hoc à metaphora differt, quod ſit lõgior: vt, rugit, vt leo, & rugit leo, *Tropi orationis, quibus totius orationis ſignificatio in aliam commutatur, ſunt Allegoria, Parœmia, Aenigma, Ironia, Hyperbole. Allegoria latinè permutatio, & abuſio, eſt continua plurium verborum translatio, quibus aliud dicitur, & aliud ſenſu intelligitur.* vt, Hoc miror, queror que quemquam hominem ita peſſundare verbis velle, vt etiam nauem perforet, in qua

ipſe nauiget. Et, O nauis, referent in mare te noui fluctus: O quid agis? fortiter occupa portũ: nonne vides, vt nudum remigio latus? Et malus celeri ſaucius Africo, Antennęque gemant, ac ſine funibus vix durare carinæ poſsint imperioſius æquor? Non tibi ſunt integra lintea. Nõ dij, quos iterũ preſſa voces malo. Oratores delectantur allegoriis mixtis, & quæ ſimilitudines habẽt. Nam obſcuritatem vitant imagine addita. vt, Equidẽ cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus cõcionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Item: Quod fretum? quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationeſque fluctuum: quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Omnis tranſlatio interea, aut aliud oſtendit, aut contrariũ; Quę aliud oſtendit, tractatur ſimilitudine, vel argumento. Similitudine, cùm tranſlationes vna, vel plures frequenter ponũtur à ſimplici ductę ratione. vt, Nã cùm canes fungãtur officio luporũ, cuinã præſidio pecuaria credem⁹? Canes magiſtra-

Pro Milone

Pro mur.

tus hic ſunt:lupi tyrãni,pecuaria reſpublica, & populus. Argumento,cum aliqua ſimilitudo augendi, aut minuendi cauſa ducitur,aut à perſona, aut à loco, aut à re geſta: A perſona. Si Iulium Cæſarem dicamus Vlyſſem, ſi Pompeium Aiacem, aut Diomedem : ſeditioſum Gracchum, fœdum, & ſtultum principẽ Heliogabalũ. A perſona, loco, & re, Te pugna Cannenſis imperatorem ſat bonũ fecit: multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed Seruiliũ vidimus. Quis ibi nõ eſt vulneratus ferro Phrygio? non neceſſe eſt omnes cõmemorare Marios, denique Mamercos, quos iã ætas à præliis auocabat. Poſtremo Priamum ipſum ſenem Antiſtiũ, quẽ non modò ætas, ſed etiã leges pugnare prohibebant. Hîc coniunguntur orator, pugna, Cannæ. Nam pugnæ Cannenſis nomine bellum ciuile Syllanum, & Marianũ ſignatur: Adiungitur ex Poëta quodam allegoria belli Troiani: vt orator Priamus, qui à Syllanis trucidatus eſt, cum alijs intelligatur. Ex contrario fit allegoria, cùm vnum ſumitur diſerte, & quod contrarium eſt,

Pro ſexto Roſc.

obſcurius intelligitur, vel ſimilitudine. Quid ait hic rex, atque Agamemnon noſter, ſiue, vt crudelitas eſt, potius Atreus. aut exemplo, ſi inuertas. vt, infacundum Demoſthenem: impudicam Penelopen: intemperantem, & inceſtum Hippolytum: pium Æneam, qui patrem verberarit, dicamus. Fit & allegoria ſine tranſlatione. vt, Certè equidem audieram quà ſe ſubducere colles Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo Vſque ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi, Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam. id eſt, Virgilium. *Ænigma eſt obſcurior allegoria, & occulta rerum ſimilitudine inuoluta ſententia, cuius reconditum ſenſum diuinatione potius, quàm interpretatione cõſequi oportet.* Homo, non homo; videns, non videns: percuſſit, non percuſſit; lapide, non lapide; auem non auem; ſuper arbore nõ arbore. Eunuchus Luſcus tetigit pumice veſpertilionẽ inſidẽtẽ ſambuco: Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cœli ſpatium non amplius vlnas? in puteo. *Parœmia prouerbium, & adagium eſt cele-*

Ænigma.

Virgilij Ecloga.

Parœmia.

bre dictum ſcita quadam nouitate inſigne: vt, Tenedia bipennis in eos, qui ſeuerius iudicãt. Nam rex Tenedi in victos ſuo iudicio ſecuri præſentius animaduertebat. Item: Velocem tardior aſſequitur. Nam viribus imbecillior, arte, & ingenio ſæpe potentiorem vincit. Celebritas adagij ex oraculis eſt deorum, dictis ſapientum, & verbis temerè enunciatis. *Ironia eſt diſsimulatio contrarium verbis indicans, quod aliter intelligitur, quàm dicitur: cognoſcitúrque vel pronunciatione, perſona, rei natura.* Nam ſi quid horum diſſentit verbis, apparet diuerſam eſſe orationi voluntatem dicentis. *Sæpe contemptim efferetur:* Formulæ ſunt ſcilicet, videlicet, verò, quaſi verò credo, o. vt, O præclarum interpretem iuris, autorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem noſtræ ciuitatis, qui hanc pœnã fœderibus adſcribat, vt omnium præmiorum, beneficiorumque noſtrorum expertes faciat fœderatos. Ironia eſt vnius verbi, vt Antiphraſis, quæ verbi contrarium exprimit ſenſum. vt, Bellum, ideſt, minimè bellum, miniméque pulchrum. O ſenem, in puerum.

O Europen, in deformem puellam. O Atlantem, in nanum. Eſt & Ironia plurium verborum. *vt, Sarcaſmos, qui eſt amarulenta, & hoſtilis irriſio.* Sic eat, quæcunque Romanum lugebit hoſtem. *vt, Micteriſmus, qui ſimulatus eſt, & minimè latẽs deriſus, veluti cum riſu, & contractione narium, aut alio irridemus geſtu. Charientiſmos qui feſtiua dictio eſt, & amœnitate mordax: & aſperiora lenioribus mollit.* Bona verba, quæſo: *vt, Aſteiſmus, qui vrbanus, & facetus eſt iocus, & dicax, longè tamen petitus.* vt, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui, atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. *vt, Diaſyrmus, qui eſt irriſio, cùm ludentes ea, quæ ab aduerſarijs dicuntur, ſoluimus:* Quomodo Marcus Cato refellitur in cauſa Murænæ: *vt, Mimeſis, cùm alterius geſtum, aut verba imitamur.* vt, At ego neſciebam quorſum tu ires: paruula hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua: Soror eſt dicta, cupio abducere, vt reddam ſuis. Item Hæc tua te hominem clementem, popularémque delectant. I, Lictor, colliga manus: caput obnubito: arbori infelici ſuſpendito. *Hyperbole, ſi-*

Micteriſ. Aſteiſ. Diaſirmus.

ue ſuperlatio, eſt oratio ſuperans veritatem alicuius augendi, minuendique cauſa. Enuntiat enim verbis falſum, non vt fallat: ſed ex falſo intelligatur verum. Hæc res augetur, vel minuitur, aut ſimpliciter, aut comparatè. vt, Qui candore niues anteirent, curſibus auras. Curate, vt ſplendor meo ſit clypeo clarior, quàm ſolis radij eſſe olim, cum ſudum eſt, ſolent. Elephanto in India pugno perfregiſti brachium, femur dicere volui. Siquidem conniſus eſſes per corium, per viſcera, perque os elephanti brachium tranſmitteres. Memini cẽtum in Cilicia, & quinquaginta centum in Siclo latrones, triginta Sardeis, ſexaginta Macedones, ſunt homines, tu quos occidiſti vno die, ſeptem millia. Quid in Cappadocia, vbi tu quingentos ſimul, ni hebes machæra foret, vno ictu occideres? Duplicatur nonnumquam Hyperbole: Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico? Oceanus medius fidius non videtur potuiſſe tã multas res abſorbere, quam Antonius. Res iiſdem minuitur modis: vt, Vix oſſibus hæret. Et, Hic de tanto patrimonio ne

teſtam quidẽ reliquit, vnde petat ignẽ. Iro pauperior. tarditate tardior. *Periphraſis Græcis, eſt Latinis circuitio, & circũlocutio, per quam id pluribus effertur, quod vno, vel paucioribus efferri poteſt.* Vrbis, & imperij conditor, id eſt Romulus. *Nam quidquid ſignificari breuius poteſt, & cum ornatu, & copia oſtenditur, eſt Periphraſis.* *Periphraſis.*

Hæc fit per definitionem rei, cum quid res ſit explicatur: vt, Virtus dicendi, id eſt, eloquentia: *Per definitionem nominis, quæ Græcis eſt Etymologia.* Studium ſapientię, Philoſophia. *Per deſcriptiones, cum ex adiunctis, & effectis, ſigniſque rem deſcribimus:* vt, Ille gurges, atq; helluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ. &: Proceſſit qua autoritate vir? vini, & ſomni plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta. id eſt eſt Gabinius. *Modi Periphraſis.* *Cic. poſt. reditum.*

Fit Periphraſis tribus cauſis, copiæ, & ornatus: dum id venuſtè augetur, & variatur pluribus verbis, quod vno vel paucioribus dici poterat: Deinde vitandæ turpitudinis, vel obſcœnitatis. Frater tuus minimus te amat plurimum, qui propter timiditatem, & no- *Periphraſis cauſa.* *Cic. pro cælio.*

ɛ́turnos quoſdam, & inanes metus tecum ſemper puſio cum maiore ſorore cubitat. *Denique neceßitatis, cum vel rei nullum eſt nomen impoſitum, vel, ſi eſt ignotum nobis, aut non occurrit*: vt, In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter? Deſcripſit radio totum, qui gentibus orbem: Tempora quæ meſſor, quæ curuus arator habebat. His ſtrictim expoſitis, cætera perſequar.

Virg. Ecloga 4.

Cap. 9. Expolitio. quid & quibus fiat modis.

EXpolitio, cum eodem loco manemus, & aliud dicere videmur. Ea dupliciter fit, cum eandem planè dicimus rem, & de eadem re. Eandem rem commutamus, atque explicamus verbis, pronuntiatione, tractatione. Verbis cùm eandem rem ſynonimia ſimplicium verborum, & conſtructionis ſemel, iterumque, & ſæpius exprimimus alijs verbis idem ſignificantibus, aut eodem pertinentibus. Non faciam, non patiar, non ſinam. Ciuem Romanum vincire facinus, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? *Pronuntiatione, ſi in ſermone, in acrimonia, in alio, & alio genere vocis, atq; geſtus ea, quæ verbis commutamus, pronuntiatione quoque variamus.* Num ibo? egóne? ad eam? quæ me? quæ illum? quæ non? mori

In verrem.

Terentius. in Eunucho.

malim. *Tractatio fit, ſi ſententiam traducimus ſermocinatione, exuſcitatione, & alijs.* Ornata eſt expolitio, quæ conſtat frequentibus exornationibus verborum, & ſententiarum, ſimilibus, & exemplis, concluſionibus, contrarijs. Publius Decius Conſul ſe deuouens pro exercitu: Quid moror vltrà, Deci pater, familiare fatum? Datum generi noſtro eſt, vt luendis publicis periculis piacula ſimus. communem legionum ſalutẽ noſtra ſanciamus morte. Præſidium aſſeramus patriæ in capita execrati noſtra. Non mihi natus ſum ſoli: natus ſum patriæ ciuibuſq; meis. Bello præpoſitus eò ſum, vt vnus effulgeam purpura, viuamq; vnus? Vos, Quirites, veſtris ſuffragijs, veſtro beneficio ducem ſeruatoremq; veſtris copijs præfeciſtis. Vita hęc, quę fato debetur, commilitonum meorũ ſaluti ſoluatur præſentius. Salus vna eſt proijcere ſalutem. An Decius, Decius non eſt? Sanctè Decius eſt, & Decij filius morte longiùs victurus. Non fallam iudicium ciuitatis, quæ me ſummis honoribus excoluit. Exercitum, qui iam me quartùm

Conſulem ſequitur in diſcrimen adigi num patiar? Qui corporum oppoſitu incluſam in hoc corpore texerunt animam: animam ſuarum ſeruatricem Dijs Manibus dicatam ęternùm laudent: valeant, vincant, incolumes ſe patrię reddant. An non ſatis ætati, ſatis gloriæ, ſatis honoribus vixi quater Conſul? Ego vnum pro multis caput placandæ Cœleſtium Inferorumq; iræ dedo. Ego legiones hoſtium mactandas Telluri, & Dijs immanibus dedo: Ego hunc ſanguinem meis commilitonibus, ciuibus tuis, Quirine pater, dedo. Age, Marce Liui Pontifex ceremoniam patra: pręi ferale carmen me vnum, & hoſticas legiones pro exercitu populi Romani funebribus Diris deuoue.

Copia rerũ. *Copia rerum, eſt artificioſa facultas extendendi, augendiq; cum ornatu argumenti, quæ exornationibus amplificationis paratur. Amplificatio enim vna eſt verborum, qua verbum grauius, pro minus graui, vſurpamus: alia rerum, qua res, ſiue argumenta dilatantur.* Auxeſis. *Auxeſis, cum grauiore verbo, quàm pro re vtimur, atrociusq; proprij loco ſubſtituimus.* Duo portenta, ac funera

funera reip. Parricida ciuium, Ignibus inflammati tumultus Italia conflagrauit. Iamne vides belua. *Tapinoſis, ſiue extenuatio, eſt ſubſtitutio leuioris verbi, pro grauiore.* Puſio, pro breui homine, Phrygium ferrum pro enſe. Barbatúlus, delicatulus, puellus, animulus. *Emphaſis, qua ſignificantius aliquid intelligi volumus, ſiue latens, ſiue expreſſum.* Vbi ſunt illi, illi equites tui? *Synonimia, quæ multa verba ſignificationis eiuſdem, aut cognatæ coniungit.* Animus priſtinus, ac perennis cum Caio Cæſare reducit, reconciliat, reſtituit in gratiam. Hac vtendum eſt, cùm in re graui opus eſt commorari, & auditorem diu detinere. In re tenui varianda, neque opera curioſior neq; ſuperuacua ponatur. Conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſeruate coniuges, liberos, fortunaſque veſtras, populi Romani nomen, ſalutemque defendite. Addictus, deditus, obſtrictus vobis. Oriuntur hæ figuræ, quę ad ornamdam non minus, quàm augendam orationem pertinent ex definitionis cómuni loco. *Eſt enim definitio, quæ rei alicuius proprias amplectitur po-*

Tapinoſis. Emphaſis. Synonimia. Definitio.

teſtates breuiter, & abſolutè. Maieſtas eſt, qua cótinetur dignitas (in qua potétia & amplitudo ciuitatis (in qua autoritas eſt honorifica.) Iniuria, quæ aut pulſatione corpus, aut cóuitio aures, aut aliqua turpitudine alicuius vitam violat. Eſt hæc ſimplex. *Altera, quæ diſtinguit, quid inter duo, pluraq; interſit, & ſubijcit rationē diſcriminis.* Non eſt diligentia, ſed auaritia: nam diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorū: auaritia iniurioſa alienorū appetitio. Nó eſt fortitudo, ſed temeritas adire periculum ſine honeſta ratione: Nam fortitudo eſt laboris contemptio, & periculi cū ratione vtilitatis, & compēſatione cómodorum: Temeritas eſt, cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorū ſuſceptio. Cómoda putatur exornatio, quod omnem rei cuiuſpiam vim, & poteſtatem ita dilucidè proponit, & breuiter explicat, vt neq; pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neq; lucidius.

Cap. 11. *Deſcriptiones.*

MAnāt & ex definitionis fontibus deſcriptionis modi, demonſtratio, hypotypoſis, topographia, chronographia, proſopographia, notatio, effictio, conglobatio. Deſcriptio nominatur, quæ rerum conſequentium

Deſcriptio.

continet perſpicuam, & dilucidam cum grauitate expoſitionem. Ea rem, dictum, factum, perſonam, affectum, mores ſic exprimit adiunctis latè, & copiosè, vt lectori, auditoriúe ob oculos inſtar perfectæ picturæ proponantur. Demonſtratio (Hypotypoſim vocant Græci, & vim id faciendi, & virtutem, energiam, Latini euidentiam, aut perſpicuitatem) quæ ita rem, dictum, factum verbis exprimit: vt non tam audiri, quàm videri, & ante oculos ſubiungi videatur. Etenim hæc figura continet modum rei geſtæ per antecedentia, adiuncta, conſequentia, apparentia, neceſſaria, quibus rei, facti, dicti, imago perſpicuè auditoribus ante oculos redditur. Demõſtratio. Hoc enim deſcriptioni diſtat demonſtratio, quod illa tantum conſequentium eſt comprehenſio: hæc etiam antecedentium, & mediorum, & ſimul conſequentium, & veriſimilium. vt, Nonne hæc vobis, quæ audiſtis, cernere oculis videmini iudices? Non illum miſerum ignarum caſus ſui redeuntem à cœna videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur vobis ante oculos in cæde Glaucia? non hortator a-

adeſt iſte Titus Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariæque victoriȩ nuntium? non orat, vt eam noctem peruigilet? vt honoris ſui cauſa laboret? vt Capitoni quamprimum nuntiet? *In hac figura præmonitio breuis apertæ deſcriptioni præponi poteſt, vt animus auditoris fiat attentior. Componitur demonſtratio ex effictione, notatione, ſermocinatione, & plus virium habet, quod totius rei conſecutionem continet, & demonſtrat. Adhibetur non amplificandi modo, & illuſtrandi cauſa: verumetiam ornandi, delectandi, affectus mouendi. Huc enim referuntur affectus, exclamationes, execrationes, obteſtationes, optationes, adhortationes, ominationes. Hoc enim exornationis genere, vel indignatio, vel miſericordia poteſt commoueri: cùm res conſequentes, & comprehenſim vniuerſæ perſpicua breuiter exprimuntur oratione. Adhibetur in epilogis maximè.*

Proſopographia. *Proſopographiam Græci dicunt deſcriptionem veræ, vel fabuloſæ perſonæ, attributis animi, corporis, fortunæ expreſſis.* Quales ſunt Plutarchi, Plinij, Suetonij, &

maximè illuſtres, & graues, & latinæ Pauli Iouij. vt, Lucius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi, & animi, & corporis, ſed ingenio malo, prauoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis grata fuere: ibique iuuentutem exercuit ſuam. Corpus patiens inediȩ, vigiliȩ, algoris, ſupra quam cuiquam credibile. Animus audax, ſubdolus, varius, cuiuſſibet rei ſimulator, ac diſsimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, ſatis loquentiȩ ſapientiȩ parum. Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. *Perſonæ fictæ, & res inanimæ, & incorporeæ deſcribuntur attributionibus quæ perſonis propriè conueniunt. Deus, Angelus, virtus, voluptas, fama, auaritia, Philoſophia.* vt, Aſtitiſſe ſupra verticem viſa eſt mulier reuerendi admodum vultus: oculis ardentibus, & vltra communem hominum valentiam perſpicacibus: colore viuido, atque inexhauſti vigoris: quamuis ita æui plena foret, vt nullo modo noſtræ crederetur ætatis. ſtatura diſcretionis ambiguȩ Nam nūc

aut à nobis, quiprimũ eas tractam⁹ exactè ſeruari. Sic Hectorẽ animo excelſo, & magno, mortis contemptorem, gloriæ, decoriſque ſtudioſum, patriæ cuncta poſthabentem: Vlyſſemfraudulentum, eloquentem, imbellem: Agamemnonem imperij cupidum, voluptatis amátiorem, quam belli faciemus. *Ethopia morum, & mitiorum affectuũ expreſsio, vel proprietas.* Ethopię tres ſunt formæ: vna eſt ſignificatio morum productior: vt, ingeniorum, artium, virtutum, vitiorũ. Congruit Comœdiis, & Dialogis. Altera expreſſio naturalium propenſionũ & inſitarum affectionum. Qualis eſt demonſtratio amoris paterni erga liberos, coniugum, hoſpitum, amicorum, vicinorum coniũctionis, deſiunctionis hoſtium: hæc hiſtoriæ propria, quæ animorum cupiditates, conſilia, res geſtas ſine motibus grauibus depingit. Poſtrema leuiorum affectionum, quæ non ita perturbant animos, neque præcipitant vt cùm leuiores affectus hominũ erga nos elicimus, aut animum in ſpem erigimus, in lætitiam, in riſum. Hanc elaboramus in exordiis. *Pathopeia vehemen-*

Pathopia. *tiorum, & grauiorum perturbationum. Huius modus prior eſt imaginatio, qua metus, dolor, ira, furor, odium, inuidia, effrænis cupiditas, libido, immodica ſpes, immoderata lætitia, perturbatióque animi deſcribitur, aut excitatur. Conuenit tragœdiis. Alter eſt commiſeratio, qua exprimuntur lachrymæ, mouetúrque miſericordia, vel captatur venia. Eſt idonea concluſionibus.* Nam pro affectibus ætatibus, fortuna, & cæteris qualitatibus variatur oratio. Etenim aliter incipit, aut exequitur orationem iratus, aliter timens, gaudens, triſtis, ſenex, iuuenis, vir, fœmina, Deus, homo, laſciuus, tetricus, ignauus, fortis, doctus, ruſticus. Lætantis oratio eſt alacris, tumens vani, breuis, & conciſa ptoperantis, meretriculæ mollis, & blanda, matronæ ſeria, ſenum grauis, temeraria pueri, miſera humilis, longa, & multa ambiens confitentis, paraſiti faceta, matris anxia, ruſtici incondita, oratoris ornata. *Proſopographia complectitur notationem animi, & corporis effictionem. Notatio enim eſt, qua perſonæ alicuius natura, animus, mores, ſtudia, propenſiones deſcribũtur certis proprietatibus, qui-*

Proſopographiæ partes.

Notatio.

bus,quid cuiuſque naturæ ſit conſentaneum, intelligimus. Vixit ſemper incultè, atque horridè, natura triſti, & recondita fuit, non ad ſolatium, non in campo, non in conuiuiis verſatus eſt. Sic in fictis, quid deceat, quid in mutis animalibus, proprium. Huiuſmodi notationes, quæ deſcribunt, quod conſentaneum ſit cuiuſque naturę, habent magnã delectationem. Totam enim naturam cuiuſpiam ponunt ante oculos, glorioſi, inuidi, auari, ambitioſi, amatoris, luxurioſi, furis, quadruplatoris, denique cuiuſque ſtudia protrahunt in medium tali notatione. *Effictio, quæ corporis formã exprimit, & effingit verbis, vt ſatis intelligatur adiunctis, aut breuiter, aut productius, cũ ſingula mẽbra ſuis accidentibus notat.* Patris cognatus, atque æqualis Archidemides incuruus, tremulus, labiis demiſſis, gemens continuò accurrit ad me. Item? Hic eſt vetus vietus, veternoſus, ſenex, colore muſtelino. Habet exornatio cum vtilitatem, ſi quẽ velis oſtendere; tũ venuſtatem, ſi breuiter, & dilucidè fiat. Quẽadmodũ enim, pictor coloribus figuras deſcribit; ſic orator hoc ſchemate, & verbis, aut *Effictio.*

tiſſimi ciues tulerũt. *Altera Sermocinatio eſt quæ aptũ cuique perſonæ affingit orationẽ, eamque exponit cum ratione dignitatis, in qua conditio, ſtatus, vita, mores, ætas, ingenium, ſexus, ſtudia elucent.* Hæc eſt affinis effictioni, quæ eſt corporis, & notationi, quæ eſt animi. Sed hæc propriè vocis eſt, & pronunciationis: & illæ vnam habent perſonam, hæc plures ſæpe. Vt Horatiorum tergeminorum maximus. En pater, tibi tua ſoboles commeatu, & imperio principis Hoſtilii Huc patria poteſtas in nostua, & noſtra in te pietas adigunt. Ne internecione parricidiali cognatæ ciuitates intercidant: nos, & Curiatij, liberi, nepoteſque tui de regno, & libertate duorum, populorum, ſi annuis, decernemus. Hoſtilius Rex tuos legit Horatios: Suffetius Curiatios: & conſobrinos duello vterque committunt. Horatius intuens in vultus ſuorum alacres, & ſpei bonæ plenos exclamat. Dij patrij hanc indolem meõrum ſoſpitate: quodcumque audeant. geruntque auſpicatum, & fauſtum, & fœlix Romæ patriæ, populo Quiritium

& queſtu:do, mi vir, quod vis,& æquū, & fas eſt: Vos nati, quod Romanum eſt, facite fortiter, & patimini. Vos ô Romæ Auſpices,& tutelares Dij, proſpere fœlicitérque ſecundate cuncta. *Proſopopeia, perſonæ effictio, qua rebus mutis ſermonem tribuimus, aut vita defunctos, tanquam præſentes inducimus loquentes.* Hic ingenio, prudentia, rerumque opus vſu, vt decorum ſeruetur, & conditio, ſexus ætas, ingenium,mores, affectus, ſtudium, caſus, euenta, locus, tempus animaduertantur. Et oratio, in qua hæc neglecta non ſunt, ad dignitatem eſt accommodata. Hic res magnæ ſunt, & perſonæ graues, in quibus autoritas eſt, non paruæ, non mediocres, vt in ſermocinatione. Appius Claudius Cæcus in Clodiam ſic agit. Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, vt aurum commodares? aut tam inimica, vt venenū timeres? non patrem, non auum, proauum audieras Conſules fuiſſe? non denique modò Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas fortiſsimi, & patriæ a-

Proſopop.

montis, maris, fluminis, horti. vt, Lacus eſt Vadimonis in ſimilitudiné iacentis rotæ circum ſcriptus, & vndique æquatus, nullus ſinus, obliquitas nulla, omnia dimenſa, paria, & quaſi artificis manu cauata, & exciſa. Color cœruleo albidior, viridior, & preſsior, ſulphuratus odor, ſapórque medicatus, vis, qua fracta ſolidantur. Spatiũ modicum, quod tamen ſentiat ventos, & fluctibus intumeſcat. Nulla in hoc nauis: ſed innatant inſulæ herbidæ, omnes arũdine, & iunco tectę: quæque alia fœcundior palus, ipſáque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, cunctis margo deraſus: quia frequenter, vel littori, vel ſibi illiſę terunt, & teruntur. Par omnibus altitudo, par leuitas: quippe in ſpecié carinæ humili radice deſcendunt. Hęc ab omni littore perſpicitur, eadé aqua pariter ſuſpenſa, & merſa. Interdũ iunctæ, & copulatæ, & cõtinétis ſimiles eunt: interdũ diſcordãtibus ventis digerũtur: nonnũquã deſtitutæ tranquillitate, ſingulæ fluitãt. Sæpè minores maioribus, velut cymbulæ onerariis adhęreſcũt. Sępè inter ſe maiores minoréſq;, quaſi curſũ, certaméq;

Triſtis, & ignaui pleniſsima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Chronographia tẽporis deſcriptio per ea, quæ in tẽpore, quod deſcribitur, ſunt, dicuntur, accidũt: vt tẽporis natiuitatis, excidij, patrũ ſęculi, auorum, veris, ęſtatis, autũni, hiemis, pacis, belli, ſeditionum, monarchiæ, quibus oſtendimus, quæ virtutes, quæ vitia, quę opes, affectio animorum. *Chronographia.*

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum pecudúmq; genus ſopor altus habebat,
Cum pater in ripa, gelidíque ſub ætheris axe,
Æneas triſti turbatus pectora bello
Procubuit ſeráq; dedit ꝑ mẽbra quietẽ.
Huic Deus ipſe loci fluuio Tyberinus amæno,
Populeas inter ſenior ſe attollere frõdes
Viſus, eũ tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus: & crines vmbroſa tegebat arundo.
Tũ ſic affari & curas his demere dictis:

Conglobatio definitionum multarũ rei eiuſdẽ, *Cõglobatio.*

è locis diuerſis depromptarũ, quæ ad maiorem grauitatem, vel motum, vel probationem coarceruantur. Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Vidimus templum ſanctitatis, cócilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portũ omniũ gentium inflammari, excindi, funeſtari.

Diuiſionis partes.

DIuiſio & ſuas ſuppeditat oratori formas, diſtributionem, diuiſionem generis in ſpecies, partitionem totius in partes, numerationem accidentum pro ſubiectis, epanodum, dilemma.

Diſtributio

Diſtributio, quæ, quod ſummatim, & generatim dici poteſt, in plures partes, aut perſonas diducit. Hæc incredibilem comparat copiam, & cóprehendit breuiter multa, & ſuũ cuique tribuens officium, ſeparat, & res diuidit plures, vt genus in ſpecies, totum in partes, in accidentia, ſubiecta in res, res in ſubiecta. Eget Catilina Senatu, equitibus Rom. populo, vrbe, ærario, vectigalibus, Italia cuncta, prouinciis omnibus, exteris nationibus. Item: Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis parricida? quis adulter? quę mulier infamis? quis perditus inueniri poteſt, qui ſe cũ

Catilina non familiariſsimè vixiſſe fateatur? Diſtributionis ſummus eſt vſus oratoribus, & poetis, cùm rem generatim proponunt, & definiunt; in narrationibus, cùm res, aut tépora diuidunt pro natura argumenti, in propoſitionibus, & diuiſionibus, in confirmationibus, & cófutationibus, operis corpore, in concluſionibus. *Dilemma, ſiue diuiſio, ſiue complexio, qua duo contraria diſtinguũtur ſubiecta ratione. Eſt enim argumentationis genus, quo propoſitio aliqua probatur, aut refellitur argumẽto in duas partes diuiſo, quarum vtraque probatur, aut refutatur contra mentem aduerſarij.* Antonius monachus Philoſophis. In abditam, aſperámque ſolitudinem perueniſtis ad fatuum hominem, aut ſapientem. Si opinione veſtra fatuum, vanus labor veſter, atque cupiditas inſana: ſi ſapientem, imitamini, & initiati ſalutaribus ſacris Chriſto deuouere mentes. Qui ſuſpectantur inſidiarũ, aut tui ſunt, Cæſar, aut inimici: nó tui, qui tua victoria ſunt omnia có ſecuti: nõ inimici, qui tuo beneficio sũt amici. *Paradiaſtole, ſiue diſiũctio, quæ cõtrarijs redditis, diuidit ea, quæ vnã vĩ habere videtur:* Dilemma. Paradiaſtole.

quæque ſic concedit aliquid,vt vicinum quiddam detrahi poßit. Non eſt ſapiens, ſed ſtultus: non fortis, ſed confidens; non ſeuerus,ſed maleuolus; non parcus, ſed auarus. Veritas laborare poteſt, opprimi non poteſt. *Cōgeries eſt coacernatio verborum varia ſignificantium.* Egregias Annibalis virtutes ingentia vitia æquabāt: inhumana crudelitas, perfidia pluſquā punica, nil ſancti, nil veri; nullus deū metus, nullū iuſiurandū, nulla religio. Nihil erat,quod non ipſe obiret.occurreret,vigilaret, laboraret: frigus, ſitim ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum,tam audacem,tam callidum, tam in ſcelere vigilantē, tam in perditis rebus diligentem afflixi.*Frequētatio,qua res in tota cauſa diſperſæ coguntur vnum in locum, quo grauior, aut criminoſior fiat oratio.* Adiuuat cauſas coniecturales, quibus ferè ſemper eſt neceſſaria, cùm ſuſpiciones ſeparatim tractatæ, & per confirmationem ſparſæ, & quidem forſan infirmę:in vnum locum redactæ rem certam, non ſuſpicioſam facere videntur. In cæteris generibus cauſarum, & omni oratione adhibetur

Congeries.

Frequentatio.

nonnunquam. Poſſum ſuſpicionum latebras peragrare dicendo. Non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperitur. Nolite Iudices, nolite ea, quæ dixi ſeparatim ſpectare, ſed omnia colligite, & conferte in vnum. Si & commodum ad iſtum ex illius morte veniebat, & vita eſt turpiſſima hominis, animus auariſsimus, fortunę familiares attenuatiſsimę, & res iſta bono nemini præter iſtum fuit: neque alius quiſquam æquè commodè, neque iſte modis aliis commodioribus facere potuit, neque prętcritum eſt quidquam ab iſto, quod opus fuerit ad maleficiũ: neq; factũ quod opus nõ fuerit: & cùm locus maximè quæſitus: tum occaſio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportuniſsimum: ſpacium conficiendi longiſsimum ſumptum eſt, non ſine maxima ſpe, & cætera. *Sententia, quæ quid fiat, aut fieri ſoleat, atque oporteat, vel expeti, vel vitari, breuiter, atque vniuerſe demonſtrat.* Nunquam temeritas cùm ſapientia commiſcetur, nec ad conſi- Sententia.

lium caſus admittitur. Tolerabilior eſt reipub. princeps improbus, qui amicis vtitur bonis, quam laudatus, qui rerum procurationem prauis defert.

Epiphonema. *Epiphonema eſt acclamatio rei narratæ, vel probatæ; ſiue amplificatio quædam honeſtatis, dignitatis, vtilitatis, difficultatis, & ſimilium rerum, quæ admirationem auget.* Adeo odiũ certaminibus ortũ ciuilibus vltra metã durat, nec in victisdeponitur. Hęc ſunt prælia Cornelij, talis in rép. noſtrã labor, aſſiduitas, dimicatio, virtus digna ſummo imperatore, ſpes pro præmiis periculorum. Particulæ epiphonematum ſunt, Adeo, vſqueadeo, tantus, hic, ille, talis, & ſimiles. Magnum ornamentum addit orationi, & vim; & habet acumen, & aculeum, & aures, & animum ferit, ſi commodè apponatur.

Noæma. *Noæma, ſiue cogitatio ſententiæ, cùm quæ non dicimus, tacitè ſignificamus, vt intelligere poſſit auditor. Sententia enim ingenij, & ſcommatis plena, quæ torquetur in perſonam, cuius mores, aut ineptiæ notantur.* Hiſpani gentium ſoli armis Romanis domiti vires ſuas intellexerunt. Item: Athenienſes verbis litteriſq; bellum ad-

uerſus Philippum gerebant. *Incremenmentum, cum veluti gradibus quibuſdam peruenitur, non modò ad ſummum, ſed quodammodò ſupra ſummum.* vt, Maximè perturbatus eſt Deiotarus, vt audiuit Conſules ex Italia profugiſſe, omnes conſulares, cunctum Senatum, totam Italiam eſſe effuſam. Incrementū

EX *locis cauſarum ſunt Pyſma, ætiologia, diceologia, neceſſitas, metaſtaſis: Pyſma, per quod nos ipſi, à nobis crebrò rationem poſcimus cuiuſq; propoſiti.* Hodie non deſcendit Antonius. Cur? Dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo: putatote Phormioni alicui, tum Gnatoni, & Ballioni. *Ætiologia, cùm alicuius propoſiti ſtatim rationem ſubijcimus, quæ ſententiam ferè includit.* Etſi acerbum, quod dicturus ſum, videbitur: ęquo tamen animo audiendum eſt. Nam verum cōſilium, quod initio moleſtum eſt, in poſterum cognita vtilitate, fit iucundū. *Diceologia, cùm facti noſtri cauſam, quam afferimus, vt æquā vt honeſtam defendimus,* Fecit iratus, affectus iniuria: ceſſit temporibus, ętati datum eſt. *Neceſſitas diceologiæ ſimilis, cùm neceſſitatem alicuius rei,* Cap. 13. Pyſma: Ætiologia. Diceologia. Neceſſitas.

aut facti cauſamur. Arma ſumpſit contra Cęſarem, non voluntate, ſed coactus legibus & officio. Illis timidis, & ignauis eſſe licet, qui receptum habent: nobis neceſſe eſt eſſe fortibus, quibus ad effugium nihil reliquum. *Color eſt callida, & probabilis, & ficta ſuſpectæ cauſæ, ac rei perperam actæ defenſio.* Dat enim rebus deformibus colorem, & cauſam facti cōmentitiam, ſed ſpecioſam exquirit. Initia illa geſtarum rerum magna, atque præclara, non felicitati Luculli, ſed virtuti; hęc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, ſed fortunæ tribuenda eſſe videntur.

Color.

Cap. 14. *Cōparatio.*

COmparationis ſunt formæ plures, quæ orationem faciunt, tum aptam, tum ſplendidam. Comparatio, qua vel paria cum paribus, vel minora cum maioribus, vel maiora cum minoribus conferuntur; & ornandi & amplificandi, & argumentādi cauſa. Serui me Hercule mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt metuunt omnes ciues tui: domū meā mihi relinquendā putarem: tū, tibi vrbem non arbitraris? *Similitudo eſt oratio traducens aliquid ſimile ex re diſpari, ad rem quampiam: hoc eſt, eſt collatio rei*

Similitudo.

mutæ, vel in animæ, vel incorporeæ noſtro inſtituto, & cauſæ accōmodata propter aliquod ſimile, aut diſsimile, quæ rem minus cognitam, per eam, quæ notior eſt, demonſtrat. Vna eſt, quę propoſitioné habet, & redditioné, &notas exprimit vtriuſque: Altera, quę caret, aut notis ſimilitudinis, vel coniūgit, & miſcet propoſitiones ſimilitudinis cū redditione. Sumitur ſimilitudo orādi cauſa, per cōtrarium, cùm ei rei, quam probamus, nos negamus aliquā rem eſſe ſimilem: aut probandi, per negationem: vel apertius dicendi, per breuitatem: cùm non res à re ſeparata, vt in alijs: ſed vtræque res coniunctæ, & confuſæ pronuntiantur: Vel ante oculos ponendi negotij, per collationem, qua propoſita ſimilitudine, paria paribus referuntur. Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes: vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes: nūc te patria, quæ cōmunis eſt omnium noſtrum parens, odit, ac metuit, & iam diu te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu, neque autoritatem verebere? neque iudiciū ſequere? neque vim per-

Diſsimilitudo. timeſces? *Diſsimilitudo eſt comparatio rerũ diuerſarum, propter diuerſam, & diſsidentem qualitatem.* Hęc figura eſt euidentię, qua res deſcribitur qualitatibus alienis per cõparationẽ. Sicut exẽplũ ab hominis facto, & perſonę hiſtoria, aut fabula petitur: ſic cõparatio, à qualibet re præter hominẽ, & præter hominis factũ. Exẽpla, & ſimilia faciẽdę fidei proſunt multum: prę ſertim cùm per inductionẽ adhibentur. Sol oppoſitus, cõiunctusque lunæ, eius luminibus offuſcat, præſens vir probam coniugem ſplendidius illuſtrat. Videte, ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriã relinquere: ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri & conſeruare nõ

Exemplum. poſſe. *Exemplum eſt dicti, aut rei geſtæ cum autoris nomine expreſſo, aut perinde, vt geſtæ, vtilis ad perſuadendũ, & explicandũ id, quod intendimus, cõmemoratio conſtans collatione parium, aut diſparium, maiorum, minorũ.* Eſt exemplum aliud verum, aliud fabuloſum. Sumuntur exempla ex tẽporibus, & ætatibus, nationibus, regibus, & illuſtribus viris, mulieribus, pueris, virginibus, Chriſtianis, Ethnicis. Exempla an-

tiqua,& domeſtica,& illuſtria mouent, & longè minora. Recentia ſunt notiora: vetera plus habent autoritatis. & vera magis,quàm ficta; Chriſtiana, quàm Ethnica: ſacra,quàm profana. Ornatiorem exemplum facit rem, cùm nullius rei, niſi dignitatis cauſa ſumitur: apertiorem,cùm id,quod obſcurius, magis dilucidum reddit: probatiorē, cùm magis veriſimilem facit, & ob oculos ponit,cùm exprimit omnia perſpicuè: vt res dicta propè manu tentari poſſit. Ex ſuo regno,ſic Mithradates profugit, vt ex eodem Ponto,Medea illa profugiſſe dicitur,quam prædicant in fuga fratris ſui membra diſsipauiſſe, vt eorum collectio diſperſa,mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mithradates fugiens maximam vim auri, atque argēti, pulcherrimarumque omnium rerum,quas, & à maioribus acceperat,& ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat,in Pōto omnem reliquit. Hæc dum noſtri colligunt omnia diligētius, Rex ipſe è manibus effugit. Ita illum in perſequendi ſtudio mœror, hos lætitia retardauit. *Apologus eſt fabula, in* *Apologus.*

qua muta animantia loquentia & inanimæ res humano more inducuntur. vt, Vulpes laqueo capta euaſit, facta caudæ iactura: cùm longioris tæderet vitæ, & flagrantis infamiæ; ſtatuit aliis vulpibus, vt & ſuas demerent, perſuadere, vt communi malo ſuum cælaret dedecus. Pro concione vulpium frequenti fit autor, vt indecens membrum, & ſuperuacuũ & appenſum abſcinderent. At vna ex vulgo callidiſſimarum ferarum, heus tu, ait, niſi hoc tibi conduceret, nobis non conſuleres. *Parabola.* *Parabola eſt collatio rerum genere diſsimilium.* vt,

Qualis vbi audito venantum murmure Tygris,
Horruit in maculas, ſomnóſque excuſſit inertes:
Bella cupit, laxátque genas, & temperat vngues;
Mox ruit in turmas, natiſque alimenta cruentis
Spirantẽ fert ore virum: ſic excitus ira
Ductor in abſentem conſumit prælia fratrem.

Imago.

Imago eſt formæ cum forma, cũ quadã venuſtate collatio, laudis, aut vituperij cauſa, ſi in

odium, in inuidiam, in contemptum, quis adducitur. Nam iſte profectus eſt, non vt legatus populi Romani: ſed, vt quædã calamitas peruadere videretur. Cum homine crudeli nobis res eſt, an cum fera, atque immani bellua? Contrariorum locus exornationes ſuas in partem eloquentiæ confert. *Contentio, cum ex contrarijs amplificatur oratio verbis, vel ſententiis.* De ea præcepi prius. Vos huius incommodis lugetis; iſte reip. calamitate lætatur. *Inuerſio, qua docemus argumentum, quod contra nos affertur, pro nobis facere.* Sepelijſti ſolus; cædem feciſti: Si cędem feciſſem; manus ſepulturę non impertiſſem. *Communicatio, cum duæ res contrariæ coniunguntur.* Tam deeſt auaro, quod habet; quam quod non habet. Vterque vituperatur, & prodigus, & auarus; quod neuter rebus ſuis rectè vtatur. *Diaphora, cum verbum iteratum aliam ſententiam ſignificat, quam notarat dictum prius* Huius ærumnę quemuis cæterorũ hominum, modo hominem commouere poſſent. Item: In vniuerſam mulierem, quid potius dicam, aut verius, quam mulierem? *Reiectio, cum quippiam*

Contentio. *Inuerſio.* *Cõmunicatio.* *Diaphora.*

ab aduerſario allatum eludimus: aut, quæ oc-
Reiectio. *currunt, alium in locum transferimus.* De hac re quid attinet dicere? Erutij criminatio tota, vt arbitror, diſſoluta eſt. Niſi fortè expectatis, vt illa diluam, quæ de peculatu, ac de eiuſmodi rebus commentitiis inaudita nobis antehoc tempus, ac noua obiecit: quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidij, neque ad eũ, qui cauſam dicit, pertinebant. De quibus quoniam verbo arguit, verbo ſatis eſt negare. Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam; vt neque falſa laus aſficta, nec vera detracta oratione noſtra
Brachiepeia. videatur. *Brachyepeia, cum orator breuitate ſententiæ præcedit auditoris expectationem.* Quęris à me quo iure obtinere poſſim? quo iure Polienus reliquit: quo iure Prætor dedit poſſeſſionem: leges me defendunt, ad te non pertinet: hi veritatem ſequantur.
Conceſsio. *Conceſsio, cum quædam aduerſario concedimus; deinde inferimus, quod aut maius ſit, quam ſuperiora, aut etiam omnia, quæ conceſsimus, infirmet.* Verum eſto: ſit tibi liberũ omne tempus illud,

quod cum imperio fuiſtj: etiamne priuatus? etiamne reus? etiamne pene dãnatus hoſtium duces priuata in domo retinuiſti? Dominetur in concionibus inuidia, iaceat in iudiciis. Fueris illi aliquandò amicus intimus, & familiariſſimus, beneficia contuleris. Quid tum? an non amicitia omnis iſto tuo facinore diſſolui potuit? *Confeßio, cùm callidè omnia aduerſario concedimus.* Habes, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum confitentem reum. *Conſenſio, cùm aduerſario aſſentiri videmur, quod obliquè criminamur.* Gaudeo etiam, ſi quid ab iſto abſtuliſti, & abs te nihil rectius factum eſſe dico. *Oppoſitio, ſiue compenſatio, Græcis Antypophora, qua nobis aduerſariorum dicta proponimus, vt illis reſpondeamus*. Difficilis ratio belli gerendi, at plena pietatis. Item: Quid igitur ait Hortenſius, ſi vni omnia tribuenda ſint, vnum digniſſimum eſſe Pompeium: ſed ad vnũ tamen omnia deferri non oportere. Obſoleuit iam iſta ratio re multò magis, quam verbis refutata. *Hypophora eſt aduerſæ partis intentio, ſicut Antypophora, reſponſio.* At enim hæc ita com-

Confeßio.

Conſẽſio.

Antipophora.

Hypophora

è locis diuerſis depromptarũ, quæ ad maiorem grauitatem, vel motum, vel probationem coarceruantur. Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Vidimus templum ſanctitatis, cócilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portũ omniũ gentium inflammari, excindi, funeſtari.

Diuiſionis partes.

DIuiſio & ſuas ſuppeditat oratori formas, diſtributionem, diuiſionem generis in ſpecies, partitionem totius in partes, numerationem accidentum pro ſubiectis, epanodum, dilemma. Diſtributio, quæ, quod ſummatim, & generatim dici poteſt, in plures partes, aut perſonas diducit. Hæc incredibilem comparat copiam, & cóprehendit breuiter multa, & ſuũ cuique tribuens officium, ſeparat, & res diuidit plures, vt genus in ſpecies, totum in partes, in accidentia, ſubiecta in res, res in ſubiecta. Eget Catilina Senatu, equitibus Rom. populo, vrbe, ærario, vectigalibus, Italia cuncta, prouinciis omnibus, exteris nationibus. Item. Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis parricida? quis adulter? quę mulier infamis? quis perditus inueniri poteſt, qui ſe cũ

Diſtributio

Catilina non familiariſsimè vixiſſe fateatur? Diſtributionis ſummus eſt vſus oratoribus, & poetis, cùm rem generatim proponunt, & definiunt; in narrationibus, cùm res, aut tẽpora diuidunt pro natura argumenti, in propoſitionibus, & diuiſionibus, in confirmationibus, & cõfutationibus, operis corpore, in concluſionibus. *Dilemma, ſiue diuiſio, ſiue complexio, qua duo contraria diſtinguũtur ſubiecta ratione. Eſt enim argumentationis genus, quo propoſitio aliqua probatur, aut refellitur argumẽto in duas partes diuiſo; quarum vtraque probatur, aut refutatur contra mentem aduerſarij.* Antonius monachus Philoſophis. In abditam, aſperámque ſolitudinem perueniſtis ad fatuum hominem, aut ſapientem. Si opinione veſtra fatuum, vanus labor veſter, atque cupiditas inſana: ſi ſapientem, imitamini, & initiati ſalutaribus ſacris Chriſto deuouere mentes. Qui ſuſpectantur inſidiarũ, aut tui ſunt, Cæſar, aut inimici: nõ tui, qui tua victoria ſunt omnia cõ ſecuti: nõ inimici, qui tuo beneficio sũt amici. *Paradiaſtole, ſiue diſiũctio, quæ cõtrarijs redditus, diuidit ea, quæ vnũ vĩ habere videtur:*

Dilemma.

Paradiaſtole.

quæque ſic concedit aliquid, vt vicinum quiddam detrahi poſſit. Non eſt ſapiens, ſed ſtultus: non fortis, ſed confidens; non ſeuerus, ſed maleuolus; non parcus, ſed auarus. Veritas laborare poteſt, opprimi non poteſt. *Cōgeries eſt coacernatio verborum varia ſignificantium.* Egregias Annibalis virtutes ingentia vitia æquabāt: inhumana crudelitas, perfidia pluſquã punica, nil ſancti, nil veri; nullus deũ metus, nullũ iuſiurandũ, nulla religio. Nihil erat, quod non ipſe obiret. occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, ſitim ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantẽ, tam in perditis rebus diligentem afflixi. *Frequẽtatio, qua res in tota cauſa diſperſæ coguntur vnum in locum, quo grauior, aut criminoſior fiat oratio.* Adiuuat cauſas coniecturales, quibus ferè ſemper eſt neceſſaria, cùm ſuſpiciones ſeparatim tractatæ, & per confirmationem ſparſæ, & quidem forſan infirmę: in vnum locum redactæ rem certam, non ſuſpicioſam facere videntur. In cæteris generibus cauſarum, & omni oratione adhibetur

Congeries.

Frequentatio.

nonnunquam. Poſſum ſuſpicionum latebras peragrare dicendo. Non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio vlla, non veſtigium maximi facinoris reperitur. Nolite Iudices, nolite ea, quæ dixi ſeparatim ſpectare, ſed omnia colligite, & conferte in vnum. Si & commodum ad iſtum ex illius morte veniebat, & vita eſt turpiſſima hominis, animus auariſsimus, fortunę familiares attenuatiſsimę, & res iſta bono nemini præter iſtum fuit: neque alius quiſquam æquè commodè, neque iſte modis aliis commodioribus facere potuit, neque pręteritum eſt quidquam ab iſto, quod opus fuerit ad maleficiũ: neq; factũ quod opus nõ fuerit: & cùm locus maximè quæſitus: tum occaſio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportuniſsimum: ſpacium conficiendi longiſsimum ſumptum eſt, non ſine maxima ſpe, & cætera. *Sententia, quæ quid fiat, aut fieri ſoleat, atque oporteat, vel expeti, vel vitari, breuiter, atque vniuerſe demonſtrat.* Nunquam temeritas cùm ſapientia commiſcetur, nec ad conſi- Sententia.

lium caſus admittitur. Tolerabilior eſt reipub. princeps improbus, qui amicis vtitur bonis, quam laudatus, qui rerum procurationem prauis defert.

Epiphonema. *Epiphonema eſt acclamatio rei narratæ, vel probatæ; ſiue amplificatio quædam honeſtatis, dignitatis, vtilitatis, difficultatis, & ſimilium rerum, quæ admirationem auget.* Adeo odiũ certaminibus ortũ ciuilibus vltra metã durat, nec in victis deponitur. Hęc ſunt prælia Cornelij, talis in rẽp. noſtrã labor, aſſiduitas, dimicatio, virtus digna ſummo imperatore, ſpes pro præmiis periculorum. Particulæ epiphonematum ſunt, Adeo, vſqueadeo, tantus, hic, ille, talis, & ſimiles. Magnum ornamentum addit orationi, & vim; & habet acumen, & aculeum, & aures, & animum ferit, ſi commodè apponatur.

Noœma. *Noœma, ſiue cogitatio ſententiæ, cùm quæ non dicimus, tacitè ſignificamus, vt intelligere poſſit auditor. Sententia enim ingenij, & ſcommatis plena, quæ torquetur in perſonam, cuius mores, aut ineptiæ notantur.* Hiſpani gentium ſoli armis Romanis domiti vires ſuas intellexerunt. Item: Athenienſes verbis litteriſq; bellum ad-

uerſus Philippum gerebant. *Incremenmentum, cum veluti gradibus quibuſdam peruenitur, non modò ad ſummum, ſed quodammodò ſupra ſummum.* vt, Maximè perturbatus eſt Deiotarus, vt audiuit Conſules ex Italia profugiſſe, omnes conſulares, cunctum Senatum, totam Italiam eſſe effuſam. *Incrementū*

EX *locis cauſarum ſunt Pyſma, ætiologia, diceologia, neceſsitas, metaſtaſis: Pyſma, per quod nos ipſi, à nobis crebrò rationem poſcimus cuiuſq; propoſiti.* Hodie non deſcendit Antonius. Cur? Dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo: putato te Phormioni alicui, tum Gnatoni, & Ballioni. *Ætiologia, cùm alicuius propoſiti ſtatim rationem ſubijcimus, quæ ſententiam ferè includit.* Etſi acerbum, quod dicturus ſum, videbitur: ęquo tamen animo audiendum eſt. Nam verum cōſilium, quod initio moleſtum eſt, in poſterum cognita vtilitate, fit iucundū. *Diceologia, cùm facti noſtri cauſam, quam afferimus, vt æquā vt honeſtam defendimus,* Fecit iratus, affectus iniuria: ceſſit temporibus, ętati datum eſt. *Neceſsitas diceologiæ ſimilis, cùm neceſsitatem alicuius rei,*

Cap. 13. *Pyſma:* *Ætiologia.* *Diceologia.* *Neceſsitas.*

aut facti cauſamur. Arma ſumpſit contra Cęſarem, non voluntate, ſed coactus legibus & officio. Illis timidis, & ignauis eſſe licet, qui receptum habent: nobis neceſſe eſt eſſe fortibus, quibus ad effugium nihil reliquum. *Color eſt callida, & probabilis, & ficta ſuſpectæ cauſæ, ac rei perperam actæ defenſio.* Dat enim rebus deformibus colorem, & cauſam facti cōmentitiam, ſed ſpecioſam exquirit. Initia illa geſtarum rerum magna, atque præclara, non felicitati Luculli, ſed virtuti; hęc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, ſed fortunæ tribuenda eſſe videntur.

Color.

Cap. 14. Cōparatio.

C*Omparationis ſunt formæ plures, quæ orationem faciunt, tum aptam, tum ſplendidam. Comparatio, qua vel paria cum paribus, vel minora cum maioribus, vel maiora cum minoribus conferuntur, & ornandi & amplificandi, & argumentādi cauſa.* Serui me Hercule mei; ſi me iſto pacto metuerent, vt metuunt omnes ciues tui: domū meā mihi relinquendā putarem: tū, tibi vrbem non arbitraris? *Similitudo eſt oratio traducens aliquid ſimile ex re diſpari, ad rem quampiam: hoc eſt, eſt collatio rei*

Similitudo.

mutæ, vel in animæ, vel incorporeæ noſtro inſtituto, & cauſæ accõmodata propter aliquod ſimile, aut diſsimile, quæ rem minus cognitam, per eam, quæ notior eſt, demonſtrat. Vna eſt, quę propoſitioné habet, & redditioné, & notas exprimit vtriuſque: Altera, quę caret, aut notis ſimilitudinis, vel coniũgit, & miſcet propoſitiones ſimilitudinis cũ redditione. Sumitur ſimilitudo orãndi cauſa, per cõtrarium, cùm ei rei, quam probamus, nos negamus aliquã rem eſſe ſimilem: aut probandi, per negationem: vel apertius dicendi, per breuitatem: cùm non res à re ſeparata, vt in alijs: ſed vtræque res coniunctæ, & confuſæ pronuntiantur: Vel ante oculos ponendi negotij, per collationem, qua propoſita ſimilitudine, paria paribus referuntur. Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes: vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes: nũc te patria, quæ cõmunis eſt omniũ noſtrum parens, odit, ac metuit, & iam diu te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu, neque autoritatem verebere? neque iudiciũ ſequere? neque vim per-

Diſſimilitudo. timeſces? *Diſſimilitudo eſt comparatio rerũ diuerſarum, propter diuerſam, & diſsidentem qualitatem.* Hęc figura eſt euidentię, qua res deſcribitur qualitatibus alienis per cõparationẽ. Sicut exẽplũ ab hominis facto, & perſonę hiſtoria, aut fabula petitur: ſic cõparatio, à qualibet re præter hominẽ, & præter hominis factũ. Exẽpla, & ſimilia faciẽdę fidei proſunt multum: pręſertim cùm per inductionẽ adhibentur. Sol oppoſitus, cõiunctusque lunæ, eius luminibus offuſcat, præſens vir probam coniugem ſplendidius illuſtrat. Videte, ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriã relinquere: ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri & conſeruare nõ *Exemplum.* poſſe. *Exemplum eſt dicti, aut rei geſtæ cum autoris nomine expreſſo, aut perinde, vt geſtæ, vtilis ad perſuadendũ, & explicandũ id, quod intendimus, cõmemoratio conſtans collatione parium, aut diſparium, maiorum, minorũ.* Eſt exemplum aliud verum, aliud fabuloſum. Sumuntur exempla ex tẽporibus, & ætatibus, nationibus, regibus, & illuſtribus viris, mulieribus, pueris, virginibus, Chriſtianis, Ethnicis. Exempla an-

tiqua,& domeſtica,& illuſtria mouent, & longè minora. Recentia ſunt notiora:vetera plus habent autoritatis. & vera magis,quàm ficta; Chriſtiana, quàm Ethnica:ſacra,quàm profana. Ornatiorem exemplum facit rem, cùm nullius rei, niſi dignitatis cauſa ſumitur: apertiorem,cùm id,quod obſcurius, magis dilucidum reddit:probatioré, cùm magis veriſimilem facit, & ob oculos ponit,cùm exprimit omnia perſpicuè: vt res dicta propè manu tentari poſſit. Ex ſuo regno,ſic Mithradates profugit, vt ex eodem Ponto,Medea illa profugiſſe dicitur,quam prædicant in fuga fratris ſui membra diſsipauiſſe, vt eorum collectio diſperſa,mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mithradates fugiens maximam vim auri, atque argéti, pulcherrimarumque omnium rerum,quas, & à maioribus acceperat,& ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat,in Póto omnem reliquit. Hæc dum noſtri colligunt omnia diligétius, Rex ipſe è manibus effugit. Ita illum in perſequendi ſtudio mœror, hos lætitia retardauit. *Apologus eſt fabula, in* *Apologus.*

qua muta animantia loquentia & inanimæ res humano more inducuntur. vt, Vulpes laqueo capta euaſit, facta caudæ iactura: cùm longioris tæderet vitæ, & flagrantis infamiæ; ſtatuit aliis vulpibus, vt & ſuas demerent, perſuadere, vt communi malo ſuum cælaret dedecus. Pro concione vulpium frequenti fit autor, vt indecens membrum, & ſuperuacuũ & appenſum abſcinderent. At vna ex vulgo calidiſſimarum ferarum, heus tu, ait, niſi hoc tibi conduceret, nobis non conſuleres.

Parabola. *Parabola eſt collatio rerum genere diſsimilium.* vt,

Qualis vbi audito venantum murmure Tygris,
Horruit in maculas, ſomnóſque excuſſit inertes:
Bella cupit, laxátque genas, & temperat vngues;
Mox ruit in turmas, natiſque alimenta cruentis
Spirantẽ fert ore virum: ſic excitus ira
Ductor in abſentem conſumit prælia fratrem.

Imago. *Imago eſt formæ cum forma, cũ quadã venuſtate collatio, laudis, aut vituperij cauſa, ſi in*

odium, in inuidiam, in contemptum, quis adducitur. Nam iſte profectus eſt, non vt legatus populi Romani: ſed, vt quædã calamitas peruadere videretur. Cum homine crudeli nobis res eſt, an cum fera, atque immani bellua? Contrariorum locus exornationes ſuas in partem eloquentiæ confert. *Contentio, cum ex contrarijs amplificatur oratio verbis, vel ſententiis.* De ea præcepi prius. Vos huius incommodis lugetis; iſte reip. calamitate lætatur. *Inuerſio, qua docemus argumentum, quod contra nos affertur, pro nobis facere.* Sepelijſti ſolus; cædem feciſti: Si cędem feciſſem; manus ſepulturę non impertiſſem. *Communicatio, cum duæ res contrariæ coniunguntur.* Tam deeſt auaro, quod habet; quam quod non habet. Vterque vituperatur, & prodigus, & auarus; quod neuter rebus ſuis rectè vtatur. *Diaphora, cum verbum iteratum aliam ſententiam ſignificat, quam notarat dictum prius* Huius ærumnę quemuis cæterorũ hominum, modo hominem commouere poſſent. Item: In vniuerſam mulierem, quid potius dicam, aut verius, quam mulierem? *Reiectio, cum quippiam*

Contentio.

Inuerſio.

Cõmunicatio.

Diaphoru.

quod cum imperio fuiſtj: etiamne priuatus? etiamne reus? etiamne pene dãnatus hoſtium duces priuata in domo retinuiſti? Dominetur in concionibus inuidia, iaceat in iudiciis. Fueris illi aliquandò amicus intimus, & familiariſſimus, beneficia contuleris. Quid tum? an non amicitia omnis iſto tuo facinore diſſolui potuit? *Confeßio, cùm callidè omnia aduerſario concedimus.* Habes, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum confitentem reum. *Conſenſio, cùm aduerſario aſſentiri videmur, quod obliquè criminamur.* Gaudeo etiam, ſi quid ab iſto abſtuliſti, & abs te nihil rectius factum eſſe dico. *Oppoſitio, ſiue compenſatio, Græcis Antypophora, qua nobis aduerſariorum dicta proponimus, vt illis reſpondeamus*. Difficilis ratio belli gerendi, at plena pietatis. Item: Quid igitur ait Hortenſius, ſi vni omnia tribuenda ſint, vnum digniſſimum eſſe Pompeium: ſed ad vnũ tamen omnia deferri non oportere. Obſoleuit iam iſta ratio re multò magis, quam verbis refutata. *Hypophora eſt aduerſæ partis intentio, ſicut Antypophora, reſponſio.* At enim hæc ita com-

Confeßio. *Conſẽſio.* *Antipophora.* *Hypophora*

miſſa ſunt ab iſto, vt non cognita ſint ab omnibus: hominem eſſe arbitror neminem, qui nomen iſtius audierit, qui facta quoque eius nefaria commemorare non poſſit. *Effictio his adijcitur, qua aduerſariorum affectum quemlibet fingimus, cui reſpondemus.* Indignum eſt Italos Troiam circumdare flammis Naſcentẽ, & patria Turnum cõſiſtere terra. Quid face Troianos atra vim ferre Latinis?

Effictio.

Anaſceue, qua ab aduerſariis propoſita eleuamus, &, vt falſa reiicimus. Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo Interpres diuûm, fert horrida iuſſa per auras. *Tranſitio, qua monemus breuiter, quid dictum ſit; & quid conſequatur, oſtendimus.* Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. *Parentheſis eſt ordinis, per interiectam declarandi cauſa ſententiam, diſſolutio.* Inſerta ſententia, ſi eximatur, ſermo nihilominus relinquetur integer. *Breuitas eſt, qua res ipſa tantum verbis neceſſariis diſtinctè, & õbreuiter cprehenditur.* Non Tyberius Gracchus, qui Agrarios concitare conatus eſt: non C. Gracchus, qui C. Memmium occidit, in diſcrimen aliquod,

Tranſitio.

Parentheſis.

Breuitas.

quod, atque in veſtræ ſeueritatis iudicium, adducitur: ſed tenentur ij, qui ad vrbis incendium, ad veſtram omnium cædem, ad Catilinam accipiẽdum Romæ reſtiterunt, tenentur litteræ, ſigna, manus, denique vniuſcuiuſque confeſſio: ſollicitantur Allobroges, ſeruitia excitantur, Catilina accerſitur. Item: Clodiam necare voluit Cælius, quæſiuit venenum, ſollicitauit quos potuit, parauit locum, conſtituit, attulit.

FINIS LIBRI QVARTI.

RHETORICORVM LIBER QVINTVS.

CAPVT. I.

ARCHITECTO, Præſes illuſtriſſime, aut redemptori comparatam, aceruatámque materiam, politos lapides, ligna dedolata, & cæmenti copiam abũdè, qui ſepoſuit ædificationis autor, in hoc eſt: vt metatus aream, & operis vniuerſi partes, conce-

ptam animo ideam exprimat, expreſ-
ſamque oculis exponat: non ſecus ego,
poſtquam libris inſtitutionum Rheto-
ricarum quatuor,ea ſuppeditaui, à qui-
bus inſtructus Orator idoneum ſcitæ o-
rationis corpus compingeret;hac ſuſce-
ptæ præceptionis extrema parte formã
& characterẽ oratorij operis,& ſtructu-
ræ oſtendam. Et ſanè,qui auet peruide-
re, & contemplari ſtructuram, & artifi-
cium coagmentatæ orationis, aciem o-
culorum in exemplar vrbis ornatæ in-
tendat,& circumſpiciat ædificia:eorum
quædam publica, molis magnitudine,
& operis magnificentia inueniet, quæ
ſuſpiciat, templa,porticus,theatra: quæ-
dam cernet priuata,& ad vſum neceſſa-
rium ſic comparata; vt nil addere, nil
demere queas, niſi familiæ, rerúmque
domeſticarum commodis officias. At-
que vti publicorum partes, & velut
membra omnia ampla, grandia, ex
celſa videntur: ita priuatorum pro re
familiari decenter commenſurati eſſe
debent ſinguli parietes, tecta, portæ,
triclinia, cubicula. Sunt inter hæc,quæ
nec publica ſunt prorſus, nec clauſa

omnibus, prætoria, Principum domus, & diuitum. In his multa, non ſolum ad vſum quotidianum priuatæ rei inſtrumentis ſimilia apparent: at etiam patent porticus, veſtibula, fornices, aditus, in quibus publicorum ſpecies. Et ſunt, quæ nec priuatis, nec publicis prorſus diſtant, & contemperatam mediocritate referunt maieſtatem. Nõ diſpar orationis ratio. Prima namque animo concipitur idea, & ſpecies orationis ex modo perſonarum, & argumenti, vel ampla, grandiſque, vel mediocris, & apparata, vel tenuis, & appoſita, quæ prudentiæ plus, quam ſuperbiæ ſpirat. In grandi genere dicendi omnia ſic ferè protenduntur membra, vt magni ambitus longis diſtinctionibus, quaſi altis ſuſtineantur columnis, cùm res magni ſplendoris, dignitatiſque ſunt. Tenuis, & callida oratio, nil magnum ſpirat, contenta tenuibus verbis, & minoribus particulis ſine cultu. Hæc ſit prima membrorum ratio, quam ſequitur proximè numerus, & harmonia quædam partium, & membrorum dimenſio,

quæ partim ex ſyllabæ cuiuſque quantitate, pedúmque proportione ſumitur: partim ex numero dictionum, atque ſimilitudine, partim ex tono, & apta, decentique omnium iſtorum mutatione. Sunt quippe in oratione numeri quidam ſtabiles, qui grauitate ſua tarditatem, & molem addunt: alij volubiles, qui celeritatem. Et ne alij damnentur, aut aliis poſtponantur: aliis flumen verborum, volubilitaſque cordi eſt, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: diſtincta alios, & interpuncta, interualla, moræ, reſpirationeſque delectant. Hæc, vt accuratè tradantur, prius de collocatione, tum de numeris, denique de figuris dicendi præcipiam.

2. *Collocatio.* COllocatio eſt dictionum numeroſa compoſitio, & artificioſa concordia, quæ vinctam orationem efficit, *Compoſitio.* & lenem, & cohærentem, & æquabiliter fluentem. Compoſitio autem elementorum, ſyllabarum, dictionum, di- *Clauſula.* ctioniſque conſequentium inter ſe poſitione conficitur. His adiungitur clauſula vniuſcuiuſque orationis, aut mem-

bri-numeroſa diſpoſitio. Atq; ex obſeruatione collocationis, atque clauſulæ pedum, conſurgit numerus, atque orationis plena, & ſonora concinnitas, & modulatio. Collocationis ſunt partes, ordo, iunctura, concinnitas, numerus. *Collocationis partes.* Ordo eſt apta verborum ſimplicium, & cõiunctorum diſpoſitio. *Ordo quid?* Hæc præcipit, vt in ſimplicibus leuiori ſubiiciatur grauius, cum oratio amplificatur: cùm imminuitur, vt grauioribus leuiora ſuccedant. Debẽt enim ſententiæ ita creſcere, & inſurgere, vt augeri argumentum, non deficere videatur. vt, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate &c. Sic à me Cõſul deſignatus defenditur: vt eius nulla fraus, nulla auaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur. Hoc enim, & ſi minus eſt (petulans dictum) quàm crudelitas, auget tamen ſententiam, & inſurgit ex rei tenuitate. Nam, vt prouidendum eſt vbique, ne decreſcat oratio: ita ſi quod verbum vehementius infigi in animis audientium cupis, illud in clau-

ſulam reijcias oportet. Proprium eſt huius loci, rerum naturalem ordinem pro dignitate cauſæ ſeruare. vt, Viros, & fœminas; diem, & noctem; ortum, & occaſum dicas potius, quàm ſecus. Verbo ſententiam claudere, ſi compoſitio patiatur, eſt optimum. At, id ſi aſperum erit, decori orationis potius conſulendum. vt, Commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. Quædam ordine permutato ſunt ſuperuacua: vt filius priuignus. Iunctura elegans erit, & concinna, ſi verba extrema cum conſequentibus primis ita iungamus: vt nec aſperè concurrant, nec vaſtius diducantur. Tum enim facit, vt leui curſu, & facili lapſu profluat oratio. Nam vitat hiantem concurſum vocalium, & aſperum conſonantium-Iuſtitiaque dedit gentes frænare ſuperbas. Hiantem, abſonámque pronuntiationem efficiunt, & impediunt os, cui & laborem quemdam afferunt, vocales, quandò multæ, vel eædem, vel diuerſæ connectuntur, & frequentantur.

Iunctura.

Hiatus vocalium,

Quippe reſiſtunt pronunciantis ori, & inſtrumenta impediunt, & vocem abire volentem retinent, & ſua duritia aures delicatiores offendunt. Atque oris partes, labia, dentes, lingua, palatum, & guttur, pronunciationem, aut ſuauem, aut ingratam pro ſermonis habitu prompto, aut difficili, reddunt. Prima namque vocalis. A. toto profertur ore: altera. E. ſicut figura ſecatur, ita os ipſum dimidiat. I. contractis iam penè omnibus partibus, vix enaſcitur. O. ſicut pingitur; ita in orbem inflat buccas, & diſtendit os vniuerſum. Poſtrema. V. conum facit acutis labris, & conniuentibus. Quamobrem hiulca eſt oratio, in qua magnæ vocales occurunt ſibi, vel alias vocales præcedunt immediatè. Arma armis pugnent. Arma amens capio, Sermo oris indiſerti, Claſsis ſoluo oras. Non eſt mollis alterius cum altera occurſus: In Actæo Aracyntho. Suauior eſt concurſus, cùm ipſæ alias præcedentes ſubſequuntur. vt, Præterea, mente acerba: floret gloria: loqui alios oportet: Cornu ad pugnam proludit,

Natura vocalium.

Præcipuus hiatus earum, quæ cauo, & patulo proferuntur ore: Senſu humanitatis: E, plenior littera eſt: I, anguſtior, ideoque in his obſcurius vitium, ſi committâtur. In ſumma omnium litterarum concurſus in iunctura vitandus eſt; niſi hoc ipſum affectatione negligentiæ, aut ſtudio aſperitatis fiat. Nam crimen nefandum non eſt, vocales vocalibus cõmitti. Etenim dubium eſt, negligentiáne, an ſolicitudo ſit peior. Neceſſe eſt enim, vt hic metus impetum dicendi retardet, & ab his, quæ potiora ſunt, auertat: Quare, vt negligentis eſt oratoris hiulca ſubinde oratione vti: ita humilis, & anguſti eſt animi, vbique hoc perhorreſcere. Hiatus certè, & concurſus vocalium molle quiddam habet, quod indicat non ingratam negligentiam hominis de re magis, quàm de verbis laborantis. Sic in diligenti argumento videri voluit negligens Cicero. Ego omni officio, ac potius pietate ſatisfacio omnibus. Item: Temeritatem concitatæ multitudinis autoritate publica armare. Itaque aliquam orationem decet negligentia, ali-

quam diligentia, & cura. Vitanda eſt aſsiduitas eiuſdem vocalis: Æęæque inſula Circes. Nam a, & o frequentatæ, aut vaſtam, aut grandem faciunt orationem: Principiò delubra adeunt, pacemque per aras Exquirunt, mactant lectas de more bidentes, &c. E autem, & i exilem faciunt. Erit ille mihi ſemper Deus, illius aram Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus. A, o, & e, orationem in qua dominantur, & iucunda varietate conſonant, reddunt ſuauem. vt, Bellum in Gallia maximum geſtum eſt: domitæ ſunt à Cæſare maximæ nationes, ſed nondum legibus, nondum iure certo, nondum ſatis firma pace deuinctæ. Optima compoſitionis ratio, in qua vocalis occurrit conſonanti, cum ipſa in fine dictionis præcedentis, & conſonans in principio ſequentis, aut ſecus, ſic aptè cohæret, vt hiatum non admittat. Hæc ratio ſuauitatem eloquentiæ Ciceronianæ, & laudem ſempiternam comparauit: comparauit & Virgilij carminibus, & Ouidij.

3. *Aſperitas conſonantiũ*

CONſonantium quædam ſunt aſperæ natura, vt R, & S: quarum illa caninum quid ſapit. vt, Irritat ira feritatem. Hæc agreſtem ſibilum refert: vt, Sale ſaxa ſonabant. Proinde, ſi crebrius occurrat, moleſta eſt: propterea carminibus adimebant finalem veteres poetæ, niſi dictio exciperet, cuius initium vocalis eſſet. Quæ ex ea fit, eſt pronunciatu difficilis. Rex Xerxes: & exercitus Artoxerxis. Aſpiratæ ſimul omnes conatum proferunt, proinde molliores ſunt mediæ. Sunt & aliæ natura lenes, facileſque prolatu, quæ aliorum tamen adiunctione aſperãtur, & rixantur, quod in vniuerſum accidit, cùm illæ, cum quibus iunguntur, habitu oris proferuntur ſibi contrariò. Quæ, vt facilius conſequamur, naturas litterarum inſpiciamus, & oris habitum cum ſingulis conformemus. Semiuocalem S fecit inter dentes, cum ſibilo, quodam preſſus ſpiritus: mutas ex ſingulis oris partibus genuit natura. Etenim primum B in labiorum ſeparatione inueniemus: C in palati, & linguæ: D in dentium, & linguæ. F,

Conſonantiũ natura.

contractis intrinſecus labio inferiore & dentibus, prolatiſque ſuperioribus expulſo ſpiritu effertur non diſsimilis eſt pronunciatio conſonantis, V, nam leniter tantum erecto ſpiritu editur. G in gutturis, & linguæ contactu. Quæ ſi pronuncientur preſsius, & partibus paulum ſpiritui reſiſtentibus, fient tenues p, c, t, & quæ ab vſu receſſerat, K. Sunt hæ mutæ, quæ nullum ſenſum ſui edere poſſunt ſine vocali. Claudunt enim flatum priuſquam vocalis exiſtat. L, m, n, r, liquidæ dicuntur, quia percipi nonnihil poſſunt, cùm ſpiritum eliquant comprimentes. L quidem, quia lingua palato iungitur, ſic vt conceptus aër omni ex parte effluat ſine offendiculo, priuſquam palato lingua coniungatur. R quia locus eſt aſper dentium, & inæqualis, foraminibus ſurripiens aerem, non poteſt placidè manare, ſed titubans, & tremula cum ſtrepitu erumpit plectente lingua meatum. M, & N, per nares fluunt. Hæc quidem lingua contegente palatum ad nares vſque: illa ſolis labiis muſſantibus. Itaque quę-

cunque litteræ contrario oris habitu proferuntur (ſi vna claudendo, aperiendo altera, aut vna leniter, altera aſperè, pellant ſpiritum, vt D & T: B & P: G & C:) ſi iungantur, Antitypiam, ſiue renitentiam, ſiue frænos habent: & neceſſe eſt alterutram corrumpi, aut ambas, ne os magnopere cõtorqueatur. Marpeſia cautes. Sæpè hoc Latini in dictionibus componendis obſeruant: & Græci non negligunt in lectionibus, qui non ἀντὶ, ſed ἀνδὶ dicunt. Res mihi inuiſæ viſæ ſunt, Brute: &, O fortunatam natam me Conſule Romã, quibus luſit Cicero induſtriè. Monoſyllaba multa malè continuantur: breuium verborum, & nominum vitanda eſt continuatio, ne compoſitio imminuta ſit, atque conciſa: vitanda eſt longorum, quę tarditatem afferunt: vitanda præterea multa ſimiliter cadentia, deſinentia, declinata, aut verba verbis, aut nomina nominibus, aut ſimilia ſimilibus coniuncta. Nam virtutes tædium pariunt, niſi varietas gratiam addat. Stilus exercitatus efficit facilem compoſitionis concinnęrationem. Nã

vt in legendo oculus: ſic animus in dicendo proſpiciet, quid ſequatur, ne inconditis verbis, & malè coagmentatis offendantur aures, quarum eſt iudiciũ ſuperbiſſimum. Atq; ſicut natura nos melior incitat ad eloquentiam: ita diligentia, & vſus perficit.

EX Collocationis ordine, iuncturáque naſcitur numerus, orationis ſonoritas, atq, ex dictionum breuium, & longarum varietate modulatio, & certa quædam multorum pedum concordia: & concinnitas aptè cadens in aurem beneficio ſuauium figurarum. Ex multis, non eſt res vna, quę magis oratorem ab imperito dicendi, ignaróque, diſtinguat, quam quod ille rudis inconditè fundit, quantum poteſt, & id, quod dicit, ſpiritu non arte, determinat. Orator autem, ſic illigat ſententiam verbis: vt nil inane, nil inconditum, nil curtum, nil claudicans, nil in oratione ſit redundans. Spiritus eſt orationis compoſitio ſententiam perficiens, membris, & commatibus emętiens pro voce, & viribus dicentis. Atque hoc conſequitur oratorio numero, *4. Numerus.*

qui aptam, & concinnam, & ſuauem efficit orationem. Hic multarum partium inter ſe compoſitione oritur: ſicut iunctura & ordo, ſingularum. Nam in iunctura ratio tātum extremarum partium habetur, vt vel aptè inter ſe coagmentari poſſint, vel diſponi: at membrorum, & harmoniæ ratio in conſtitutione plurium, quæ in vnum corpus coaleſcunt, & congruunt, diſsimilium, pugnantiumq́ue rerum, veluti concordia, ſita eſt. Membrum enim ex multis efficitur, & differentibus omnibus partibus orationis, quæ in vnum coeunt, nomine, verbo, aduerbio. Harmonia nunc ex ſyllabarum natura differentiū eadem, & diuerſa conſtat quantitate: nunc ex tonorum mutua relatione, ex qua, modulatio eſt, nunc ex membrorum, aut verborum ſimilitudine, atque imitatione, quæ dicitur concinnitas. In hæc animus, qui naturalem quandam in ſe continet vocum dimenſionem, iudicium aurium intendit acriter. Horū non neſcius orator, voluptati aurium, quę completo, perfectoq; numero gaudent; ſeruit, & ſermōnem numeris ex-

cultum, & iucundum, quaſi melle tinctum, ne abhorreant auditores, proponit. Nec enim ſegniter illi longiora, & breuiora iudicant, & perfecta, & moderata ſemper expectant, mutila ſentiunt quædam, & decurtata, quibus, quaſi debito fraudentur, offenduntur: productiora, quæ immoderatius excurrunt, aſpernantur. Itaque cum principiò aliquid aptè, & rotundè diceretur, animi hominum, & aures animaduerterunt id, quod caſus effudiſſet, cecidiſſe iucundè. Eius rei obſeruatio mox artem numerorum peperit, quæ quoſdam certos curſus, concluſioneſq; verborum tradidit: iuſsitque numeros, ſiue momenta temporum aliqua nota proportione, & certo ordine ſuccedentia notari.

ERgo *bipartitum ſtatuimus orationis genus, numeroſæ, & non numeroſæ. Non numeroſa oratio eſt, quæ latina duntaxat, nullis accuratioribus numeris, & legibus Rhetoricis conficitur. Numeroſa, quæ quodam ambitu, & delectu tẽporũ, numerorumque exacta quantitate conſtat, & Periodus Græcis dicitur, Latinis Circuitio. Eſt autem Periodus continuatio membrorum, & commatum,* 5. *Oratio duplex.* *Nonnumeroſa.* *Numeroſa* *Periodus.*

ita aptè, & rotundè connexorum, vt plenam ſententiam, perfectamque concluſionem referat, atque expleat. Eſt enim oratio, quæ natura ſua habet principium, & finem, ſiue partes, quarum vna pendet ab altera, vt Antecedens, & Conſequens. vt, Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt: tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret: non minus in cauſa cederet Aulus Cecinna Sexti Æbutij impudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ. Item: Si pro immortalibus veſtris in me, fratremq; meum liberosque noſtros meritis, parum cumulatè gratias egero: quæſo, obteſtorque, ne potius naturæ meę, quàm magnitudini beneficiorum veſtrorum, id tribuendum putetis.

6. *Voces periodicæ.* *VOces, quæ antecedens, & conſequens indicant in Periodo, ſunt eæ omnes, quæ duo verba requirunt, vt compleatur, & abſoluatur oratio, quæque ad inuicem referuntur:* vt ſunt *Coniunctiones aduerſatiuæ* licet, etſi, quamquam, tametſi, etiamſi, quamuis, quibus reſpondent in conſequente Periodi, tamen, attamen, veruntamen, ſedtamen, nihilominus, ſaltem:

tem :*Conditionales*, ſi, quodſi: *Subiunctiuæ*, cùm tum *Cauſales*, quandoquidem, quia, ideò, idcircò, proinde, itaque. *Perfectiuæ*, quò, vt. *Exceptiuæ*, ni, niſi. *Aduerbia ſimilitudinis*, quemadmodum, ſicut, ſicuti, velut, veluti, quibus redduntur, ita, ſic, non ſecus, haud aliter, perinde. *Temporis*, quandò, quandocumque, quamdiu, antequam, poſtquam, poſteaquam, priuſquam, quamprimum, quandudum, hactenus: quibus ſubiunguntur, nunc, deinceps. *Quantitatis, & qualitatis, & conformia his nomina*, quantum, quantò, quoties, qualis, quantus, quibus reponuntur, tantum, tantò, toties, talis, tantus. *Loci*, vbi, vnde, quâ, quò; quibus ſubijciuntur, ibi, inde, hac, illac, eò. *Comparandi*, magis, minus. *Excluſiones negatiuæ*, non ſolum, non modò, non tantum, nedum, quibus ſufficiunt, verumetiam, ſedetiam. *Relatiua*, qui, quæ, quod. *Distributiua*, quiſquis, qualiſcumque, quicunque. *Oppoſita omnia, ablatiui abſoluti; quæ inuicem referuntur,* tam, quam.

7. Partes periodi. Colon.

DVæ ſunt partes Periodi, Comma, ſiue inciſum; Colon, ſiue membrum. *Colon eſt oratio ſenſus perfecti, aut ſuſpenſi à toto corpore Periodi abrupta.* vt, Antequam de Rep. dicam ea, quę hoc tempore dicenda arbitror. Hæc oratio eſt membrum ſenſus ſuſpenſi, cui, ſi alterum addas, corpus Periodi conſtitues: Exponã vobis breuiter conſilium profectionis, & reuerſionis meæ.

Comma.

Comma eſt pars orationis vno, ac pluribus verbis conſtans. vt, Fuerũt, quos nec terror, nec vis, nec ſpes, nec metus, nec promiſſa, nec minæ, nec tela, nec faces à veſtra autoritate, à populi Rom. dignitate, à mea ſalute depellerẽt.

Comma duplex. Comma dictionis.

Comma duplex, dictionis, & orationis, Dictionis, quod ſingulis vocibus abſoluitur continenter ſubiunctis. vt, Retinenda vobis grauitas, conſtantia, perſeuerantia. Itẽ: Erecti, excitati, parati, armati eſſe debemus.

Vſus commatis dictionis.

Commate dictionis orator vtetur, ſi vrgeat, ſi feſtinet, ſi incenſus ira inſectetur, & acri pronuntiatione aculeos intorqueat, vnaquaq; particula ſpiritu pronunciationis interrupta. vt, Quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid volebas? quid optabas? Item: Hoc

plebiſcitum eſt? hæc lex? hæc rogatio eſt? *Comma orationis eſt, quod pluribus verbis conficitur, ſiue oratio perfecta, ſiue imperfecta.* Nil vel in religionis ſanctimonia, vel in iuſtitiæ cultu, vel in decoris honeſtate, vel in virtutis robore, vel in manſuetudinis lenitate, fuit ab illis prętermiſſum, quod ad optimi, & fortiſſimi regis officiũ pertineret. *Commatis iuſta magnitudo eſt octo, vel decem ſyllabarum:* vt, Ardebat cupiditate, flagrabat auaritia, inflammabatur odio. Si paucioribus cõſtet ſyllabis tribus, quatuor, aut quinque, aut ſex, Comma paruum cenſetur. Hoc genere cõmatis, nũc binis vocibus vrgemus: Nũc quécũq; affectũ ciemus: vt, Nõ filij pietas, nõ propinquorũ preces, nõ adoleſcẽtũ ſqualor, nõ maiorum natu lachrymæ mouere potuerũt. Nũc moderamur: vt, Quæ ſpecies Italię? quę forma regionũ? quę pulchritudo vrbis? quæ humanitas ciuium? quę Reip. dignitas? quę veſtra maieſtas? Miſcentur eleganter Commata dictionis commatibus orationis, & membris, vt varietatis gratia delectet animos. nam ſimilitudo ſatietatis mater eſt. Hic cu

Comma orationis.

Magnitudo commatis iuſta.

randum diligenter, vt Commatum Dictionis, & Orationis breuitatem, multa ornet elegantia, & copia, tum verborum, tum rerum. Cauenda eſt nimis diuturna continuatio commatum, & frequentatio: ne iucunditas orationis pereat, & aures crebro pulſu incitatæ pronunciationis offendantur. *Comma Orationis eſt bipartitum: perfectum, quod oratio eſt abſoluta nomine, & verbo.* vt, Nec teſtis adducitur, nec conſcius nominatur, nec crimen profertur. Spectarem curiam, intuerer forum, cælum teſtarer ipſum. *Imperfectum, quod nomine caret, aut verbo, aut vtroque.* vt, Domuiſti gentes immanitate barbaras, locis infinitas, multitudine innumerabiles, omni copiarum genere abundantes. Item: In armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum iuuant. Etenim Comma imperfectum eſt multiplex. Siquidem nomine conſtat cum ſuis adiunctis. vt, Marcellus nobilitate, probitate, optimarum artium ſtudio innocentia, & omni genere laudis præſtans. Aliud verbo, & verbi adiunctis: Antiquitatis memoriam virtute ſuperauit.

Comma orationis perfectum.

Imperfectũ.

Aliud conſtat nominis adiunctis tantum: vt, Rex in adminiſtrando regno ſapiens, in repellendis hoſtibus acer, in conſtituenda Rep. moderatus, in iuris æquabilitate tuenda conſtans, in rerum ſucceſsibus, & euentis fælix. Aliud adiunctis verbi tantum: Salutem meam, ſtatum ciuitatis, dignitatem imperij vendiderunt. Aliud vtriuſque adiunctis: En tot teſtimonijs, hac autoritate Senatus, tanta conſenſione Italiæ, tanto ſtudio bonorum, agente P. Lentulo, conſentientibus cęteris magiſtratibus, deprecante Cneo Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, dijs immortalibus frugum vbertate, copia, vilitate reditum meum comprobantibus mihi, meis, Reip. reſtituor. Adiuncta nominis ſunt ea, quæ à nomine reguntur, aut cum nomine congruunt numero, caſu, genere, & perſona. Adiuncta verbi, quę à verbo regũtur, aut verba infiniti modi, aut alterius, Aduerbia, Præpoſitiones, Coniunctiones. *Adiuncta nominis.* *Adiuncta verbi.*

8. *Colon.*

Colon eſt oratio perfecta, aut imperfecta longior commate. Comma enim perfectũ, & iuſtæ magnitudinis eſt oratio minor

colo:vt, Quouſque tādē abutere, Catilina, patiētia noſtra? quamdiu etiam nos iſte tuus furor eludet? quem ad finē ſeſe effręnata iactabit audacia? Colorū aliud perfectum, quod conficitur nomine, & verbo, vti partibus neceſſarijs & principalibus. P. Scipio vir ampliſsimus, Pōtifex Maximus, Tiberiū Gracchum mediocriter labefactantē ſtatū Reip. priua-

Imperfectū. tus interfecit. Aliud imperfectū, cui nomen deeſt, aut verbū: vt, Neque nox tenebris obſcurare cætus nefarios: neque

Vſus colorū & cōmatū. priuata domus parietibus cōtinere vocē coniurationis poteſt. Cōmatum, & colorū opportunus in oratione vſus, cùm diſtributiones rerū, aut enumerationes adhibentur: vt, Rex diuinæ menti paret rectā rationem ſequitur: iuris æquabilitatē colit: fraudem, & malitiam coercet: modum, & ordinē in omni officio conſeruat: Remp. vniuerſam excellentibus meritis obſtringit: nullū periculū adire pro patriæ ſalute recuſat: ad glorię ſempiternæ decus adſpirat: mortē denique cōtemnit, vt immortalitatē conſequa-

Paruum colon. tur. *Colorū quantitatis ratione, aliud paruum eſt, aliud mediocre, aliud magnū. Paruū, quod ſeptem, octo, nouem, aut decem ſyllabas habet.*

Hoc membrum eſt commati orationis perfectæ, & imperfectæ iuſtæ magnitudinis par. Nam ſicut productiora commata membra dici poſſunt: ita breuiora membra commata rectè appellantur. Verum perfectior eſt coli conſtructio, quàm commatis. Nam colo verbum rariſſimè deeſt, à commate frequenter abeſt: vt, Tyrannus Dei numen ſpernit: rationis imperium repudiat: libidini, & impuritati ſeruit: iura diuina, & humana violat: dolis & fraudibus innititur: veram dignitatem abiicit: falſam imaginem decoris. & dignitatis amplexatur. *Mediocre colon eſt oratio paulò, aut duplò longior commate.* Nam hoc colon attingit octodecim ſyllabarum numerum, aut viginti, & magnitudine ſua æquat ferè verſum hexametrum: vt, Magnitudo periculi sũmo timore hominem afficit. Item: Impetu naturæ cęco in regni ſtudium incumbit. *Colon magnum, quod plures viginti ſyllabas complectitur,* Nam plerúmque triceſimum numerum attingit, & ſuperat. Etenim cũ colon ſit oratio plena, & longa, non tantum cõſtans nomine, & verbo prin-

Mediocre.

Magnum.

cipalibus, ſed etiam vtriuſque adiunctis, neceſſe eſt in longitudinem maiorem extendi: vt, Quodſi, tu, Iudex, nullo fuiſſe præſidio videbere contra vim, & gratiam ſolitudini, & inopiæ: ſi apud hoc concilium ex opibus, non ex veritate cauſa pendetur: profectò nil eſt in ciuitate ſanctum, & ſincerum; nil quod humilitatem cuiuſquam virtus conſoletur. Item: Non per homines egeſtate, aut ſcelere perditos, non per latrones ſuos: ſed per vos nobis, per optimos viros optimis ciuibus periculũ inferre conantur. &: Quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt: hos veſtra autoritate, veſtra religione, veſtris ſententiis, ſe oppreſſuros arbitrantur. Obſeruabis in commatibus, & paruis, & mediocribus, & magnis, in colis, eleganter, & concinnè parua paruis: media mediis; producta productis coniungi, & reſpondere, ex quibus conſurgit Iſocolia, commatum, membrorumque proportio, & æqualitas. Sic enim committuntur ſingula, ſingulis; bina binis; terna ternis; quaterna, qua-

Iſocolia.

ternis. Non ad otium, & ignauiam; nec ad futiles, & inanes voluptates; ſed ad officium, & induſtriam, & animi contẽtionem: ſed ad decus, & honeſtatem, quæ labore, & ſtudio comparantur, nati, imbuti, ſuſcepti, & inſtituti ſumus. Item: Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amænitas ad delectationem, non labor denique ad quietem. Item: Regnum ſapienter adminiſtrat, libidinem vinculis aſtringit, affectiones temperat, & moderatur. Si plures dictiones ſimplices ad vnum referantur verbum, vnicum erit colon, & commata plura: vt, Quid inconſtantia, mobilitate, leuitate, cum ſingulis hominibus, tũ, vniuerſo Senatui turpius? P. Lentulus Conſul, parens, Deus, ſalus vitæ noſtræ, fortunæ, memoriæ, nominis, de ſolemni religione retulit. Similiter, ſi duę, aut tres orationes imperfectę vnum reſpiciant verbum, aut nomẽ, ex quo pendent; ſunt plura mẽbra imperfecta: vt, Cum ferro, & facibus homines tota vrbe volitantes, magiſtratuũ tecta oppugnata, deorum templa inflamma-

ta,ſummi viri, & clariſſimi Conſulis faſces fractos, fortiſſimí, atque optimi viri tribuni plebis ſanctiſſimumcorpus,non ſolum tactum, & violatum manu, ſed vulneratum ferro, confectumque vidiſtis. Item: Omnia ſunt excitanda tibi, Cæſar, quę iacere ſentis belli ipſius impetu perculſa, atque proſtrata: conſtituenda iudicia, reuocanda fides, cõprimendæ libidines, propaganda ſoboles; omnia,quæ dilapſa fluxerunt,ſeueris legibus vincienda.

9. *Jmplenda periodi ratio.*

Locupletandæ orationis, & implendæ Periodi, & multiplicandorum commatum,& colorum,ratio eſt expedita;ſi primum in omni oratione duo conſiderentur, nomen, & verbum; quibus omnis oratio conſtat perfecta tanquam partibus abſolutis. Deinde nomen ipſum cum adiunctis expendatur; vt qui caſus adijciendi ſint, vel regi poßint à nomine, quæ adiectiua,quæ participia,pronomina, relatiua, quæ aduerbia addi. Et hæc omnia per Syntaxim regiminis, & concordantiæ conferantur, & aptentur inter ſe. Præterea nomen ipſum multiplicetur,& pro vno multa congerantur, aut ſimilia, aut diſsimilia per figuras Rhetoricas Synonimiã, Congeriẽ,

Diſtributionem, Expolitionem, Incremẽtum, & alias. Pari ratione verbi qualitas inſpiciatur, vt, quos caſus regat, quæ admittat aduerbia, quas præpoſitiones cum ſuis caſibus, quæ pronomina, quæ participia. Subinde ipſum verbum varietur, & multiplicetur aliis verbis cognatæ, aut propinquæ ſignificationis, quibus poterunt adiungi caſus, & aduerbia, vel alia. Poſtremo adiuncta examinentur, ſi poſſint augeri, & ornari ſimiliter. Qua in re diligenter conſulendum eſt aurium iudicium, & perſpicuitatis habenda ratio. Nam ægrè poſſunt multa denſari ſine obſcuritate. Et hoc cauẽdum, ne dum amplificationis ſtudio abducimur, periodus in nimiam magnitudinẽ excreſcat: niſi ſit diſtributio, aut enumeratio, & ſimiles amplificationis figuræ, quæ longiorem circumſcriptionem requirunt. Qua ratione inita, ſi contingat binos caſus binis, aut ternos ternis, aut quaternos quaternis, verba verbis, aduerbia aduerbiis reſpondere, atque ex aduerſo opponi, quædã ſuauiſſima modulatio, & mẽbrorũ proportio orietu. vt Cõmoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. Et iſtud: Quas res luxuries in flagitiis; crudeli-

tas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere poteſt.

Circonſtantia. *Hanc concinnitatis, & amplificationis, & plenitudinis rationem expediunt circunſtantiæ rerum, & perſonarum, quæ grauiorem reddunt orationem, ſi exprimantur. Hæ ſunt octo, Quis, quid, vbi, auxilium, quoties, cur, quomodò, quandò Eſt autem circunſtantia, adiunctum, quod perſonæ, vel rei ineſt, vel extrinſecus accidit, vel circunſtat. Quis ſignificat perſonam, cuius adiuncta ſunt naturalia, vel fortuita.*

Circunſtantia quid.

Quis,

Naturalia, quæ ex natura homini inſunt, animi, aut corporis bona, vel mala.

Animi bona

Animi bona ſunt virtutes, prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia, religio, pietas, liberalitas, fides, magnificentia, & cæteræ.

Animi mala

Animi mala, ſunt vitia contraria virtutibus, imprudentia, iniuſtitia, timiditas, temeritas, audacia, intemperantia, impietas, & alia.

Quæ ad animi bona malaque referuntur.

Ad animi bona, aut mala pertinent omnes artes, & ſcientiæ, quibus quiſque poteſt eſſe præditus. Iuriſprudentia, Medicina, Oratoria, Muſica, Arithmetica, & aliæ, quarum vſus, aut bonus, aut prauus eſt. Præterea vis naturalis, vt ingenium, indoles,

memoria, & alia. Affectus, ira, odium, lenitas, amor, cupiditas, lætitia, metus, ſpes, dolor, miſericordia, clementia, & alij. Corporis bona ſunt, proceritas, forma, dignitas in viris, venuſtas in fæminis, pulchritudo, vires, velocitas, valetudo, robur, ſexus. Corporis mala sũt, nimia paruitas, enormis proceritas, deformitas, infirmitas, tarditas, mutilatio, claudicatio. Fortunæ bona, aut mala ſunt nomen, genus, propinqui, affines liberi, amici, educatio, ſtudium, opes, honores, poteſtas, magiſtratus, libertas, diuitiæ, nobilitas, mors, &c. Ex quibus laudatio, vel vituperatio, vel quæuis notatio duci poteſt. *Quid, rem notat factam, dictam, cogitatam: opus quod fit, fiet, aut factum eſt.* Huc pertinet tempus, locus, occaſio, modus, facultas, inſtrumentum. Hæc circunſtantia in oratione potiſsimum exprimitur verbo, cuius ſignificatio adiunctis notatur. *Vbi, deſignat locum, in quo res eſt, fuit, aut erit, fit, fiet, aut facta eſt.* Habet locus varias ſpecies exprimendas ex natura cuiuſq; argumenti, vt ſi ſacer, profanus, publicus, priuatus, commodus, incom-

Corporis bona. *Corporis mala.* *Fortunæ bona.* *Quid.* *Vbi.*

modus, anguſtus, amplus, apertus, clauſus, inferior, ſuperior, munitus, immunitus, amænus, inamænus, ſyluoſus, paſcuus, campeſter.

Auxilium

Auxilium complectitur præſidia, vires, cauſas adiuuantes, corporis, & fortunæ bona, inſtrumenta animata: vt ſeruos, adminiſtros amicos: *inanimata,* vt ſicã, gladiũ, haſtã, tormẽta, & ſimilia, quibus res perfecta eſt, aut perfici poteſt, aut poterit.

Quoties.
Cur.

Quoties, ſignificat numerum quemcunque, aut iterationem rei factæ, aut faciendæ. Cur, cauſam maximè efficientem exprimit, aut finalem, aut facti, aut dicti. vt, Quo conſilio? cuius reſpectu? Reip, religionis; amicorum, rei priuatæ, tyrannidis, lucri, qua ſpe, quo metu, quo dolore, qua lætitia, an comparandorum bonorum ſpe, aut vitandorum malorum metu, ignominiæ, incommodi, pœnæ, ſeruitutis, periculi.

Quomodò.

Quomodo, indicat modum, quo res facta eſt, aut fit, aut facienda eſt. Hic modus aliquandò breuiter deſignatur per aduerbia, per ablatiuos modi, per comparationes, per ſimilitudines: aliquandò latè, & copioſè per alias circumſtantias explicatur, vt ſi mortis, aut

pugnæ modus deſcribatur. *Quandò, tempus refert, quo quidpiam fit, fiet, aut factum eſt.* Vt, Nuper, olim, tempus pacis, & belli, induciarum, anni partes, autumnus, hiems, ver, æſtas, menſis, hebdomas, dies feſtus, nefaſtus, fauſtus, infauſtus, ſerenus, pluuius, nox, veſper, manè, meridies.

Quandò.

10\. *Ratio examinandorū circunſtantiarum per Syntaxim.* *Primus.*

COnſideratis accuratè circumſtantiis plenitudo, & amplitudo comparabitur per Syntaxim, tribus modis. Primus eſt, cùm vnum cum vno congruit, aut vnum ab vno regitur: vt cùm adiectiuum cum ſuo ſubſtantiuo coniungitur: aut nominatiuus cum verbo conuenit, aut aliquis caſus ab aliqua dictione regitur. Clodius inſidias fecit; certa crux: nullas fecit, ſperata libertas. Alter cum vni plura tribuuntur: aut pluribus vnum additur: aut vni ſubſtantiuo repetito plura ſubiiciuntur adiectiua, vel vni adiectiuo plura ſubſtantiua: aut vni verbo repetito, vel non repetito à fronte plura ſuppoſita; à tergo plures caſus copulantur. vt, Quod ſi nondum ſatis cernitis, cùm

Secundus.

res ipſa tot, & tam claris argumentis, ſignîſque luceat, pura mente, atque integra Milonem nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam reuertiſſe. (Hic vides plures caſus adiectiuos cum vno infinito coniunctos.) Recordamini, quæ fuerit celeritas reditus eius; qui ingreſſus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus, quę oratio. (Hic plures nominatiui vni tribuuntur verbo.) Neque ſe populo ſolum, ſed etiam Senatui; neque Senatui ſolum, ſed etiam publicis præſidiis, & armis tradidit: neque ijs tantum, verum etiam eius poteſtati, cui totam Senatus Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Rom. arma tradiderat. (Hic animaduertis plures datiuos vni verbo coniungi.) Cui profectò ſe nunquam tradidiſſet, niſi cauſæ ſuę confideret, præſertim multa audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnunquam credenti. Hic vides vni ſubſtantiuo plura participia cum ſuis caſibus adiungi. *Tertius.* Ad poſtremum pluribus æquali conſtructione reſpon-

reſpondent plura: vt, In eo negotio, cùm te non cuſtodem ad continendas, ſed portitorẽ ad partiendas merces miſſum putares; cùm omniũ apothecas, domos, naues furaciſſimè ſcrutareris; hominéſq; negotia gerẽtos iniquiſsimè iudiciis irretires; mercatores è naui egredientes terreres: conſcendentes morarere: tenéſne memoria tibi in conuentu Puteolis manus allatas; ad me querelas Puteolanorum eſſe delatas?

Colon præterea diuiditur in principale, & minusprincipale. Principale, ſine quo periodus eſſe non poteſt, quod totum eſt antecedens periodi, aut conſequens : vt, In Armeniam poſteaquam Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatæ ſunt. Item: Cùm in Aſia res magnas permulti amiſerunt: ſcimus Romæ ſolutione impedita fidem concidiſſe. *Minus principale, eſt pars antecedentis, aut conſequentis, qua ſublata perfecta periodus permanet.* Noſter exercitus, etſi vrbem ex Tygranis regno ceperat: (hoc colon eſt principale, quod autẽ ſequitur, minus principale) & præliis vſus erat ſecundis:

II. Diuiſiones aliæ coli.

Principale.

Minus principale.

(hoc enim ſublato periodus erit nihilominus, ſi addatur cõſequẽs) tamẽ nimia lõginquitate locorũ, & deſiderio ſuorũ cõmouebatur. Colõ rurſus aliud inciditur cõmatibus: aliud eſt cõtinuũ. vt, Cũ in maximis periculis hui⁹ vrbis, & imperij, grauiſsimo, atq; acerbiſsimo reip. caſu, ſocio, atq; adiutore cõſiliorũ, periculorũq; meorũ L. Flacco cędẽ à vobis. coniugibus, liberis veſtris, vaſtitatem à templis, delubris, vrbe, Italia depellebã: ſperabã, iudices, honoris potius L. Flacci me adiutorẽ futurũ, quàm miſeriarũ deprecatorem. Itẽ. Reſp. cõſilium, grauitatem, ſapientiã, prouidentiam Iudicum implorat. Poſterioris exemplum. Perbreui tempore vna excurſio equitatus totius anni vectigal auferre poteſt. Et: Propter dilationẽ comitiorum ter Prætor primus cunctis centuriis renuntiatus ſum. *Ad poſtremum, colon vnum eſt proprij nominis, quod eſt oratio perfectæ, & abſolutæ conſtructionis, conſtitutum ex nomine, & verbo: aliud eſt hypocolon, ſiue Italicum, quod orationis conſtructionem habet imperfectam, verbi principalis, aut nominis defectu.*

Colon commatibus cõſtat.

Colon proprii nominis

Hypocolon.

EXpoſitis commatũ, colorúmque rationibus, naturam periodorum explicabo paucis diuiſionibus. *Periodus quædam eſt perfecta, quæ principium habet, & finem, & abſolutam ſententiam, & mediocrem magnitudinem.* Hanc, quam Latini ambitum, circuitum, comprehenſionem, conuerſionem, concluſionem, circumſcriptionem dicunt, maximè perſequimur in hoc orationis numeroſæ apparatu, & artificio. *Eſt alia periodus imperfecta, quæ vno membro longiori, vel pluribus conſtat, cum abſolutione ſententiæ, ſine dependentia antecedentis, & conſequentis. Ea eſt duplex: Vna ſimplex, quæ vnico, & longiori membro continet perfectam ſententiam:* vt, Animaduerti omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Item: Dicendum de ſingulari, & eximia virtute Cnei Pompeij. *Altera coniuncta, continuatio eſt plurium membrorum, quæ ſine antecedentis, & conſequentis nexu mẽbratim ſententiam abſoluit:* vt, Quis cantus modulatæ orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa verborũ concluſione aptius?

11. Periodi uiſio. *Perfecta.* *Imperfecta.* *Simplex.* *Coniuncta.*

quis actor in imitãda, quã orator in ſuſcipiẽda varietate iucundior? quid autẽ ſubtilius, quã acutæ, crebræq́; ſententię? quid admirabilius, quã res ſplendore illuſtrata verborũ? *Hãc periodũ Græci πνεῦμα dicunt, quod ita mẽbratim nectatur oratio, vt mẽbra, aut ſingula cõmodè, & concinnè ſpiritum exhauriant.* Etenim nouum ſpiritum ſingula requirunt, cùm aut plura ſunt, aut longiora: vt, Nec Reip. conſuluiſti, nec inimicis reſtitiſti, nec amicis profuiſti. In hoc genere periodi grata ſunt, & tempeſtiua Schemata Rhetoricæ exornationis. Similiter cadens: Similiter definens: Diſiunctio, & affines figuræ, Traductio, Gradatio, Repetitionis ſpecies: vt, Quàm multos fuiſſe putatis, qui hoc non crederent? quàm multos, qui propter ſtultitiam non putarent? quàm multos etiam, qui defenderent? quàm multos, qui propter improbitatem fauerent? Et: Quid maius, quàm continere imperio populos? deuincire multitudinem diſciplina? coercere flagitiorum licentiam? excitare virtutis ſtudia? *Periodus perfecta*, quæ membri antecedentis, (quod ſenten-

Diuiſio periodi ex numero membrorum.

tiam inchoat) & conſequentis (quod eam concludit vinculo conſtrictam habet compoſitionem, *alia eſt dicolos, alia tricolos, alia tetracolos, pentacolos, hexacolos, heptacolos. Dicolos, ſiue bimembris, quæ antecedenti, & conſequenti conficitur membro.* Quorum impunitas, Caij Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt eorũ ipſorum te ad crudelitatem exacuet oratio? Itẽ: Qua in vrbe imperatores armati Poetarũ nomen, & delubra Muſarum coluerũt: in ea rogati Iudices non debẽt ab honore Muſarum, & à ſalute Poetarũ abhorrere. *Tricolos trimẽbris, quæ tribus contexitur membris, quorum duo ſunt in antecedente, vnũ in conſequente: vel vnum in antecedente, & duo in conſequente:* vt, Cùm antea per ætatem nondum huius loci autoritatem contingere auderẽ: ſtatueremq́ue nil huc, niſi perfectum ingenio elaboratum induſtria afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. Item: Si veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur: neceſſe eſt eum, qui amicum, ſocium, affinem fama, & fortunis ſpoliare conatus eſt;

Dicolos.

Tricolos.

ſe impium, & perfidioſum eſſe fatea-
Tetracolos. tur. *Tetracolos eſt quatuor membrorum, quorum vnum in antecedente eſſe poteſt, & tria in conſequente, vel tria in antecedente, & vnum in conſequente, vel duo in antecedente, & duo in conſequente.* Hoc genus periodi laudatiſsimum eſt, quod quatuor exametrorum verſuum inſtar porrigitur. vt, Si quantum in agro, locíſque deſertis audacia poteſt: tantum in foro, atque in iudiciis impudentia valeret: non minus cederet in cauſa A. Cæcinna Sexti Æbutij impudentiæ: quàm tum in vi facienda ceſsit audaciæ. Hic penè æquata quantitate numerorum, duo ſunt in antecedente, & in conſequente totidem.

Pentacolos. *Pentacolos. quæ membris quinque componitur.* Quamuis ille, qui ad regnum iter affectat, parentibus, & fratribus vitam eripiat: & in ſuorum ſanguine, atque cæde bacchetur, vt facilius ea ratione imperio potiatur: tamen, vt vir animi maximi, imperióque digniſsimi, à multis laudari ſolet. Item: Leges odio nimis acerbo perſequuntur: omnes magiſtratus extin-

ctos, atque deletos cupiunt: nefariè principibus inſidias parant: Remp. temeritate & amentia perturbant: vt omnibus præſidijs publicę libertatis per ſummum ſcelus ereptis, ipſi ſoli in Rep. dominentur. *Hexacolos, quæ ſex membris contexitur.* vt, Cum, omnibus propoſita ſit vita ſecura, & tranquilla: & multa pericula intendantur ijs, qui in regia ſede locati ſunt: ita tamen quidam per omnes flammas regnãdi cupiditate incenſi rapiuntur, vt nullus metus, nulla verecundia, nulla religio impediat: quo minus omnia tetra facinora machinentur. *Heptacolos ſeptem membris abſoluitur.* Ceterum Periodus omnis, quæ pluribus, quam membris quatuor conſtat, generali nomine Perigraphe dicitur. Nam cum rerum enumerationes, diſtributionesque incidunt, multiplicantur membra inſignem in numerum. vt, Si quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio, quam ſit exiguum: aut, ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatũ, aut, ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarũ artiũ

Hexacolos.

Heptacolos

Perigraphe

ſtudijs, & diſciplina profecta eſt, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, earum rerum omnium vel, in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè ſuo iure debet. Item: Quod precatus à Ioue Optimo Maximo, ceteriſque dijs immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, cũ me, fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque deuoui: vt, ſi meas rationes vnquam veſtrę ſaluti antepoſuiſsé, ſempiternam pœnam ſuſtinerem mea volũtate ſuſceptã: ſin & ea quę ante geſſeram, conſeruandæ ciuitatis cauſa geſſiſſem: & illam miſerã profectionẽ veſtrę ſalutis cauſa ſuſcepiſſem: vt, quod odium ſcelerati homines, & audaces in Remp. & in omnes bonos conceptum iamdiu continerent: id in me vnum potius, quam in optimum quemque, & in vniuerſam Remp. deflecterent: hoc ſi animo in vos, liberoſque veſtros fuiſſem aliquando vos Patres conſcriptos, Italiamque vniuerſam memoria mei, miſericordia, deſideriumque tenerẽt (huc vſque antecedens ſuſpẽſis membris, & breuibus periodis cõfectum) eius deuo-

tionis me eſſe conuictũ iudicio deorum immortalium, teſtimonio Senatus, conſenſu Italiæ, confeſſione inimicorũ, beneficio diuino, immortalique veſtro maximè lætor, Quirites. Quod Perigraphorũ omniũ ſit inſtar, hoc perorationis in Caium Verrem adſcribo exẽplũ. Nunc te, Iuppiter Optime Maxime, cuius iſte donũ regale dignũ tuo pulcherrimo tẽplo, dignũ Capitolio, atque iſta arce omniũ nationũ, dignũ munere regio tibi factum ab regibus, tibi dicatũ, atque promiſſum per nefariũ ſcelus de regijs manibus extorſit, cuiuſque ſanctiſſimũ, & pulcherrimum ſimulachrũ Syracuſis ſuſtulit: teque, Iuno regina, cuius duo fana duabus in Inſulis poſita ſociorũ, Melite, & Sami, sãctiſſima, & antiquiſſima, ſimili ſcelere idẽ iſte omnibus donis, ornamẽtisq; nudauit: teq; Minerua quã idẽ iſte duobus in clariſſimis, & religioſiſsimis templis expilauit: Athenis, cùm auri põdus grande, Syracuſis, cùm omnia prçter tecta, & parietes abſtulit: teque, Latona, & Appollo, & Diana, quorum iſte Deli non fanum, ſed, vt hominum opinio, & religio fert, ſedem

antiquam, diuinumque domiciliũ nocturno latrocinio, atque impetu compilauit: etiam te, Apollo, quẽ iſte Chio ſuſtulit: teque etiam, Diana, quam Pergæ ſpoliauit, cuius ſimulachrum ſanctiſſimum Segeſtæ bis apud Segeſtanos conſecratum, ſemel ipſorũ religione, iterũ P. Africani victoria, tollẽdũ, aſportandũque curauit: teque, Mercuri, quem Verres in villa, & in priuata aliqua paleſtra poſuit, quẽ P. Africanus in vrbe ſociorũ, & in Gymnaſio Tindaritanorum iuuentutis illorũ cuſtodẽ, & præſidem eſſe voluit: teque, Hercules, quem iſte Agrigenti nocte intẽpeſta ſeruorũ inſtructa, & cõparata manu conuellere ex ſuis ſedibus, atque auferre conatus eſt: teque ſanctiſsima mater Idea, quam apud Enguinos auguſtiſsimo, & religioſiſmo in templo, ſic ſpoliatam reliquit, vt nunc nomẽ modò Africani, & veſtigia violatæ religionis maneãt, monumenta victoriæ, faniq́ue non extent: voſque omniũ rerum forenſium, conſiliorum maximorum, legum, iudiciorũque arbitri, & teſtes celeberrimo in loco prætorij locati, Caſtor, & Pollux,

quorum è templo quæſtum iſte ſibi, & prædam maximam improbiſsimè comparauit: omnesque dij, qui vehiculis tenſarum ſolemnes cætus ludorum initis, quorum iſte iter ad ſuum quæſtum, non ad religionum dignitaté faciendũ, exigendumque curauit: teque, Ceres, & Libera, quarum ſacra, ſicut opiniones hominum, & religiones ferunt, longè maximis, & occultiſsimis cæremonijs continentur, à quibus initia vitæ, atque victus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis, exempla hominibus, & ciuitatibus data, ac diſpertita eſſe dicũtur: quorũ ſacra Pop. Rom. à Græcis adſciuit, & accepta tãta religione, publicè & priuatim tuetur, non, vt ab alijs huc allata, ſed, vt cęteris hinc tradita eſſe videantur, quę ab vno iſto ſic polluta, & violata ſunt: vt ſimulachrum Cereris vnum, quod à viro, non modo tangi, ſed, ne aſpici quidem fas fuit, è ſacrario Catinæ conuellendum, auertẽdumque curauerit: alterum autem Ennę ex ſua ſede, & domo ſuſtulerit: quod erat tale, vt homines cùm viderent, aut ipſam videre ſe Cererem, aut effigiem

Ceretis non humana ma nu factam, ſed de cœlo delapſam arbitrarentur: vos etiam, atque etiam imploro, & appello, ſanctiſſimæ Deæ, quæ illos Ennenſes lacus, lucoſque colitis; cunctæque Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita eſt, præſidetis: à quibus inuentis frugibus, & in orbem terrarum diſtributis omnes gentes, ac nationes veſtri religione numinis continentur, cæteros item deos, deáſque omnes imploro, obteſtorque: quorum templis, & religionibus iſte nefario quodam furore, & audacia inſtinctus bellum ſacrilegum ſemper, impiũque habuit indictum: (Conſequens Perigraphes) vt, ſi in hoc reo, atque in hac cauſa omnia mea conſilia ad ſalutem ſociorum, dignitatem populi Romani, fidem meam ſpectauerunt: ſi nullam ad rem, niſi ad officium, & veritatem omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationéſque laborarũt; quæ mea mens in ſuſcipienda cauſa fuit, fides in agenda, eadem veſtra ſit in iudicandà. Periodus ex mẽbrorum ratione, magnitudine, & paruitate, alia eſt Iſocolos, quæ cõſtat mẽbris æquatis: alia miouros, cuius con-

Diuiſio periodi ex magnitudine membrorũ.

Iſocolos.

ſequens eſt breuius antecedente: alia parua: alia mediocris, alia magna. Ex forma autem cuiuſque Orationis, alia eſt preſſa, quæ verbis tantum neceſſariis, aut pro neceſſariis, conſtat, & conficitur orationibus breuibus, & preſſis, & ſubtilibus: vt, Accuſatores eſſe multos in ciuitate vtile eſt: vt metu contineatur audacia: alia eſt plena, quæ orationibus amplis conſtat, & abundat adiunctis, iiſque omnibus, quæ amplificant orationem, quæque vberes, & copioſas faciunt ſententias: vt, Si hæc preſſa amplificetur. Etſi non ſoleo reddere rationem, cur quemque defendam: tamen in hac cauſa proponenda eſt ratio officij mei. Sic vberior redditur. Etſi non eſt meæ conſuetudinis, Iudices, initio dicendi rationem reddere, cur quẽque defendam: propterea quod cum omnibus ciuibus in eorum periculis, ſatis mihi iuſtam cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur officij mei: propterea quod, quæ mihi iuſta cauſa ad defendendum eſt viſa, eadẽ

Miouros. *Parua.* *Mediocris.* *Magna.* *Preſſa.* *Plana.*

vobis ad abſoluendum debet videri.
Fit quæuis oratio plena, ſi partes eius, & membra, & commata augeantur adiunctis nominis, & verbi, figuris Synonimiæ, & amplificationis: vt, Remp. vobis reſtitutam videtis ſic amplificat Cicero. Remp. Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperij, fortunatiſſimam, pulcherrimamque vrbem hodierno die, ſummo deorum immortalium, erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis ex ferro, atque flamma, & penè ex faucibus fati ereptam, ac vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis. Periodus magna, quæ cõficitur grandibus membris quatuor: aut pluribus, quæque detinet auditores diu ſuſpenſos. Parua, quæ conſtat paucioribus, quam quatuor, aut breuibus. Mediocris, quæ optima cenſetur, ex quatuor membris conflata plenis, & rotundis. Denique periodus, aut eſt diſtincta, quę naturalem membrorum ordinem ſeruat, cum antecedenti conſequens ſubiungitur: aut confuſa, quæ

Magna. *Parua.* *Mediocris.* *Diſtincta.* *Confuſa.*

præponit conſequens antecedenti.

IN exordio eſt potiſſimus periodorũ vſus, preſertim pleniorũ, & vberiorum. Eſt & vſus in narrationibus, ſed rarior, & breuium tantũ. *Nã narratio rectitudinem habet, hoc eſt, eam orationis formam, quæ per rectos tam caſus, quàm verba, ita procedit, vt res vna aliam contrahere non videatur: & membris ſæpe conficitur per verbum, aut præſens, aut præteritum.* Eſt & periodis locus in confirmatione, ſed breuioribus fermè. Nam confirmationes, quia ſunt acres, membris plurimũ conſtant, aut inciſis, aut breuibus, preſſiſque periodis. Denique locum habẽt periodi in concluſionibus, & in omni oratione, quæ plurimum habet dignitatis, & contentionis minimum. Nam in confirmationibus, & inuectiuis, in quibus acriter agitur, & pugnaciter dicitur, membra, & commata ſunt adhibenda, quæ aculeis quibuſdam conſtãt, & vrgent aduerſarium. Cæterum in oratione, vt varietas ſit iucundior, temperanda ſunt membra, commata, & periodi, & alternis, & mixtim vſurpãdr. Eſt enim genus orationis triplex: vel

13. *Vſus periodi.*

Rectitudo.

enim cæſim dicitur, cùm oratio multis commatibus inducitur, vel breuiſſimis clauſulis, & multiplicatis conficitur: Vel membratim, cùm oratio in longiores, clauſulas, & iuſtæ magnitudinis membra abrumpitur abſoluto in ſingulis ſẽſu: Denique periodicè dicitur, cùm oratio habet concluſionem antecedentis, & conſequentis.

Dicendi ratio triplex. *Cæſim dicere.* *Mẽbratim dicere.* *Periodicè dicere.*

14. *Pedes.* TRibus in partibus orationis oratoriæ sũt numeri, pedéſque obſeruandi principio, medio, & maximè in fine. Nam hic pedes collocari oportet, quibus & aures auditorum, & ſpiritus pronunciantum acquieſcunt, & animi iucunditate numerorum reficiuntur. Hic verò non vnicus pes vltimus, ſed duo, aut tres vltimi retrò continui ſunt obſeruandi. Hac in parte in primis approbatur Ditrocheus —∪—∪ Meus labor ex veſtro iudicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Creticus, qui & Amphimacer eſt —∪— & Ditrocheus. Veſtri eſt auxilij, huius innocentiæ ſic in hac calamitoſa fama quaſi in aliqua pernicioſa flamma, atque in communi incendio ſubuenire. Pæan primus, & Spondæus —∪∪∪——

Pedes in fine.

Huius

Huius aditu laudis nõ mea me volũtas; ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. Diſpondæus ———— Me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi concurſus veſtri, neque ſingulæ voces præconum, ſed vna voce vniuerſus populus Rom. Conſulem declarauit. Creticus; & moloſſus —∪———— Hoc ego tã inſigne, tam ſingulare veſtrum beneficiũ, Quirites, cùm ad animi mei fructum, atque lætitiam, tum ad curam, ſolicitudinemque multò maius. Creticus, & Dactylus —∪——∪∪ Laboranti certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur. Creticus iteratus —∪——∪—. Nullam partem, neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impartiunt. Tribrachys, & Spondæus. A diis precor, vt hodiernam diẽ, & ad huius ſalutem conſeruandam; & ad Remp. conſtituendam illuxiſſe patiãtur. Duo Ditrochæi —∪—∪—∪—∪. Perbeati eſſe vidẽtur, qui vel in negotio ſine periculo, vel in ocio cũ dignitate eſſe poſſũt. Dochimus∪——∪— Ad defẽdẽdũ propemodũ ſatis erit hoc mihi tẽporis, verũ ad conquerendũ parũ. Cre-

ticus,& Ditrochæus—∪——∪—∪. Vt illud ſũmũ auxiliũ maieſtatis, atq; imperij de Rep. tolleretur. Pæan quartus, & Ditrochæus∪∪∪——∪—∪De patria, de ciuib⁹, de ſalute cõmuni diuinit⁹ promeriti iudicantur. Iambus, & Diſpondæus ∪————. Populus perduellẽ dãnauit. Iambus, & Dactylus ∪——∪∪. Atrociſſimi pœna criminis liberat. Omnes Epitriti, & pedes polyſyllabi concinnè finem clauſulę terminant: vt primus ∪———. Vt omnes intelligant nil me, nec ſudterfugere voluiſſe reticẽdo, nec obſcurare dicendo, Secundus—∪—— Facile intellexi, & quid de me iudicaretis, & quid aliis præſcriberetis. Tertius ——∪—. Quartus———∪. Pean Secundus ∪—∪∪. Pæã tertius ∪∪—∪. Rarus eſt proceleumaticus in ſplendida oratione. In extremis vltimæ ſyllabæ nulla ducitur ratio quantitatis in prorſa, ſicut nec in vorſa oratione. In principio periodi optimi ſunt, Creticus,. Pæan Primus, & quartus, Dochimus, Moloſus, Dactylus, Spondæus, Anapeſtus. In medio periodi ne mala compoſitio verborum impediat pronunciationem, & inſtru-

Pedes in principio

Pedes in medio.

menta vocis cauendum: proinde, in fine antecedentis laudantur Cretici, Pæanes duo, Primus, & Quartus, Dochimi, Dactyli, Moloſſi, Spondæi. His modis numerum addimus orationi, non verſum, qui hic in vitio eſt.

PRINCIPIA periodorum ſemper maiuſculis litteris conſpicua appareant. Finis Periodi puncto notetur. Nomina propria omnia maiuſculam initialem litteram habeant, quacumque in parte orationis ſint. Principium omnis verſus poetici maiuſcula ſcribatur. Inter finem periodi præcedentis, & initium ſequentis iuſtum interuallum intercedat. Comma puncto caudato, ad imam lineam deflexo incidatur, hoc modo, Colon principale, & perfectum, duobus punctis definiatur: Colon Italicum, ſiue hypocolon duobus punctis ſignetur, ſuperiore rotundo, inferiore caudato; Interrogatio, ſiue in membris, ſiue in commatibus, ſiue in periodis proprium habeat ſignum? Verſus rupti, qua parte deeſt aliquid, linea notentur, ſi principium deſit, præponatur: ſi finis, poſtponatur. Parentheſis duobus ſemicirculis includatur. Admiratio duobus punctis no- 15. *Diſtinctionum notæ.*

tari debet ſuperiore erecto, & acuto; inferiore rotundo.

15. *Genera dicendi.* QVod extremum mihi propoſueram, cùm eſſem elocutionis oratoriæ doctrinam concluſurus, aggredior dicendi genera proponere. In his enim quærimus artem, cuius beneficio qualitas orationis cognoſcitur, perfectáque ratio, & iudicium haberi poſſit: vt quæ Aſiatica, quæ Laconica, quæ Attica ſit forma dicendi, qui graues, qui acres, & ardentes, qui dilucidi, qui acuti, qui illuſtres, qui ſuaues, & picturati, qui longi, & breues habeantur. Etenim extenſi ſunt Titus Liuius, & Paulus Iouius: breues, & conciſi L. Florus, & Criſpus Saluſtius: pinguis, & floridus M. Tullius: purus, & nitidus I. Cæſar: turbulentus, & mixtus Plinius. *Sed hæc in tria genera* (quæ nullo diſcrimine dicam characteres, formas dicendi, ſtilum, virtutem, ideam) *tribui cõtractius poſſunt, amplum, & ſublime, quod magno, cùm ſententiarum, tum verborum curſu, ſonitúque fertur: modicum, & temperatum, quod inter ſummum, infimumque incedit: denique tenue, & acutum, tum in primis calli-*

Sublime *Tẽperatũ.* *Tenue.*

dum. His enim elocutio non vitioſa (quæ noſtrarum ſentẽtiarum, quas in animo noſtro reconditas habemus, congruẽs, & apta rebus ipſis explanatio eſt) *tribus generibus continetur graui, mediocri, & attenuato.* Et ſanè dictu facilè, promptumque eſt, hunc ſermonem ſublimem, hũc humilem eſſe, profiteri: ſed vtriuſque cauſam oſtendere perdifficile eſt. Etenim, quod quis putet vulgò, vt ſublimis ſit oratio, & grandis, non tantum, ſemperque facit longa comprehenſio, membrorumque productio, commatumque; ſed opus rebus magnis, & honeſtis, & aſperis ſententiis, & modi varietate, & comprehenſionis. Imo genus amplum in aſperitate, breuibus, & conciſis vtitur. Atque, vt paulatim characterem, figuramque dicendi pernoſcamus, eiuſque naturam, ſermo petulans, obſcœnus, liberalis, arrogans, figuræ nõ ſunt; ſed rerum nomina, quæ tractãtur ipſo ſermone, vel morum eius, qui loquitur. Sed neque dici poſſunt characteres, dialecti, & proprietates ſermonis, vt Attica, Dorica, Ionica. Sed character, & Idea, genus dicendi, eſt co-

gitata forma orationis, ad quam imitando referemus noſtri ſermonis qualitatem: vt, quod à perturbato homine fiant tumultuariè omnia, & imperfectè, irati ſermonem exactè Virgilius expreſſit. Tantáne vos generis tenuit fiducia veſtri? Iam terram, cœlumque meo ſine numine venti Miſcere, & tantas audetis tollere moles? Quos ego. *Conſequimur huius formæ rationem delectu verborum, figuris, & compoſitione. Etenim elocutionis munus præcipuum duco, exquiſitum, propriumque, & aptum rebus vſum verborum.* Quem, vt aſſequamur facilius, vim, naturam, qualitatem, & diſcrimen cognoſcamus. Sunt enim alia propria, quæ hominum inſtituto primum ſunt impoſita rebus ſignificandis: quædam impropria, & aſſumpta, quæ à propria ſignificatione ad aliam rem ſignificandam conuertuntur. Turnus vt, anteuolans tardum præceſſerat agmen. Grauia, quæ vim, & grauitatem quandam ex rebus, quas ſignificant, habent. Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum, & impium.

Verba varia, *Propria.* *Impropria.* *Grauia.* *Leuia.*

Leuia, quæ rei leuioris, & minoris ſignificationem habent: vt, Modica ciuitas. Sublimia, quæ dignitate, & amplitudine rerum, quas ſignificant, ſplédeſcunt, & illuſtrem, & magnificam reddunt orationé. Humilia, quæ quaſi humi depreſſa, nullam in oratione dignitatem habent. Honeſta, quibus res ſignificantur ſine pudore. Turpia, quæ res fœdas, aut ſordidas, aut obſcœnas exprimunt. Sonantia, quæ inſigniorem habent ſonum vocalium, aut conſonantium, pleniuſque ſyllabarũ tempus. Exilia, quæ conſtant vocalibus modicis, i, & v. Grandia, quæ aut ſpatio temporũ, aut numero ſyllabarum, vel vtroque modo ſunt magna. Parua, quæ attenuant orationem, aut breuitate, aut paucitate ſyllabarũ, aut vtraque. Tarda, quæ aut productione, aut proceritate, aut hianti cõpoſitione ſyllabarũ cõſtant. Volubilia breuitate tẽporis, aut paucitate ſyllabarũ, aut leni cõpoſitione fiunt. Lenia, in quibus non iunguntur aſperæ vocales. Aſpera, in quibus vocales cõcurrunt, aut iungũtur aſperæ conſonãtes. Latina, quæ latinè, &

Sublimia. Humilia. Honeſta. Turpia. Sonantia. Exilia. Grandia. Parua. Tarda. Volubilia. Lenia. Aſpera. Latina.

emendatè loquentium ſcriptis reſpondent, quorum vſui contraria ſunt peregrina, & inuſitata. Peregrina, quæ
Peregrina. ſumuntur ex aliis linguis, vt gaza, Car-
Inuſitata. rus. Inuſitata, quæ ſunt aliena ab vſu communi, & conſuetudine quotidiana
Vſitata. Romanè loquentium: ſicut vſitata, quæ verſantur in ſermone, & conſuetudine diſertorum, & probatorum autorum.
Priſca. Priſca, quæ ex ſcriptis ab antiquitate relictis, à poſterioribus reſumuntur, & reuocantur in vſum pridem intermiſſa.
Obſoleta. Obſoleta, quæ in deſuetudinem pror-
Noua. ſus abierunt. Noua, quæ iuniores ſuis
Dura. quique temporibus vſurparunt. Dura ineptius adſcita, & longius, quæ parum
Poetica. commodè transferuntur. Poetica poetis vſitata venuſtè, quibus ineptè vteretur orator: vt, Vulnificus. Horum, qui accuratam fingit orationem, delectum acri cum iudicio habeat, idoneam argumento, & rebus efferendis expreſſurus orationis ideam. Oratorem iudicio valere oportet, vt res magnas ab exiguis iuſto diſcrimine diſtinguat, & cuique argumento, & argumenti partibus orationem accommodet, nunc te-

nuem, nunc temperatam, nunc ſublimem. Nam, vt idem totius argumenti tenor non poteſt eſſe: ita nec orationis debet. *Et eloquens is demum eſt, qui humilia tenuiter, mediocria temperatè, ſublimia magnificè dicit.* Quoniam enim orationem moribus conuenire decet: habenda ratio ingeniorum, ætatum, ſexus, fortunæ, conditionis, vt in oratione decorum ſeruari poſſit, cuius neglectu ineptit. Itaque orator, ſi claritati ſtudeat, principiò res tractet, quarum intellectus in promptu ſit, rectis caſibus, rectaque compoſitione: ſi moribus, perſonam aſſumat moratam: ſi amplitudini, multa complectatur, res magnas, inſignesque narret, membris aut longis diſtinguat, aut acribus: ſi venuſtati, concinnitatem petat. Acrimonia ſubtiles, & altas petit ſententias: occupationibus multis prætercurrit. Acerba oratio increpat, prohibet, interrogat, iubet. Hinc formarum varietas naſcitur. *Eloquens quis.*

17. *Aſſectus orationis.*

EA eſt triplex, Sublimis, Infima. Media Harũ omnium, quidã ſunt affectus cõmunes, quidam proprij. Communes perſpicui-

tas, cultus. proprietas, venuſtas, numeroſitas. Hos omnes omnium, tum perpetuos eſſe oportet. Aliorum communium quidam ſunt, non perpetui; ſed, vt res tulit, Mollitia, Suauitas, Incitatio, Puritas, acutum, acer, plenum, floridum. In proprijs quoque eadem ratio. Quidam enim perpetui ſunt, quidam non, vt generis ſublimis perpetui ſunt, dignitas, ſonus, viciſſitudinaria grauitas, vehementia; Infimi generis propria perpetuò tenuitas viciſſitudinaria, ſimplicitas, ſecuritas; Æquabilis, ſeu mediocris characteris propria perpetuò rotunditas, volubilitas. Sublimis character, eſt orationis forma, quæ conſtat verborum grauium magna, & ornata conſtructione: quæ res excellentes continet, & perſonas graues, è quibus lectæ ſententiæ oriuntur, quæſq; lectus rem verbis, verborúmque numeroſa collocatione explicat. Perſonæ graues, ſunt Dij, Heroes, Reges, Duces, Patricii, ciuitates. Quod, ſi aliæ quoque inferiores admiſcentur, vt nautæ, fabri, mercatores, aurigæ, id propterea fit, quod hominum conuentu ſocietas inſtituta quoddam quaſi corpus eſt, cuius membra pro na-

Affectus perpetuus generis ſummi.

Affectus infimi.

Affectus medij.

Sublime genus.

tura, finéque officiorum, & naturam ſortiuntur, & conditionem. *Res excellentes ſunt, bella propter pacem, & quietem: concilia ad deliberandum: iudicia ad eligendum: virtus ad exequendum, & alia, quæ his cohærent. Lectæ ſententiæ ſunt, quæ à vulgo abhorrent. Lecta verba, quæ non ſunt trita. Numeroſa collocatio, quæ rem ipſam quaſi ſuo pingit ſono.* Verba duplicem ornatum conſequuntur, vnum ex figuris, alterum ex numeris: atque character exiſtit ex vtriſque. *Eſt autem character dictio ſimilis eius rei, cuius nota eſt, ſubſtantia, quantitate, qualitate:* vt, Fama malum, quo non aliud velocius vllum: monſtrum horrendum, informe, ingens. Fama ſubſtantia eſt: horrendum, & informe qualitas: ingens quantitas. Et ſicut ceræ, luto, metallo, par, ſimilíſque imprimitur facies eius rei, cuius nota eſſe debet: ita oratio, tanquam cera, plumbumue eſt: facies, character: res habebitur, pro anuli gemma ad ſignandam ceram. Et quod attinet ad characteris naturam, non neceſſe eſt eſſe res ipſas in magno ge-

Lectæ ſententiæ.

Numeroſa collocatio.

Character ex quibus.

Character quid.

nere magnas, in tenui humiles: ſed

Quid ſũma in genere. ſatis, ſurperque habet, ſi verbis lectis, ſonoris, pictis, verborumque compoſitione numeroſa ſublimis figuræ dignitatem tueatur: vt, It nigrum campis agmen, prędamque per herbas Conuectant calle anguſto: pars grandia trudunt obnixę frumẽta humeris, pars agmina cogunt, Caſtigantque moras, o-

Quid in attenuato. pere omnis ſemita feruet. Quid tam tenue, tamque humile, quam formica? at quid ſublimius hac oratione? Tenuis character ſuis contentus anguſtijs præter orationem puram, preſſam, de me-

Character ex materia. dio ſumptam, nil extra quærit. Cæterũ à materia ferè character educitur: quippe, qui rei effigies, & imago. Propterea, qui loquetur de capellis, & plebeiorum iuuenum, aut Thaidum amoribus, humilem Ideam ſibi proponet: qui de aratione, & ſatione, & armentis, non planè humilibus, ſed cum ipſa arte coniunctis, ad mediocrem aſſurget figuram cui arma cananda erunt, aut crimen atrox ab auguſtiore perſona depellendum, ſublimes ſpiritus geret, & proflabit oratione. Quid? quod in paſto-

ribus Virgilianis varium deprehenditur genus. Cùm enim audis: Quò te Mœri pedes? an, quò via ducit in vrbē? Imum genus non ſentis? Aut cùm cānis in Gallo: Extremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem, Mediocre? in Sileno, cùm ſonantius, pleniuſque funduntur cuncta, grandiorem nó agnoſcis figuram? Prima Siracuſio dignata eſt ludere verſu, (Noſtra, nec erubuit ſyluas habitare Thalia. Par ratio in Georgicis, imum in aratione, & ſatione: ſummum in peſtilentia, in Ariſtei fabula mediocre genus eſt. Idem iudicium in Æneide: quippe ſummum genus in libris Secundo, & Sexto: imũ in ludis Quinti animaduertitur: mediũ in Primo æſtimatur. Differunt tamen humilitates Virgilianæ in ſublimi ab humilitatibus in tenui: ſublimitas verò ab humilitate in Æneide non ſpecie, ſed modo tantum, & gradu diſtant.

PErſpicuitas; ſiue claritas, ſiue euidentia, eſt facilitas orationis ad rem intelligendam. Eſt enim obſcurum cōtrarium perſpicuo. Nec ſanè perſpicuum idem eſt, quod pellucidum, quod

18. Affectus cōmunes. Perſpicuitas. Obſcuritas.

tranſmittit viſibilem ſpeciem. Talis namque debet eſſe oratio. Nam in obſcura hæret animus, neque tranſmittit ſe ad rem, quam ſignificat. In perſpicua nil obſtat menti noſtræ, quin aciem ſuam ad rem ipſam vſque appellat. *Cultus.* Cultus eſt amputatio, abſterſioque ſordium, cùm in ſententijs, & verbis non omnia, quę dici poſſunt, dicuntur. Hinc ſtylus terſus eſt: hinc *Stylus.* nitor. Itaque in oratione, cùm dicimus nitorem, & ſplendorem, de verbis, verborumque compoſitione clara, & illuſtri intelligimus: quæ lecta, collocataque lucem quandam emittunt, quo modo arma ſitu deterſo, & *Proprietas.* rubigine. Proprietas eſt, non quæ tranſlata excludit, ſed natiua vis ſignificandi ex vſu doctorum. Venuſtas, & pulchritudo omnium, quibus oratio conficitur conuenientia quædam, & modus, qua cùm ſuccus quidam, & qualitas tanquam color elucet. Venuſtas pulchritudo non eſt, ſed ſine pul- *Venuſtas.* chritudine eſſe non poteſt. Eſt enim venuſtas pulchritudinis perfectio. Siquidem pulchritudo ex ſua cuiuſque

partis primum, deinde partium commiſſarum conuenientia, & temperamento oriens qualitas eſt: nam, quia partes conueniunt, pulchrum eſt corpus. Pulchritudo partium eſt ex modo, figura, colore conflata ſpecies delectabilis. Pulchritudo totius eſt ſpecies excitata ex partium modo, figura, ſitu, numero, colore. Modus, eſt debita partium quantitas. Figura, ornatus, & qualitas orationis, aut figuratæ, aut figura carentis. Situs diſpoſitio: Color, verborum nitor. Ex his omnibus confit proportio: ex proportione conuenientia, ex conuenientia pulchritudo: cuius latitudo cùm eſt, ſumma illa perfectio, & gratia, venuſtas exiſtit æſtimanda iudicijs acutis. Numerus, eſt conueniens ſententiæ ſonus ex compoſitione, & diſpoſitione partium. Hæc eſt anima vorſæ, prorſæque orationis. Nec vllum genus eſt, quod numero careat. Sed is mollior, facilior ſimplicior in tenui: coartior in mediocri, operoſior in grandi.

Pulchritudo partium. *Pulchritudo totius.* *Modus.* *Figura.* *Situs.* *Colo.* *Numerus.* *Anima.*

19. *Mollitia. Affectus cõmunes non perpetui.*

MOllitia, quę aures non offendit: & mollis oratio, quæ tam cędit auribus, quàm quærit aures cedere ſibi. Itaque facilè hæret animus, & promptè admittit. vt in tenui:

At tibi prima, puer, nullo munuſcula cultu, Errantes hederas paſsim cùm bacchare tellus, Miſtaque candenti colocaſia fundet Acantho. In mediocri: Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni, Verſibus incomptis ludunt riſuque ſoluto, Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis, Et te Bacche vocant per carmina lęta.

In grandi. Dixerat hæc: adytis cùm lubricus anguis ab imis, Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit, Amplexus placidè tumulum, lapſuſque per aras: Cęruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus, Mille trahit varios aduerſo ſole colores: Talis & compoſitio M. Tullij. Commodius feciſſent Tribuni plebis, Quirites, ſi, quæ apud vos deferunt, ea coram potius me præſente, dixiſſent. Nam & ęquitatem veſtræ diſceptationis, & conſuetudinem

nem ſuperiorum, & ius ſuæ poteſtatis retinuiſſent. Sicut venuſtas eſt decor ipſius compoſitionis, ità ſuauitas venuſtatis ſpecies delicata. Venuſtati aduerſatur turpitudo: Suauitati aſperitas. *Suauitas.* Addit decori, & pulchritudini ſuauitas, quoties venuſtum vultum delicata omnia commendant, & intentiores oculos pelliciunt. Eſt itaque ſuauis oratio, quæ allicit auditorem ad legendum audiendumue, vel inuitum: vt Non vlli paſtos illis egere diebus, Frigida Daphni boues ad flumina: nulla neque amnem Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *Celeritas.* Incitatio, ſiue celeritas eſt aliarum alijs ſubeuntium partium exprompta inculcatio, qua oratio mobilis videatur: vt, Nudus ara, ſere nudus, hiems ignaua colono. &, Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. Puritas eſt nuditas, cùm nil ornamenti admiſcetur. *Puritas.* Hęc diuerſa eſt à proprietate. Nam proprietas eſt nuditatis cauſa. Et proprietas vbique eſſe debet, puritas non vbique. Eſt crebra in tenui genere, non perpetua. Nam elaboratum eſt aliquando. Differt à ſim-

plicitate, quę eſt propria generis infimi: propterea quod ſimplex oratio eſt, quæ rem ponit ſine cauſa, ſine circumſtātijs: Puritas autē etiā hæc adiungit, ſine ornamētis tamē. vt, Tytire tu patulæ recubans ſub tegmine fagi, Siluestrem tenui muſam meditaris auena. Mox non pura, quia figurata. Formoſam reſonare doces Amarillida ſyluas. Item: Centum quadrijuges agitabo ad flumina currus.

Acumen. Acumen eſt quod ſententiam per ſe languidam penetrare facit in animos auditorum: ſicut eſt acrimonia acutæ orationis. Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis. &, Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Męui. Quæſo, Eruci, vt in bonam partem accipias. Non enim exprobrandi cauſa, ſed commonendi gratia dicam. Si fortuna nō dedit, vt patre certo naſcerere, ex quo intelligere poſſes, qui animus patrius in liberos eſſet.

Acre. Acre eſt, quod acutum, ſed nō ſolū mouet, vt acutū: Nā ſimul vellicat præcipuè, vt Sarcaſmus. Cantando tu illū? aut vnquā tibi fiſtula cera Iuncta fuit? nō tu in triuijs indocte ſolebas Stridenti miſerū diſperdere fiſ-

tula carmẽ. Plenũ dicẽdi genus eſt om- *Plenum.*
ne,cùm nil deſit,quod deſideres: nil re-
dũdat,quod ſit exultans. vt, Ille meas er-
rare boues,vt cernis,& ipſũ Ludere,quę
vellẽ calamo permiſit agreſti. Floridum *Floridum.*
& ipſum, plenũ eſt orationis genus,ſed
addit aliquid, quod ſine iactura deduci
poteſt:id verò facit ad amęnitatẽ,& de-
lectationem. vt, Nox erat,& placidũ car-
pebãt feſſa ſoporẽ Corpora per terras:
ſæuęque,& ſæua quierãt Æquora, cum
medio voluuntur ſydera lapſu. Cũ tacet
omnis ager,pecudes,pictęque volucres:
Quæque lacus latè liquidos , quæque
horrida dumis Rura tenent,ſomno po-
ſitæ ſub nocte ſilenti Lenibant curas,&
corda oblita laborum.

DIgnitas ab orationis genere ſubli- 10. *Dignitas.*
mi nõ poteſt abeſſe. Ea eſt cõditio *Conditio.*
perſonę, qua putatur ab omnibus, aut *Proprij af-*
pluribus, aut melioribus digna laude, *fectus ge-neris ſubli-*
vel præmio. Cõditionẽ intelligimus ſta *mis.*
tum animi,corporis,fortunę. Ex quibus
bonis & dignitatis opinionẽ conſequi-
mur,& appellationẽ. Hac ratione trãſla
ta eſt ſignificatio ad eã orationẽ,quæ ex
huiuſmodi perſonę ore,atq; animo pro-

ficiſcitur. Eã tamẽ nõ dicimus dignã, ſicut neque hominẽ dignũ abſolutè: ſed hominis, & orationis dignitatem. Neque id genus ſolum orationis, ſed illam quoque, quę de talibus eſt viris, vel rebus inſtitueretur: dum & ſplendor verborum, & tractus, & numeri ſimul ad illius ornamentum conſpirent. Poteſt eſſe dignitas, & ſimplex, aut cum figuris, ſine numeris non poteſt. vt, Tu quoque littoribus noſtris Æneia nutrix Æternum moriens famam Caieta dediſti Et nunc ſeruat honor ſedem tuus.

Sonus. Sonus in genere grandiloquo eſt intentio ſoni, qui communis eſt omnibus dicendi formis.

Grauitas & vehemẽ-. Affectus ſublimis formę non perpetui ſunt grauitas, & vehementia. Neque enim vbique grauis eſt: non enim cùm floret: neque vbique vehemẽs ſanè vbi ſimplices sũt narrationes, topotheſiæ, topographię, hypotypoſis.

Grauitas. Grauitas eſt congrua omnibus circumſtantijs oratio, vel quędam orationis elatio. Hæc præter ſententias ſpectatur in dictione, cùm verba, verborumq́ue ſtructura grauis eſt. Grauia verba ſunt ea, quæ non vulgari excidunt conſuetudi-

ne, & componunt ſtructuram ad eum modum. Vehementia non in ſententijs tantum, ſed in dictione, membris, figuris, & numeris cernitur. Dictiones illæ ſunt, quæ vbi paulum tardarunt pronunciationem, erumpunt: Earum vis tota poſita eſt in temporibus. vt, Conticuere omnes, intentique ora tenebāt. Interdum citæ, & monoſyllabæ ſunt, ſiue in principio, ſiue in fine. Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arçe extulit, &c. &, Mene incepto deſiſtere victam, nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem? &, Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris fata Phrygum. Itaque interrogationes ferè ſunt eiuſmodi in fine. En hęc promiſſa fides eſt? Membra curta, & commata, quæ pugionum inſtar punctim, non cæſim feriunt. Vt his finem addam, oratio in ſublimi orationis forma conficietur, ſi quæ cuiuſque rei poterunt ornatiſſima verba reperiri ſiue propria, ſiue tranſlata, ſiue extranea ad vnamquamque rem accommodabuntur: &, ſi graues ſententiæ, quæ in amplificatione, & commiſeratione tractantur, eligentur:

Vehementia.

&, ſi exornationes ſententiarum, & verborum, quæ grauitatem habebunt, adhibebuntur. vt, Multò acriorem improborum memoriam eſſe ſentio, quā bonorum. Egò te, ſi quid grauius acciderit, ego te, inquam, Flacce, perdidero: mea dextra illa, mea fides, mea promiſſa, cùm te, ſi Remp. conſeruaremus, omnium bonorum præſidio, quoad viueres, non modo munitum, ſed etiam ornatum fore pollicebar. Putaui, ſperaui, etiamſi honor noſter vobis vtilior fuiſſet, ſalutem certè charam futuram. At L. Flaccum quidem, iudices, ſi, quod dij immortales omen auertant, grauis iniuria afflixerit, nunquam tamen proſpexiſſe ſaluti veſtræ, conſuluiſſe vobis, liberis coniugibus, fortunis veſtris pœnitebit. Semper ſentiet talem ſe animum, & generis dignitati, & pietati ſuæ, & patrię debuiſſe. Vos, ne pœniteat tali ciui non peperciſſe per deos immortales, iudices, prouidete. Quotus enim quiſque eſt, qui hanc in Rep. ſectam ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus placere cupiat. Qui optimi cuiuſque, atque ampliſſimi hominis, atque ordinis autoritatem magni

putet? Illam viam ſibi vident expeditiorem ad honores, & omnia, quæ concupiuerunt. Sed cætera ſunt eorum: ſibi habeant potentiam, ſibi honores, ſibi cæterorum commodorum ſummas facultates: liceat iis, qui hæc ſalua eſſe voluerunt, ipſis eſſe ſaluis.

HVmilis forma dicendi, quæ tam verbis, quàm compoſitione, vſq; 21. *Humile genus.*
ad vſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem demiſſa eſt. Huius formæ oratio vinculis numerorum libera, & ſoluta eſſe debet, non tamen vaga, vt ingredi liberè, non vt licenter errare videatur. Diligentia coagmentādi verba prætermittēda eſt, & omnis inſignis ornatus remouendus. Adhibebuntur tamen acutæ, crebræque ſententiæ, & ornamenta verborum, & ſententiarū parcè, & verecundè. Huius generis materia res humiles, & perſonæ, vt argumenta Comœdiarum, Eclogarum, paſtores, & tenues, ignobileſque perſonæ, quæ ſi de regibus loquūtur, aut de diis, eorum officia, operaue, quantò ſunt tenuiora tātò huic generi propiora. Proinde Tytirus Deum ſuum non magnis

cœli,ſed terræ muneribus præditum inducit. Huius affectus proprij, & perpetui ſunt, tenuitas, & ſimplicitas. Tenuitas orationis eſt puritas ex communi conſuetudine loquendi. Simplicitas, eſt puritas non figurata. vt, Vrbem, quam dicunt Romam Mœlibæe putaui ſtultus ego, huic noſtræ ſimilem. Poteſt eſſe & ſimplicitas ſine puritate. Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim. Securitas eſt firmitas propoſiti ad tenuitatem.

22. *Mediocre genus.* MEdia dicendi forma eſt humiliori ſublimior, & attenuata grauior oratio, quæ mediocres ſentẽtias lectiore ſermone deſignat, nec reſpuit figuras, quibus tenuem formã ſuperet, neque multum figurata eſt, quò citra ſublime ſubſidat. Huius affectus proprij rotonditas, & volubilitas. Rotunda oratio eſt, quæ neque plana eſt, vt exilis: neque tumida, & quaſi tuberoſa, vt grãdis. Nam tenuis adſtricta eſt, ac ſubſidit: grandis exit certis interuallis: vt illam riuulis, hanc rapido amni comparare queas. At mediocris character inter vtrumque procedit. Quod ge-

nus cum ſtudio cuiuſpiam excellentis viri perfectum eſt, atque iudicio explet animum ſanè: tenue vix mouet, ſublime vellicat. Ex diſſimulato cultu certam acquirit virtutem, quam volubilitatem nominare libet. Quippe tenue fluit propter humilitatem, & exilitatem: ſublimè hæret, atque cunctatur in ore, in auribus, in animo: æquabile euoluitur leui lapſu permulcens auditoris expectationem. vt, Tu ciuitatem quis deceat ſtatus, curas: & vrbi ſolicitus times. Hæc tenuia ſunt. Quid Seres, & regnata Cyro Bactra parent, Tanaiſque diſcors. prudens futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus: Ridetque, ſi mortalis vltra fas trepidat. Quod adeſt memento componere æquus, cætera fluminis ritu feruntur, nunc medio alueo Cum pace delabentis Hetruſcum in mare (hæc mediæ ſunt figuræ) nunc lapides adeſos, Stirpeſque raptas, & pecus, & domos Voluentis vna non ſine mõtium clamore, vicinæque ſyluæ, cum fera diluuies quietos Irritat amnes. Extrema pertinẽt ad gen⁹ dicẽdi ſublime.

23. *vitia figurarum.* HIs virtutibus affinia ſunt vitia. nam grauitati formæ ſublimis, opponi-
Inflatum. tur ſuffulta, quæ turget, & inflata eſt, cũ aut nouis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut grauioribus, quã res poſtulat, aliquid dicitur. Mediocri-
Fluctuans. tati aduerſaria eſt in vitiis fluctuans, & diſſoluta, ſine neruis, & articulis, quæ detinere non poteſt auditorem atten-
Aridum. tum. Eſt & tenuitatis vitium, aridum, & exangue orationis genus, quod exile dicitur, & ſiccum. Eſt enim ſicca ſententia, quæ rem minuit. Eſt & in hoc vitio affectatio, quæ genus ſcribendi muti-
Siccum. lum, præciſumque facit. Eſt & ſiccum, non tantum breuitatis, ſed etiam prolixitatis vitium; quoties in longa oratione nullum extabit epithetum, nulla figura, nulla ſententia, nulla efficacia, nullus affectus.. His adſcribi poſſunt; quæ non cohęrent, ſed membris, & inciſis inculcatis gratiam quandam affectant.
Pingue. Quo in genere Secundus Plinius, & eius temporis declamatores. Sicut ſiccum eſt in vitiis, ſic & pingue genus dicendi, & exultans, & elatum, & tumidum, quod plus vult, quàm poteſt: ni-

nus efficit, quàm debet: quod plus poteſt, quàm decet. Hic ambitio eſt, quam Cacozeliam Græci dicunt, quæ plus, vel plura, vel elatiora, quàm poteſt, admittit. Contra negligentia diſſoluta peſſundat orationem, permittitque non ſolum ſerpere ſed etiam iacere. Vtriuſque verò mater, eſt licentia, qua ille ſibi arrogat multa; hic hoc arrogat etiam, vt nil arrogare virtutis loco habeat: ille dictionem ſtrèperam, confragoſam, reſilientem: hic intermortuam facit. Sunt enim contraria ſicuti defectus, & exuberantia. Multi hoc genus ſectati ſunt, propterea quod virtutem includeret, ſicuti prodigalitas liberalitatem. Aliis ingeniis magis placuit ſiccitas. Nihil enim infelicius arbitrati ſunt loquendi licentia. Patitur & mediocritas vitium Trepidationem, dum non audet ſe attollere, ne tumeſcat.

Cacozelia. *Neglig ẽtia.* *Licentia.* *Trepidatio*

VT operi inchoato, & penè abſoluto faſtigium imponã: de memoria, & pronunciatione ſtrictim, & breuiter tradam. *Memoriæ duæ ſunt. Naturalis, quæ noſtris animis inſita eſt, & ſimul cum*

24. *Memoria. duplex. Naturalis Artificioſa.*

cogitatione nata. Artificioſa, quã confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Hæc naturalem multum iuuat. Quemadmodum enim cæteris in rebus, niſi naturam arte confirmemus, nil egregium, exactúmque perficere poſſumus: ſic naturalis memoria, niſi artificio nitatur, excellens eſſe nequit. Memoriæ artificialis duæ ſunt partes, loci, & imagines.

Memoriæ artificialis partes duæ.

Locos dicimus eos, qui breuiter, & perfectè, inſignitè, aut natura ſunt, aut manu abſoluti, vt eos naturali memoria facilè comprehendere poßimus, vt ſunt area, templum, fornix, intercolumnium, angulus. Imagines ſunt formæ quædam, & notæ, & ſimulachra eius rei, quàm meminiſſe volumus. vt ſunt: canes, equi, leones, quorum memoriam, ſi habere volemus, imagines eorum certis locis diſponere oportebit. Atque ſi multa meminiſſe velimus, multos nobis locos apparere neceſſe eſt, vt in multis locis, multas imagines poßimus collocare. In his ordinem ſeruari operæpretium eſt, ne quandò perturbatione ordinis impediamur, quo ſecius. quoto, quoque loco licebit, vel à ſuperiore, vel ab inferiore, vel à media parte imagines ſequi ea, quæ mandata locis erunt, edere, & proferre poßimus. Commodius in deſertis locis, quàm celebribus locos

comparare poſſumus. Nam ſicut ſolitudo conſeruat integras, ordinatáſque ſimulachrorum ſpecies, ita eaſdem conturbat frequentia, occurſúſque hominum. Loci ſint forma, & natura diſsimiles, vt diſtinctè interluceant. Nã, qui multos ſimiles legerit, ſimilitudine conturbatus, quid quoque loco repoſuerit, non repetet expeditè. Sint & loci mediocres, ne aut amplitudo vagas imagines reddat, aut anguſtia non capiat. Sint quoque nec illuſtres nimis, nec obſcuri, ne ſuis tenebris, aut ſplendore obſint memoriæ. Interualla locorum mediocria placet eſſe. Nam nimia diſtantia, & propinquitas impediunt memoriam. Quintum locum egregiè ſignabimus, ne fallamur in numero locorum. Loci, qui ſemper ijdem eſſe debẽt, crebra meditatione mandentur memoriæ firmitérque retineantur. Imagines ſunt aliæ rerum. aliæ verborum. Similitudines rerum exprimuntur, cùm ſummatim ipſorum negotiorum, imagines comparamus. Verborum ſimilitudines conſtituuntur, cum vniuſcuiuſque nominis, & vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam ſæpe vna nota, & imagine ſimplici comprehendimus. Formarum diſpoſitione, & imaginum diligenti notatione vtimur, vt cuiuſque rei memoriam

facilè conſequamur. Res, quas videmus in vita, paruas, vſitatas, quotidianas, meminiſſe non ſolemus. Nam animus noua re commouetur, & admirabili. Propterea ſi quid videmus, vel audimus egregium, turpe, aut honeſtum, inuſitatum, magnum, incredibile, ridiculum, diu meminiſſe conſueuimus. Propterea earum rerum, quæ firmius inhærent memoriæ, formas concipere oportet eum, qui vtitur memoratiua.

25. *Pronunciatio.* PRonunciatio, cui primas, cui ſecundas, cui tertias, in munere oratorio, dedit Demoſthenes, comparatur, atque perficitur arte, natura, & exercitatione. Natura, quæ eſt habilitas animi, aut corporis ad pronunciandum ſufficit idonea inſtrumenta vocis, & actionis, caput, vultum, manus, arteriam, pulmones, latera, dentes, labra, & aptam totius corporis conformationem. Naturam, ſi optima ſit, confirmat ars, & vitio corruptam corrigit iis præceptionibus, quæ de actione traduntur. His accedit exercitatio, quæ facultatem probæ pronunciationis, & idoneam rebus promptitudinem comparat multis exercitamentis publicis,

priuatíſque & imitatione eorum, qui rectè vocem moderantur. Actioni orator prudentiam, diligentiamq; adiungat; & locum, in quo eſt dicturus, res, & perſonas exactè conſideret, ſiue quibuſcum res eſt, ſiue de quibus agit. His enim variam orationis faciem accommodet neceſſe eſt. Eſt enim recta pronunciatio, vocis, vultus, & geſtus pro rerum, & affectuum, & coniunctorum, ſimpliciumque verborum natura, ac varietate moderatio cũ venuſtate. Vocis quippe, & vultus, & geſtus tot mutationes eſſe oportet, quot ſunt affectuum, & cogitationum animi, & ſingulis cogitationibus, affectibúſque ſuã vocis, & vultus, & geſtus qualitatem, & modum adhiberi. Nã his tribus ſe animus orantis aperit auditori. Etenim irã vultus ardens, vox acuta, geſtus concitatus, indicat. Vultus mœſtior, vox flebilis, geſtus remiſſus, & fractus, animi triſtitiã prodit. Pronunciationis partes duæ ſunt vox, & actio: quarũ illa mouet aures, hæc oculos: & vtérque ſenſus omnes affectus admittit ad animum. In voce ſpectatur quantitas, ſi magna, quæ

Pronunciatio quid.

Pronunciationis partes.

Quantitas vocis.

latè, & longè poteſt exaudiri, ſi contendatur: ſi parua, quæ ſummiſſior, minus exaudiri poteſt: ſi media inter grãdem, & paruam, ſoni moderati: Spectatur & qualitas, ſi apta vox, ſi inepta, firma, infirma, tarda, velox, emiſſa continenti ſpiritu, aut interrupto, ſedata, vehemens, clara, obſcura, canora, fuſca, expreſſa, non expreſſa, lenis, aſpera, mollis, grauis, acuta, inflexa. Varietas qualitatis triplicem tonum orationis efficit, grauem, medium, & acutum. Grauis eſt, quo pronunciamus orationem canora, & ſedata, & æquabili voce cum moderata tarditate. In hoc enim excellit genus vocis canoræ, ſedatæ, claræ, expreſſæ, tardæ, emiſſæ ſpiritu non continenti. Hic nec probatur nimia tarditas, quæ animos ſoluit: & inueniendi difficultatem, prodit, & expectanti moleſta eſt auditori: nec immodica volubilitas, & celeritas, quæ diſtinctiones confundit, & affectus, verba truncat, nec intelligitur ſatis. Huius toni vſus eſt in exordiis non cõcitatis, narrationibus, propoſitionibus. Confirmatio, & confutatio, & peroratio

Qualitas.

Varietas.

Grauis tonus.

peroratio non abnuunt: verum crebros habent acutos,& medios. Vſurpatur in nouarum partium,aut capitum, aut argumentationum ingreſſu,aut exemplis in expoſitione rei ſplendidæ,aut dignitatis plenæ, in iis rebus, quæ ad docencendum potius,quàm ad delectandum, aut mouendum valent. Habet grauis tonus vocis æqualitatem, & eundem tenorem, non conſpicuam elationem orationis, aut remiſsionem. Medius tonus eſt inter grauem, & acutum interiectus, qua voce media, aut leni,& clara ſuauiter quippiam enunciamus, & moderatè affectus mouemus. Hic enim elucet qualitas vocis,ſuauis,lenis, clara, expreſſa, canora, ac leniter emiſſa vt, mi, fa. Vtimur hoc tono, cum laudamus quippiam, aut rem iucundam exponimus, vel affabilitatem, præ nobis ferimus, vel blandè monemus, vel amicè hortamur, vel communicamus, aut quaſi deliberamus cum auditore, vel vituperamus cum mitigatione, vel reprehendimus, vel conquerimur cum indignatione, quæ miſta ſit cum doloris, & amoris ſignificatione. Acutus *Medius tonus.*

Qq

tonus orationem magna, & acri & incitata voce effert. Huic enim conuenit magnitudo vocis, claritas, vehementia, aſperitas, continuus ſpiritus, velocitas, flebilitas, acerbitas. Huic locus eſt in contentione aſpera, & acriore indignatione, & acerba commiſeratione cùm obiurgamus, reprehendimus, indignamur, execramur, exclamamus, iratorum voces aſſumimus, aut calamitatem luctuoſam deploramus. Excellit in membris, & commatibus, quæ clamoſa voce proferuntur, & mouet, & captum detinet auditorem. Tres toni congruunt ſenis muſicæ notis; Grauis infimis duabus, medius mediis, acutus ſupremis. Ne vox in acuto vltra vires incitetur, fugiantur acclamationes nimis acutæ, atque exiles, & continui clamores. His enim vox frangitur, & amittit ſplendorem ſuum. Meminerit orator varietatis, quam adhibebit pro rerum, & verborum, & affectuum, & compoſitionis diuerſitate, vt atrocia concitatè, triſtia flebiliter, grandia grauiter, mediocria temperatè, parua ſummiſsè pronunciet, & aſſumat vocē

propriam affirmantibus, negantibus, iraſcentibus, indignantibus, lætantibus, flentibus, timentibus, cõfitentibus, & ſecuris, admirantibus, aut contemnẽtibus, irridentibus, interrogantibus, vel alio commotis affectu, quibus vox tribuitur pro natura rerum. Diſtinguat & orationem, & orationis partes exactè. Periodi antecedens, ſi pluribus conſtet membris, ſpiritu, & æquabili ſuſtentetur voce: principium conſequentis paulò demiſsiore proferatur. Continuare pronunciationem, donec deficiat ſpiritus, eſt vitium: aut, ſic indulgere priorũ ſono, vt vltimæ non exaudiantur: aut non tota verba exigere, aut partem deuorare, partem deſtituere: aut velut enumerare ſyllabas, cantare, aut modulari, aut vbi non oportet, interſperare. Eſt & dictionibus ſuus tonus, cum vna pluresue in oratione præ cæteris vim habent, & affectũ. Nos enim ſignificationem voce, vultu, geſtu exprimere debemus ex natura rerũ; vt, Horreſco referens. Audax, conſceleratus, impauidus, timidus. In pronunciatione ſiquidem harũ dictionum

naturalis vis exprimenda eſt.

26. SEquitur altera pronũciationis pars actio, quæ eſt corporis totius, & partium eius pro rerum animo conceptarum, & elocutionis, & affectuum varietate moderatio cum venuſtate. Sicut enim vox animi: ita corporis eloquentia eſt actio. Multum valent verba per ſe, & vox propriam vim adiicit rebus, & geſtus, motuſq; ſignant aliquid, ex quibus, cùm coeunt, perfectũ quiddam efficitur. Itaque cùm citra verba corpus pleráque ſignificet, & manus, & nutus voluntatem declarent: & vultus, & ingreſſus habitum animi oſtendat, vt decorum, quod à geſtu, & motu corporis eſt, orationi conſentiat, & autoritatem, & fidem mereatur, neceſſe eſt partes ſingulas aptè componere.

Caput. Proinde caput, quod præcipuum eſt, ſicut in corpore, ita in actione, ad decoris ſignificationem ſit rectum, & ſtatũ naturali decenter compoſitum. Nam ſi deiiciatur, humilitatem: ſi ſupinum erigatur, arrogantiam; ſi in latus inclinetur, languorem: ſi prædurum, rigidúmque videatur, barbariem mentis

oſtendit. Exin aptos ex actione motus habeat,& cum geſtu congruat,& manibus,& lateribus obſequatur. Nam aſpectus eodem ſemper verti debet,quo geſtus,niſi damnemus quidpiam, aut non concedamus, aut remoueamus , ita, vt vultu , & manu repellere videamur. Præter abnuendi, & renuendi, confirmandíque motus ſunt, & verecundiæ, dubitationis,admirationis,indignationis. Dãnatur frequens capitis agitatio. Vultus in geſtu ſupplices,blandos, minaces,triſtes,hilares,erectos, ſummiſſos oſtendit.In quem, & intendunt omniũ oculi, vt animi interpretem, & nuncium : quippe cuius eſt imago,& index amoris,odij, irę, inuidiæ, & affectionũ omnium, qui pro multis eſt verbis. In vultu plurimum valent oculi, qui & ipſi ſunt animi indices, vt citra motum hilaritate niteſcunt,& triſtitia nubilum quoddam ducunt. Habent & lachrymas, quæ dolore,aui lætitia ærumpunt. Vt res poſcunt , finguntur in omnes motus rigidi,extenti, languidi, torpentes,ſtupentes,laſciui,mobiles, natantes, voluptate perfuſi, venerei, limi, poſcẽ- *Vultus.* *Oculi.*

tes aliquid, pollicentes, intenti, remiſsi ſuperbi, torui, mites, aſperi, truces, aperti, & cōpreſsi, aut defixi, ſtupidi. Operti, compreſsiq; inter dicendum vitium habent. Debent ad ea, quæ concipit animus, & oratione profert, conferri ad ſupera, infera, effuſa, patentia. Oculorũ

Palpebræ. inſtrumenta ſunt palpebræ, frõs, ſupercilia. Palpebrarũ mobilitas inconſtan-

Frons. tiã, æquabilitas grauitatem cũ dignitate coniunctã notat. Frons exporrecta hilaritatẽ; contracta triſtitiam declarat. Supercilia formant oculos, & imperant fronti, vt contrahatur, diducatur, attollatur, demittatur, & notet triſtitiam, lætitiam, arrogantiam, pudorem, aſſenſum, aut diſſenſum. Ea non ſint, aut immota, aut mobilia nimis, neque inæ-

Nares. qualitate diſsideant. Nares, & labra nil quicquam decenter oſtendunt: ſignificant facile contemptum, deriſum, faſtidium. Nares corrugare, inflare, mouere, digito inquietare, impulſu, manu plana crebrò emungere, ſubitò ſpiritũ excutere, & diducere ſæpius, aut reſupinare indecorum. Vitium in labris, ſi

Labra. porrigantur male, ſcindantur, aſtrin-

gantur, diducantur, dentes nudent, in latus trahantur, aut faſtidio replicētur, pendeant, vocem altera tantum parte mittant, mordeantur, lambantur. Os ſit rectum, plenum, non rixetur, ſi deficiat memoria, nō tuſſiat indecēter, aut ſpuat aut fricet ſeſe, aut ſpiritum ducat. *Os.*

CEruix, quę colli poſterior eſt pars, non ſit rigida, non ſupina, collum non tendatur, non contrahatur vitioſè: non demittatur in pectus mentum, ne vocem extenuet, aut opprimat. Humerorum alleuatio, & contractio indecens Breuiatur enim ceruix, & geſtum humilem, & ſeruilem, & quaſi fraudulentum facit, cùm ſe in habitum adulationis, admirationis, timoris fingunt. Brachia ne pendeāt indecorè. Dextrum in ſummis affectibus, & contentionibus, & rarò, vel ad dextram ſupra oculos, vel ſiniſtram, ſupra humeros extendatur. Brachij moderata porrectio remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis, traducitur in latus, cū aliquid ſpatioſius, aut latius eſt dicendum. Siniſtrum aut plerumque erit immotum, aut obſecumdabit moribus *17. Ceruix. Humeri. Brachia.*

dextri, cùm magnitudinem, aut latitudinem rerum, & ſummos affectus demonſtrabit, aut cùm ad digitos numerabit, cum aduerſis in ſiniſtram palmis abominabitur, aut aduerſas obijciet palmas, aut in latus vtrúmque diſtendet, aut ſupplicabit, aut attollet, vel ſummittet. Raró ſiniſtra ſola geſtum dabit.

Manus. Manus, ſine quibus actio eſt iners multas pariunt, & rerum, & animi ſignificationes, & ipſam verborum copiam ſequuntur. Nam cæteræ partes actionem adiuuant: hæ propemodum loquuntur. His enim poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, admiramur, timemus, prohibemus, interrogamus, probamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus.

Digiti. Geſtus eſt communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus: & creber hic in exordijs, cum leni in vtramque partem motu modicè prolatus: ſimul capite, & humeris ſenſim, ad quod manus fertur, obſecun-

dantibus. Eſt & hic in narrationibus certus, ſed paulò productior, & in exprobrando acer, & inſtans. Pollice ſublato, cæteri digiti leniter flecti poſſunt. Et primis quatuor digitis in ſummum leniter coeuntibus, ipſa manus non procul ab ore, vel pectore ad nos conuerſa in ſiniſtrum transfertur: ac deinde prona, ac paululum prolata laxatur. Nonnunquam pollice inclinato, quatuor digitis remiſſis magis, quam extentis, manus ſupina in ſiniſtrum latus, & prona in dextrum fertur demonſtrando, aut diſtinguendo, quæ dicimus. Sæpe tribus contractis, & pollici iunctis, index erigitur, & explicatur, cùm indicamus, aut exprobramus. Index, alleuata, & ſpectante humerum manu paululum inclinatus aſſeuerat, verſus in terram, & quaſi pronus vrget, & inſtigat: aliquandò numerat. Manus modico geſtu res, & perſonas, de quibus agitur, deſignat, & demonſtrat, prout ſunt collocatæ ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum. Membra diſtributionis ſimplicia, aut argumenta multa denſata, indice digito dextræ

manus ſuper digitos ſiniſtræ numeramus. Membra diſtributionis, quæ ornantur breui deſcriptione, enumerantur geſtu indicis digiti dextræ manus ordine ſuo ad digitos ſiniſtræ,& ad breues deſcriptiones, vel adiuncta, quibus membra diſtributionis amplificantur, manus dextra fertur in ſiniſtrum latus, vt in inductionibus, frequentationibus, enumerationibus. Membra diſtributionis, quibuſdam percuſſionibus breuibus à læua ad latus dexterum numerantur, vt in dilemmate, gradatione. Plura membra à dextræ motu in eodem loco repetito numerantur, quaſi ſciſſo aere, vt eſt in congerie. Vel numeramus extra ſiniſtram percutiendo modicè, & medio iunctis, & tenſis, pollice ad medios articulos iũcto duobus vltimis digitis dextrę palmam prementibus. Laudata eſt actio, ſi poſt diſtributionem membris factam, aliquo geſtu diſtributionis alia cæſim dicamus vt in Repetitionibus, Diſiunctione, Polyſindeto, Aſyndeto, Pyſmate, Expeditione, Subiectione multiplicata, Remotione cauſarum. Contrariorum con-

flictio, & perfecta comparatio, ſimilitudo, diſſimilitudo, vel diſiunctio rei vnius ab altera, vel pluribus, geſtu multis modis exprimitur, vel cùm manum quamque in ſuum latus transferimus, & diſtendimus vtroque pollice comprehendente ſuum indicem, vel dextram transferimus ſupinam in ſiniſtrũ latus, & eandem mox pronam referimus in dextrum, vel contra, idque pollice intus inclinato, & quatuor digitis remiſsis, vel alio modo digitis collocatis, vel dextram deferimus quocumque modo diſpoſitam, prius in ſiniſtrum, deinde in dextrum reducimus. Hi modi ſunt vſurpandi varietatis gratia, vbi multæ ſunt eiuſmodi oppoſitorum cõflictiones, & ſimilitudines. Interrogatio effertur paulum attollendo dexteram ad nos conuerſam. Reſponſio manu prona, & laxata. Ratio dextra prona, & digitis deorſum ſpectantibus, mox eadem ad nos conuerſa, & reſoluta, & quaſi re vera proferat aliquid. Vrget, & inſtat orator, nunc totam manum contrahens, nunc

Interrogatio.

totam explicans. Deprecatio, quæ ſit tum ad Deum, tum ad homines, vtramque manum, vel atollit, vel ſummit, ſiue vtramque iungat, ſiue protendat. Hortamur manu caua dextra, ſupraque fermè altitudinem humeri dextri graui motu elata. Aſſeueramus, vel remiſſa dextera pectori admota, vel manibus quadam grauitate comploſis, vel indice in cœlum erecto, cæteris pollice iuncto, & brachio nonnihil contorto. Admiramur manu reſupina à minimo digito collecta, flexúque redeunte explicata, & conuerſa, oculis in cœlum ſuſpicientibus, vel motu dextræ ad ſiniſtram, vnde deſcendebat, reſiliente. Auerſamur (auertimus animum, & vultum à rebus turpibus, quæ aut obſcenæ ſunt, aut ſordidæ, & ab eis, quæ præ odio videre nolumus, quæ abominamur, & deteſtamur) humero ſiniſtro prolato, capite, & vultu ad dextrum vergente, dextráque propellente in læuam, vel vtramque manum in ſiniſtrum latus auertimus, vel vtramque manum aduerſum obiicimus, vel in latus vtrumque diſtẽdimus, vel demiſſis ſuperciliis.

Deprecatio.

in dextram excutimus, vel capite renuimus, vel dextera in ſiniſtrum latus, vnde deſcendebat, reſiliente. Reijcimus, negamus, auertimus quippiam, vel capite renuendo, vel dextra in ſiniſtrum, præſertim ſi duplicetur negatio. Iraſcimur, & indignamur affecti iniuria, aut contumelia ſtricto pugno, percuſſoque quod adeſt præſentius, vel pugno compreſſo ad pectus admoto, vel dextra læuam percutiente, aut pede ſupplodente, vel terram quatiente. Timemus prolata dextra ad pectus, quatuor primis digitis in ſummum coeuntibus, quæ deinde prona, protenſa laxatur. Mitigamus animos manu prona, aut incuruata leniter verſus eos, qnorum iram flectimus, aut dolorem mitigamus, paruiſque interuallis mota humeris paululum, modeſteque aſſentientibus. Optamus manibus ſublatis, aut iunctis, aut diſiunctis. Explanamus vtraque manu quaſi expanſa, & rei magnitudinem ſignificante. Rei magnitudinem exprimimus ſuſtentatione brachiorum, & manuum. Dolemus, & triſtamur manibus inter ſe complicatis, vel ad vtrum-

que latus deiectis, vel dextera pectori adiuncta. Religionem, pietatem, & cõſcientiam ſignificamus manibus pectori applicatis. Idem geſtus, cùm miſeremur, ſanctè promittimus, admiramur, teſtamur. Ironiam exprimimus vultu paulum auerſo, & vtraque manu, vtroque indice in latus protenſo. Vocamus manu flexa ſurſum, dimittimus auerſa, aut in latus reiecta. Minitamur indice erecto, & moto. Geſtum incipit dextra à latere ſiniſtro, & reducitur in dextrum cum fine ſententiæ. Vitio cadunt manus, aut reponuntur in ſingulis diſtributionum membris, niſi enumeramus. Vitio manus mouetur, antequam loqui incipias: aut motus ante deſint; quàm ſententia abſoluatur. Nam manũ & geſtum, & vocem, & ſententiã ſimul incipere, continuare & deponere oportet. Grauibus affectibus nonnunquam manus anteuertit vocem. Manus nec attollatur facilè ſupra oculos, nec demittatur infra vmbilicum. Sed femur percutimus aliquãdò, & manus demittimus in dolore. Manus non moueatur digitis explicatis, & diuiſis, nec celeri-

ter geſtum exhibeat. Nec enim præceps actio probatur, niſi res poſtulet celeritatem. Nimium manibus geſticulari eſt in vitio, vbi nullus affectus cietur, immotæ manus aliquantum manent decenter. Verùm otioſæ diutius eſſe non debent, nec eandem actionem exhibere, nec eodem in loco, eadem figura manus. Pectus, & venter ne proijciatur. Nam tum pendent humeri à tergo, & ſupinitas omnis moleſta eſt. Pes aliquandò terram feriat in contentione, ſed ſit rarus eius inceſſus, nec ita longus nullus diſcurſus. Indecens non eſt paulum promoueri ad eos, quos alloquaris, nunc in hanc, nunc in illam partem concionis verſus. Vitium eſt in pedem dextrum tantum niti, aut in læuum, ne claudus videatur Orator.

FINIS.

A011463535

A01 1463535